Les Bibliothèques Virtuelles Huıanistes

Extrait de la convention établie avec les établisseıents partenaires :

- ces établisseıents autorisent la nuıérisation des ouvrages dont ils sont dépositaires (fonds d'Etat ou autres) sous réserve du respect des conditions de conservation et de ıanipulation des docuıents anciens ou fragiles. Ils en conservent la propriété et le copyright, et les iıages résultant de la nuıérisation seront dûıent référencées.
- le travail effectué par les laboratoires étant considéré coııne une « oeuvre » (nuıérisation, traiteıent des iıages, description des ouvrages, constitution de la base de données, gestion technique et adıinistrative du serveur), il relève aussi du droit de la propriété intellectuelle et toute utilisation ou reproduction est souıise à autorisation.
- toute utilisation coıınerciale restera souıise à autorisation particulière deıandée par l'éditeur aux établisseıents détenteurs des droits (que ce soit pour un ouvrage édité sur papier ou une autre base de données).
- les bases de données sont déposées auprès des services juridiques coıpétents.

Copyright - © Bibliothèques Virtuelles Huıanistes





PRAXIS RERVM CRIMINALIVM ICONIBVS MATERIÆ SVBIECTÆ CONVENIENTIBVS, PVLCHRIVS QVAM VNQVAM hactenus recognita atque illustrata, multis quoque in contextu doctis additionibus locupletata, Prætoribus, Proprætoribus, Consulibus, Proconsulibus, Magistratibus, reliquisq;. id genus Iustitiarijs ac Officiarijs apprimè vtilis & necessaria.

Authore Clariss. Viro Domino Iodoco Damhouderio Brugen. Equite aurato, V. I. Doctore, quondam Cæsario, nunc verò Regio Consiliario, atque eiusdem Regis Finãtiæ Cõmissario.

Adiectis Elenchis Cap. & Titu. necnon verborum rerumque memorabilium.

PYTHAGORAS.

Qui malos non plectunt, bonis iniuriam inferunt.

SENECA.

Probis nocet, improbis parcens.

PARALIP. 2. CAP. 19.

Videte Iudices quid faciatis, nõ enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.

A Iudicio, Candide Lector, tempera, dum vniuersum opus attentius perlegeris.

ANTVERPIAE.

Apud Ioannem Bellerum, sub insigni Falconis.
Anno. M. D. LXII.

Cum Priuilegio Regis.

12437

PRAXIS RERVM CRIMINALIVM ICONIBVS MATERIÆ SVBIECTÆ CONVENIENTIBVS, PVLCHRIVS QVAM VNQVAM hactenus recognita atque illustrata, multis quoque in contextu doctis additionibus locupletata, Prætoribus, Proprætoribus, Consulibus, Proconsulibus, Magistratibus, reliquisq; id genus Iustitiarijs ac Officiarijs apprimè vtilis & necessaria.

Authore Clariss. Viro Domino Iodoco Damhouderio Brugen. Equite aurato, V. I. Doctore, quondam Cæsario, nunc verò Regio Consiliario, atque eiusdem Regis Finātiæ Cōmissario.

Adiectis Elenchis Cap. & Titu. necnon verborum rerumque memorabilium.

PYTHAGORAS.

Qui malos non plectunt, bonis iniuriam inferunt.

SENECA.

Probis nocet, improbis parcens.

PARALIP. 2. CAP. 19.

Videte Iudices quid faciatis, nō enim hominis exercetis iudicium, sed Domini.

Ad Iudicio, Candide Lector, tempera, dum vniuersum opus attentius perlegeris.

ANTVERPIAE.

Apud Ioannem Bellerum, sub insigni Falconis.
Anno. M. D. LXII.

Cum Priuilegio Regis.

Priuilegij Sententia.

CONCESSUM est Ioanni Bellero Typographo ac Bibliopolæ Antuerpiensi D. Iodoci Damhouderij Brugensis, equitis aurati, I. V. Doctoris, quondam Cæsarei, nunc verò Regij Consiliarij, atque eiusdem Regis Finantiæ Commissarij, Praxim Rerum Criminalium *imprimere, atque vbilibet per Philippi Regis ditionem distrahere. Cæteris Bibliopolis ac Typographis inhibitum ne eandem proximo octennio imprimant, vel alibi impressam vænum exponere attentent. Sub pœnis in Priuilegio indictis. Acta sunt Bruxellæ 22. May 1561. Subscripsit,*

Facuvvez.

ILLVSTRISSIMO, CLARISSIMO QVE DOMINO, D. MORALDO D'EGMONT, PRINCIPI A GAVERE, *Comiti d'Egmont, Baroni de Baer, Domino à Fiennes, Auxi, Armentieres, &c. Consiliario Regio, ordinis aurei velleris Equiti aurato, Flandriæ, Artheſiæq; ſummo Præfecto, Patrono ſuo longè obſeruandiſsimo, Iodocus Damhouderius S. P.*

QVI boni alicuius eximij deſiderio tenentur, PRINCEPS ILLVSTRISS. propter certum finem, hoc ipſum diligere dicuntur, quem ſi quando conſequantur lætum, fauſtumque, beatos ſeſe, & fœlices autumant, neque id, vt opinor, fato aut caſu quopiam contingit, ducit enim flagrans hæc tanti boni appetẽtia originem ab ipſa natura, cuius tanta noſcitur eſſe prouidentia, (qua cuncta hæc inferiora moderatur) vt etiam ipſa media quibus ad tam ſalutarem vſque ſcopum peruenitur, et regat, et ad illius conſeruationem penè cogat, & propellat: Quod & in Reipub. gubernaculis vſuuenire apertè conſpicimus. In qua Deo nihil gratiùs eſſe poteſt, quàm vt ipſa virtutibus, pace, traquillitate & fraterna concordia floreat: Ideoque & ad hunc ſcopũ etiam condigna intermedia, leges commodas, gubernatores, & prudentes Principes dirigit, deinde impedimenta queq; (quantũ in ipſo eſt) quę à tali fine remorentur, diſpellit. Hoc cum maiores illi, penes quos Reip. gubernãdæ cura fuit, quiq; à Deo nobis miſsi fuêre, pe

nitius in animum reuocarent,toti in hoc fuêre,vt ipſam Rempu.moréſq; ciuiũ ad eum ſtatũ & cõditionem perducerent,vbi cuiq; ſuũ pro dignitate & meritò in altiſsima tranquillitate,& quiete tribueretur,& hanc quietem publicam turbantes legibus coërcerentur: adeo vt non dubitarint quidam, vel totius ciuilis ſocietatis ſalutem in hiſce legibus conſtituere, eáſq; pro ſummo politico bono reputare. Quod & ſi variè, & non ſemper ex vtilitate communi,propter tantam diuerſitatem iura conſtituentiũ, eſtimetur: ab omnibus tamen ad prędictum finem veluti rectiſsimus trames,vno ore aſſeritur. Ab illis tamen,& exactius & ſapientius id fieri creditur, qui politicarum rerum ordinem ſepius conſiderant,& ab omni anomia fortiter defendũt,& tuentur. Iudiciorum porro varietas hinc orta eſſe putatur, quod cum in homine variè & diuerſè animaduertantur, & corporis, & animæ functiones, atq; officia, quæ neq; perpetuo, neq; vnanimi conſenſu,neq; pari facilitate, ad quoduis munus publicũ obeundum conueniant, ita in Reip.conſtitutione fieri videmus, vt alia alijs conſilia placeant, aliáque diſpliceant, quibus tamen ipſius Reipublicæ tranquillitati, eiuſque tuitioni conſultum quam maximè cupiũt. Loquitur id triformis ille totius Reipublicæ ſtatus,& quis horum ſit pręſtantiſsimus, nec dum ſatis eſt extra controuerſiam. Demõſtrat id apertius Athenienſiũ politiæ cũm Lacedæmoniorum & Lycurgi legibus facta collatio. Confirmat hoc plane Romanorum vix tandem obtenta monarchia. In ſcopo tamẽ vno,hoc eſt,in optimo

Rei-

Reipublicę ſtatu, vbi rerum communicatio non inuita,& vbi animorum coniũctio,poſtremò vbi earundem legum obſeruatio exuberat beneuola. in his inquam pariter omnia Reipublicę bona & ornamenta fundãtur & conquieſcũt,ita vt hinc cuiuis maneat conſpicuum, eos tantò prędlariorem cęteris obtinere Rempublicam, quantò fœlicius hoc prędlarum & ſummum Reipublicę bonũ cum prędceptis politicis ſunt aſſecuti. Atq; ex hoc etiã tantò cęteris prędlariorẽ laudẽ merẽtur,quantò prę cęteris digniores,& vtiliores politicas cõſtitutiones condiderint.neq; minorẽ laudẽ merentur ij qui leges bene conſtitutas ſuo imperio & ſyncero amore patrię ab omnibus obſeruari fideliter curant, vt Reipu.pax,cõcordia, & firmitas vſq; perdurẽt.Vnde noſtrę quoq; Reipu.non parũ laudis ob hanc cauſam accedit,in qua media,illa nẽ pe prędcepta politica,(quorum obſeruatione ipſa in tam illuſtri conſiſtit loco)prędſtantiſsima conſpiciũtur. Quęcunq; enim in hanc noſtram Rempu.conducere maximè videbãtur,ea ſapientiſsimorum virorum iudicio,ab alijs hac noſtra Repub.non inferioribus mutuata,tranſlata,& recepta ſunt,neq; hãc ob cauſam noſtra Reſpu. iſtis eſt cenſenda inferior,quod ab alijs ſua ornamenta quędam receperit. Primò enim (vt nouit. D. T) vel ex gymnaſticis luctationibus,et peritia rei militaris(quę in te eſt,et magna,et fortunata)non ſemper is eſt prędſtãtior, non ſemper eſt viribus et triumphis ſuperior, qui palęſtricas leges proponit et inſtituit,et qui prouocat,ſed nõ nunquam vſuuenit vt in arenam prouocatus,licet viri-

bus inferior.ingenio tamen,dexteritate et naturãli quadam facilitate fortiorem ſuperet,et conflictanti viribus potentiori in reportanda palma pręponatur:ita non ſecus exiſtimandum eſt de illis qui Reipublicę conſtituẽdæ operam nauarũt.In qua non ſemper is eſt præclarior qui legem bonam ſanxit,ſed qui legem optimam optime ſeruat.neq; ea Reſpub. ſemper eſt pręclarior,in qua bonæ leges omnium primò natæ,ſed vbi ſunt optimè cultæ. Verùm enimuero et apud exteros, & apud noſtros fuêre permulti,qui cęteris ingenio,prudẽtia et rerũ vſu inſtructi, aut natura compoſiti Reipublicę formãdę multas pręclaras leges, et viuendi normas ſapienter, et fœliciter excogitarũt, et vniuerſum illud ius quod in acquirendo, conſeruando, muniendoque conſiſtit, ita dirigendum putarunt,vt in viciſsitudinaria rerum, dominiorumq; communicatione, inſignis quædam ſymmetria appareret et proportio,vt ad vnum ſcopum ſpectarent leges omnes,& vt ad vnũ modum coleretur publicus commerciorũ vſus in ſumma Reipublicæ quiete. Quæ profecto omnia admiranda quadã ingenij dexteritate à maioribus cõſtituta, et in vſum trãſmiſſa ſunt, et hominũ ſocietati ſaluberrima eſſe, nemo eſt qui neſciat.Sed ea tamen quãtumlibet ſancta et ſalutaria fuerint, nunquam tueri & illæſa ſeruari poterunt,niſi his obnitentibus,& in has ſanctiſsimas leges peccantibus,earundemque legum violatoribus ſtrenue reſiſtatur,in eos diligẽtes animaduerſiones decernantur. In quo etiã nõ minorem perſpicere licet maiorum noſtrorum prouidentiam

tiam, qui huius rei executioni peculiares magiſtratus paſsim locorum prę̃eſſe voluerunt, & his omnibus alios ſuperiores, qui quotannis huic conſulum magiſtratuũq; reformationi per ſingulas ciuitates ſeſe quã gnauiter conſecrarent, & impenderent, circunſpectè aduigilantes, vt per ipſos tanquam per nomothetas, optimi & incorruptiſsimi quiq́ue è ciuium numero populo prę̃ficiantur, & vt ſubditi morigeri, nomophylaces reddãtur. Atq; hoc ipſum tantò fœlicius continget, ſi ad hanc vniuerſitatem optimis legibus fundatam & conſtitutã, amplexandam & colendam, digniſsimi quiq;, & meritiſsimi euehantur, præmijſq; exornentur. Ignaui verò et ſtupida membra à Reipub. gubernaculis remoueantur, miniſq; et pœnis arceantur. Idemq; ſubinde ſeruetur et in cę̃teris Reipub. membris. Nam vt præmijs, ac honoribus virtutes excitantur et aluntur, ita minis et pœnis vitia elangueſcunt, et mala compeſcuntur. Ideoque et virtutis et ſceleris ſuum quodq́ue meritum in Republica plurimum momenti habere, res ipſa oſtendit, et nos quotidiana experientia deprehendimus: ſiue ad politica, ſiue tandem ad œconomica oculos conuertamus, in vtriſque enim hęc ratio plurimum vſus habet, quum vtrunque alteri non admodũ ſit diſsimile, et cuiuſq; ciuis domus et familia inſtar paruæ politię habeatur, ex qua multa quotidie prę̃ſtantia et bene nata ingenia publicarum rerum negotijs adminiſtrandis idonea deſtinẽtur. Ad quam ſane prouinciã explendam, illi quoq; futuri ſunt aptiores, qui non ſolum domi, ſed etiam foris apud exteros ab

optimis quibuſque Reipublicę formatotibus,media illa nempe præcepta politica acceperunt,et in ijs ita ingeniũ animum et mentẽ excoluerint,vt domum reuerſi de ciuiliũ et capitalium cauſarũ controuerſijs rogati rectam ſententiã cum cauſarũ explicatione ilicò dicere poſsint, ſic vt non tam ipſi, quam leges ipſæ loqui videantur. Quid enim aliud eſt magiſtratus,quàm lex loquẽs,et ius ex lege ſcripta vnicuique adminiſtrans, cuius legis ſiue Iuſtitię virtus eſt, non ſolũ conſtituere et imperare,ſed etiã vetãdo punire:quæ pars poſterior ſubditos in obedientia continet,et in officio.Hoc ſi vigilãti adminiſtratione impetretur,iam non nos Martis,ſed Saturni ſęculum viuere nemo negabit. Verùm quia in Rempub. irrepunt quotidie multi Marij,multi Syllæ, multi Catilinę, qui aduerſus tam ſanctam Reipub. ordinationem quotidie conſpirant,eíque ſummum moliuntur exitiũ, aut certe alij publicam tranquillitatem turbant,preſentaneum his malis quęſitum eſt et adhibitum ſalutare remedium, & nephariæ licentiæ obiecta ſunt firma repagula:poſtrema ſcilicet illa legis pars,cuius virtus in puniẽdo tota conſiſtit & verſatur.Niſi enim tollãtur è Republica adulteria, ſtupra, raptus,ſurta,rapinę,iniuriæ, mẽdacia,calumniæ,et reliqua id genus vitia, nemo ſane erit, qui non ſibi magnopere metuendum eſſe iuſtiſsimã de cauſa conqueretur. Quare permultũ nos debere intelligimus ijs, qui nobis Remp. ita conſtitutã reliquerunt, in qua et virtus ſuis prẽmijs decoratur, & vitium quoque ſua ignominia et correctione digniſsima excipitur,

pitur,& reprimitur.Sed longe maximę gratię debentur Deo.Opti.Maxi.qui huic ſeneſcenti ſęculo,tam pręclaros dederit gubernatores patrię,quorũ virtutibus, cõſilijs, & ope ſtrenua Chriſtianę Reipublicæ optimè cõſultum eſſe voluit.Quos hic ſingulatim percenſere nõ eſt conſilium. Vnus ex mille nobis ſuffecerit CAROLVS v. piæ memorię Romanorum Imperator rerum geſtarum gloria fœlix,& immortalis,qui ſolus tantum in negotijs publicam tranquillitatem concernẽtibus,præſtitit,quantum vix ante ipſum alij Principes multi.Multa ipſius pręclara facta hic prætereo, hoc vnũ omnes memoria tenemus,quantum laborarit in edendis ſaluberrimis conſtitutionibus,contra eos qui publicam ſocietatem turbant,diſtrahũt, conſcindunt,lacerant, & quãtũ poſſunt plane peſſundant,veluti de vagabundis , de mendicantibus validis,& de exauthoratis militibus, & his ſexcentulas ſimiles alias.Huic Carolo patri ſucceſſit Philippus filius,patre ſuo legum conſtituendarum ſtudio nec inferior,nec infœlicior,quas obſeruari nõ modo domi , ſed etiam foris Reipublicæ magnopere intereſt. Cui te vnũ Rex noſter Philippus defenſorem et propugnatorẽ præfecit,vt qui ſolus huic difficillimo muneri ipſi viſus es digniſsimus,adeo vt ab eo non fuerit repertus alius, qui prudentia,conſilio,conſtanti amore in patriam,& fidelitate incorruptiſsima vllo modo tibi fuerat conferẽdus,ideoque nec tuę hæroicæ magnanimitati præponẽdus : hinc factũ vt ipſe in Hiſpanias ſuas iã vltimò recedens te Flandriæ noſtræ atque Artheſiæ Patrem

reliquerit, téq; vnum et rectorẽ et protectorẽ cõſtituerit, vtpote q hos duos Comitatus capitis tui periculo, à Gallorũ periculis eximere nõ diffugeris, quod vel aduerſarij noſtri Galli apud Graueligã abs te fortiter cæſi, velint, nolint teſtari cogũtur, qui ad ſuos fines patrioſq; penates reuerſi, tuam illam incredibilẽ in defendẽdo patriam fortitudinem et magnanimitatem admirabũdi extollunt. Clamant Flandri, per te vnum rem vniuerſam ſibi reſtitutam, focos, araſq; receptas. Adeo vt ipſa Flandria meritò non minus. C. T. ſe debere intelligat, quam ſuo Achilli Græcia, aut Roma ſuo Camillo. Quocirca tuo merito ad hoc dignitatis culmen à Rege ſubuectus es, quum (vt ante diximus) fortes boniq; ampliſsimis cohoneſtandi ſint præmijs, funeſti verò Reipublicę oppugnatores dignis plectẽdi ſupplicijs. Poſſem hic permulta hæroicæ tuæ virtutis præclarè geſta commemorare, niſi epiſtolę anguſtia & aſſentationis ſuſpitio me inde retraherent. Tãtum hic bellicã tuam virtutẽ & laudis præconia recenſere libuit, non quod te iſtius memorię refricatione delectari cenſeã, ſed vt poſteri qui tuas has præclaras belli victorias cognoſcent, tuã virtutem æmulentur, ad parem gloriam tuo exemplo incitentur, & Patrię ſimili fidelitate prodeſſe ſtudeant. Sermonem igitur abs te nunc retrahens, cãdidum ipſum Lectorem, omneſq; tuę virtutis ſtudioſos alloquar. Inter cæteras virtutis ac fortitudinis laudes, Lector optime, quibus Ægmũdanus rerum geſtarum gloria & magnitudine clarus ornari decorariq; poſsit in epiſtola iſthac nũcupatoria, primoloco recen-

recẽſendas puto eas ipſas virtutes,quas Cicero pro lege Manilia peculiares ſummo aſſcribit Imperatori, ſcilicet laborem in negotijs,fortitudinem in periculis,induſtriã in agendo,celeritatẽ in conficiendo,& conſilium in prouidendo.quas quidem virtutes in eo prẹlio(vt paulò ante dixi) quod ad Grauelingas ante biennium noſtri cũ Gallis conſeruêrunt, Ægmũdanus noſter generoſiſsimè expreſsit, Ideoq; propter eximiam ipſius authoritatem ſummamq; ſcientiam & rei militaris vſum,à Philippo Rege copijs omnibus cum imperio prẹfectus eſt,hiſq; ipſis ceu gradibus quibuſdam ad ampliſsimũ illud virtutis & gloriæ præmium conſcendit. Cuius rei geſtæ veritas ſic habet.Henricus Gallorum rex ſecundis rebus recẽtique victoria fœrox,Thioniſuilla apud Lothoringios in deditionem accepta Termum Ducẽ et villebonum cũ legionibus duabus & magno equitatus numero in Flandriam proficiſci iuſsit,vt agrum omnem rapinis, populationibus,cæde,& incendio longe lateq; vaſtaret,quod profectò præter omnẽ quẹ bonũ Principẽ decet clementiã ſatagere cœperũt,expugnantes duas perpulchras Ciuitates Dunkerkã & Bergas hoſtilis aſſultus improuiſas et inexpectatas.Illam mulctatã,& ciuibus abductis,tandem incenſam atq; miſerè deprædatam,hanc vero prorſus in cinerem redactam, nec minus interim vniuerſæ Flandriẹ ſummum exitium minitantes.Verùm his calamitatibus tantiſq; malis Flãdros repente oppreſſos, Ægmundanus primum ſalubri prẹſentiq; conſilio iuuit,induſtria opem tulit,celeritate tutatus eſt,labore ſuſcepto

ſalutē dedit,periculoq; fortiter adito fortiuſq; depulſo ſeruauit. Incredibili namq; celeritate ac diligentia vſus eſt in colligēdo ducēdoq; exercitu,& in confecto prēter omnium opinionem itinere, in quo conficiendo nihil eorum quę ad celeritatē pertinere putabat,poſthabuit, donec in conſpectum hoſtium veniret.Galli itaque percepto celeri Ægmundani aduentu,attoniti,celerē fugam cum rapinis adornant, atque à latere Grauelingę per fluuium et fluctus marinos ſuam Galliam incunctanter repetunt,copias ſuas inter littora et mare per arenā conglomerato ordine ductantes. Quod quum Ægmundano ſuboleuiſſet,is quam potuit celerrimè ſuas phalāges per amnem traijcit, celeriq; equitatu cis littora Gallorum exercitum anteuertit,in eādem arenam aliquantò longius deſcendens conſtitit, Gallorum exercitum rapinis onuſtum opperiens.Galli noſtratiū ſignis cōſpectis feroculos animos in calceos demittūt,ſuæ ſaluti metuūt, et fatalē diē ſibi imminere ſentiunt.A noſtratibus itaq; ſic intercepti et omni commeatu intercluſi,metuq; concuſsi, nec ſe caſtra munire, nec pedem referre poſſe conſpiciunt.In quo rerum ſtatu deploratisſimo Galli quod fors ferebat tentare,ac in noſtros priores (vt ſolent)iaculari cœperunt, quam pruriginē Ægmundanus noſter ilico reſtrīxit,et ſuſtulit.Pugnādi enim ſuis poteſtate facta cum tanta animi generoſitate primus in Gallorum aciē ad ſiniſtrum cornu irruit,cecidit & ſtrauit,vt nec ſibi periclitanti,nec hoſti repugnanti parceret, equo enim ſuo (cui inſederat glāde trāſcurſo alterum ilicò equū conſcē-

dere

dere coactus fuit. Mox Gallico equitatu pulſo,& in fugã dato,ipſe nullum ſpatium perterritis oportere dari exiſti mãs,germanicã legionem,quæ aduerſus Vaſcones præcipuũ Gallici exercitus robur cõſtiterat, qua hortatur vt equitum fuga & ſpe celeris victoriæ ſuperiorumq; temporum ſecundis prælijs milites animati, quod reliquũ erat negotij priſtina virtute & alacritate conficerent. Ipſe equo ſuo è conſpectu remoto, aciem pedibus anteibat,& in hoſtem peditum ſigna conuertit. Cum autem tali ancipiti pedeſtriq; prelio acriter aliquandiu vtrinq; pugnatum eſſet,neq; hoſtes noſtrorum impetum diutius ſuſtinere poſſent, victi, & ad internecionem cæſi ſunt omnes. Preſentiebat enim Ægmundanus oẽm victorię ſpem,ſibi in celeritate & in bene gerendi oportuna occaſione prorſus eſſe poſitam, ne ſi Galli ſeſe aduentantibus alijs auxilijs, confirmarent, & ſuas copias cũ regijs copijs quas Guiſanus adduxerat,coniunxiſſent,fore terroris ac periculi plena omnia. Ægmundano itaq; non immeritò tribui poteſt titulu ſille Cęſaris Dictatoris inter fercula triumphi Põtici, Veni,Vidi, Vici. Quam inſignis autem & clara fuerit hęc nobis victoria,& Gallis fœda,imo quam nobis fuerit commoda, lęta,& plauſibilis, & Gallis exitioſa, vel hinc conſtare arbitror, quod poſt hoc confectum prelium ne mutire quidẽ Galli amplius auſi fuerint,ſed omni prorſus ſpe exuti,ilicò ad pacẽ anhelare cœperunt. Captus fuit in eo conflictu Dux Termus,D. Villebonus,D. Sanarpontus,& ex equeſtris ordinis dignitate permulti,ſigna autem militaria ex prelio ad

Ægmundanum relata ſunt amplius quindecim,et non pauciores bombardę æneę quas duplices canones compellitãt. Cæſar autem perlatis ad ſe in Hiſpania de iſthac victoria nuncijs, non minori gaudio quam grauitate et pondere gloriosũ hoc encomiũ de Ægmũdano pronũciauit, dicebat enim in Ægmundano quatuor in primis eſſe virtutes inſignes,quę virum Principẽ & bellicæ laudis opinione ſublimẽ illuſtrant & maximè decent. Animus erectus,excelſus,& imperterritus. Prudentia cũ fortitudine & auctoritate coniuncta. Corporis robur & valetudo. Formæ quoq; liberalis decor & pulchritudo. hæc enim plurimum facit ad animos hominum beneuolentiamq; conciliandam. Poſtquam igitur ea quæ magno celſoq; animo fortiter & excellenter ab Ægmundano geſta ſunt,pleno ore laudare conueniat,quumq; in Reipublicæ periculis,nemo cum virtute & labore verſetur, quin veri,iuſti,honeſtiq; laboris ſui,quaſi mercedem & prẽmium expectet,gloriam,ſplendorem & memoriam poſteritatis: nobis quoque modis omnibus elaborandum eſt,ne hoc exiguo vitę curriculo, quod natura circumſcripſit finibus, ijſq; anguſtiſsimis, tanti viri dignitas,amplitudo & gloria vllo modo terminetur. Sed vt Ægmundani exẽplo ampliſsimi quiq; Principes ad ſimiles dignitatũ apices conſcendere curẽt,hoſtes eliminent, patriã defendãt, inq; trãquillitatem tutam reſtituãt,prudentia in amica pace gubernent,florentem reddant,patrięq; patres verè & meritò appellari gaudeãt,vitia è Republica exterminent,virtutum diuinam culturam exercere

cere ſtudeant,bonos meritis honoribus extollãt,ſcelero ſos Reipublicę noxia mẽbra abſcindant,puniant & ſup plicijs coërceant, de ea iuſtitię parte Princeps Clariſs. (vt ad te tandẽ redeat ſermo)ſuperioribus annis libellũ edidi,cui titulum inſcripſi Praxis rerum Criminalium. Quem libellũ quoniã iuſtitię ſtudioſis & officiarijs om nibus,nec ingratum nec inutilẽ comperi, vt qui paſsim locorum,etiã apud exteros, iterũ atq; iterum ad prẹlum reuocatus fuerit,atq; nũc quoq; temporis,à typographis Antuerpienſibus ad nouã editionẽ pararetur, eundem ſucciſiuis horis recognitũ locupletiorem emittere vo lui, adiectis in ipſo ſparſim contextu, annotationi bus minimè (ſpero) pœnitendis: ratus me hac quoque recognitione, ac noua acceſsione non inutilem Reipu. nauaturum operã.potiſsimum ſi,vt quemadmodum is pridem ſub auſpicijs D. Pratenſis in lucẽ primò qualiſ- qualis erat prodijt,ita hic idẽ,imò poſt multas typogra phorum preſſuras nũc minimè idẽ,ſed elimatior,terſior atq; adeò etiam locupletior, ſub tuo magnifico patroci nio,& per te in Iuſtitię candidatorum,& prẹcipuè in Of ficiariorum manus nunc denuò redeat. Tãtoq; ijs tum gratior, tum vtilior, quantò norunt omnes te patria- rum legum,& iuſtitię adminiſtratorem eſſe diligentiſsi mum,cuius Iuſtitię partem alteram hic libellus apertè commõſtrat. Erunt fortaſsis, qui hoc argumentum tua Celſitudine ſuggillabũt inferius,mihiq; parũ decorum futurum,tam leuem(vt aiũt)tractare materiam. Verũ hi preſsius conſiderẽt velim,illud paruì haud ęſtimãdum,

ſine

ſine quo vel maxima conſtare non poſſunt,quodq; totius tranquillitatis Reip. caput eſt, neruus,& ſumma: nempe,malorum punitio.Quocirca nec leuem, nec tenuem eſſe puto Criminarię rei materiam,& Iuſtitię conſeruandæ neruum fortiſsimum,neq; ob id hunc Libellum tua Excellētia indignum exiſtimo,qui Iuſtitiæ moderator es & ſummus, & diligentiſsimus.Neq; mihi ſcribenti indecorum ſpero, qui laudem hîc vener nullam, contentus qualemcunque Reip.nauaſſe operam,modo vlla in parte vtilem.Hoc igitur chartaceum munuſculum,opt.Princeps,quale quale eſt,certè tuæ Celſitudini dicatum,rogo ne deſpexeris,ſed ab animo tuæ Celſitudini deuotiſsimo profectum, lubens amplectere, tibi conſecrari permitte,ac boni conſule, quod ſi(vt ſpero)feceris,ſatis à dicaculorum morſibus vindicatum putabo. Vale Princeps clariſsimè.

Chriſtus Opt.Max. tuã Amplitudinem
Reipub. noſtræ diu ſeruet incolumem. Bruxellis,

1562.

AVTHORIS, ADVERSVS SCABIDAM maledicorum pruriginem, præmunitio.

EFFVDIMVS hic candide Lector, quicquid ad rem criminariam pertinere visum fuerat: Argumẽtum erat fertile(fateor) & fœcundum, atque in quo quis ingenij sui vires explicare facilè potuisset. Nolui tamen, quicquid hac de re sparsim meminerunt authores, aut quicquid siue vsus, siue abusus practicus nostro suppeditarat calamo huc conuectũ illinere chartis, vtiq; multarum rerũ capita tantùm attigisse, studioforumq; peruestigandi auiditatẽ vtcunq; exacuisse contentus. Porrò quum hęc materia fuerit(mea quidẽ sententia) omnium multò vtilissima, vti in qua nõ de lana caprina rixatio, nec de fallacis pecuniolæ dãno sit cõtrouersia: sed quę tũ corporis, tum animę salutẽ(qua nihil nobis neq; prius neq; potius) tota concernat, indignum fore existimaui, si eã iniquè verborum vlla magnifica sublimitate (quam tamen mihi non vendico) (absit calumnia) obscurare contendissem, maius profectò operæprecium me facturum existimãs, si ad quamplurimos humili puróque dictionis amictu isthæc prodiret vtilitas, quàm si ampullatis verbis turgescens oratio, mediocriter iurisperitis(quibus tamẽ potissimũ hic desudatur labor) ad tã necessariã vtilitatẽ potiundam intercluderet viã. Hæc itaq; apud cordatos Christianóq; candore præditos, præmonuisse contentus, fortiter æmulorum mordaces sannas contempsero.

INDEX OMNIVM
Capitul.& Titul.

Cap. 1.
De criminibus & maleficijs. pag. 2
Cap. 2
De iudicijs seu litib.(vulgò) processibus criminalibus. pag. 4
Cap. 3.
Quo pacto in iudicijs criminalibus proceden dum fuerit. pag. 5.
Cap. 4.
Qualiter ad Iudicis notitiam perueniant. pag. 6
Cap. 5.
De accusationibus. pag. 7
Cap. 6.
De denunciationibus. pag. 8
Cap. 7.
De exceptionibus criminalib. pag. 10
Cap. 8.
De inquisitionibus. pag. 11
Cap. 9.
De diffamationibus præcedentibus per famam sparsis. pag. 14
Cap. 10.
De diffamationib. per indicia, suspiciones, coniecturas, aut præsumptiones dispersis. pag. 16
Cap. 11.
De notorio. pag. 17
Cap. 12.
De commissionibus criminalib. pag. 18
Cap. 13.
De citatione. pag. 19
Cap. 14.
De annotatione bonorum. pag. 22
Cap. 15.
De citatione reali, id est, captura. pag. 23
Cap. 16.
De carceribus. pag. 33.
Cap. 17.
De carcerarijs, siue cõmentarien sib. hoc est, carcerum custodibus. pag. 45
Cap. 18.
De effractione carceris. pag. 40
Cap. 19.
De relaxatione carceratorum. pag. 43
Cap. 20.
De fideiussione in re, seu materia criminaria. pag. 47
Cap. 21.
De captiuorum, seu vinctorum aggrauatione. pag. 51
Cap. 22.
De præsentatione siue contumacia. pag. 52
Cap. 23.
De cõparitiõe in materia crimnali. pa. 52
Cap. 24.
De procuratoribus in re, siue materia criminali. pag. 53
Cap. 25.
De exoniando in materia criminum. pa. 55
Cap. 26.
De publica fide, siue(vt vocant) saluiconductu. pag. 58
Cap. 27.
De defectu, non comparitione, siue contumacia contra impetrantem in materia criminum. pag. 59.
Cap. 28.
De defectu, absentia, & non comparitione cõtra citatum. pag. 60.
Cap. 29.
De contumacijs purgandis. pag. 63.
Cap. 30.
De libello formando, seu petitione facienda in re criminali. pag. 63
Cap. 31.
De dilationibus in re criminaria. pag. 66
Cap. 32.
De respondendo per exceptionem. pag. 66
Cap. 33.
De remissione in materia criminali. pa. 68
Cap. 34.

De

De reſpondendo pede ligato. pag. 70
Cap 35.
De criminoſo tradendo torturæ. pag. 72
Cap. 36.
De indicijs tortura condignis, hoc eſt, ad tor turam ſufficientibus. pag. 74
Cap. 37.
De quæſtione ſiue tortura. pag. 81
Cap. 38.
De repetitiõe quæſtionis ſiue torturæ. p. 91
Cap. 39.
De confeſſione Rei in tortura. pag. 95
Cap. 40.
De negatione patientis in tortura. pag. 96
Cap. 41.
Qui à tortura ſint excuſandi. pag. 98
Cap. 42.
De purgatione vulgari, & principiò de monomachia, ſiue duello. pag. 100
Cap. 43.
De alia purgatione vulgari. pag. 101
Cap. 44.
De purgatione canonica. pag. 102
Cap. 45.
De purgatione legali. pag. 103
Cap. 46.
De ſeſe præſentando torturæ, contra partem aduerſam. pag. 103
Cap. 47.
De confrontatione. pag. 104
Cap. 48.
De probatione ordinaria. pag. 104
Cap. 49.
De plena probatione in materia criminali. pag. 105
Cap. 50.
De reprobatione. pag. 106
Cap. 51.
De ſaluatione. pag. 111
Cap. 52.
De concludendo in cauſſa (ſiue malis) de ipſa cauſa dedenda iuſtitiæ pag. 113
Cap. 53.
De cauſſa ſua committenda in gratiam Iudicis. pag. 115
Cap. 54.
De proceſſus viſitatione & examine. p. 116
Cap. 55.
De condemnatione & punitione in re criminali. pag. 117
Cap. 56.
De ordinaria capitali punitione in Flandria. pag. 119
Cap. 57.
De ordinaria punitione ciuili. pag. 119
Cap 58.
De exilijs ſiue bannis. pag. 119
Cap. 59.
Qui excuſandi, non puniendi, ob delicta commiſſa pag. 125.
Cap, 60.
De capitalium & publicorum criminũ multiplicitate. pag. 126
Cap. 61
De crimine læſæ Maieſta. diuinæ. pag. 127
Cap. 62.
De crimine læſæ Maieſtatis temporalis ſiue humanæ. pag. 155
Cap. 63
De ſeditionibus. pag. 158
Cap. 64.
De priuatis carceribus faciendis. pag. 160
Cap. 65.
De monetæ adulteratoribus. pag. 161
Cap. 66.
De confiſcatione bonorum. pag. 164
Cap. 67.
De cæde ſeu homicidio. pag. 166
Cap. 68.
De pluribus ac diuerſis modis homicidij. pag. 170
Cap. 69.
De homicidio manuali. pag. 171
Cap. 70.
De homicidio linguæ. pag. 171
Cap. 71.
De homicidio per conſenſum. pag. 174
Cap. 72.
De homicidio per indicta, ſeu ſigna. pa. 176
Cap. 73
De homicidio per ſortilegia. pag. 177
Cap. 74.

De homicidio per venenum. pag. 177
Cap. 75.
De inspectione occisi. pag. 181
Cap. 76.
Cui permissum occidere. pag. 185
Cap. 77.
De invasione. pag. 193
Cap. 78.
De necessaria suorum bonorum defensione. pag. 203
Cap. 79.
De necessaria proprij honoris defensione. pag. 206
Cap. 80.
De necessaria defensiõe amicorum. pa. 207
Cap. 81.
De alijs homicidijs licitis. pag. 214
Cap. 82.
De bello. pag. 216
Cap. 83.
De assasinijs. pag. 212
Cap. 84.
Qui excusandi ab homicidio. pag. 226
Cap. 85.
De homicidijs casualibus. pag. 234
Cap. 86.
De latrocinijs. pag. 238
Cap. 87.
De parricidio. pag. 243
Cap. 88.
De suiipsius homicidio. pag. 245
Cap. 89.
De adulterio. pag. 250
Cap. 90.
De permissione adulterij. pag. 260
Cap. 91.
De lenocinio. pag. 264
Cap. 92.
De stupro. pag. 267
Cap. 93.
De fornicatione. pag. 270
Cap. 94.
De incestu. pag. 271
Cap. 95.
De raptu. pag. 274
Cap. 96.
De peccato contra naturam. pag. 279
Cap. 97.
De vi publica. pag. 286
Cap. 98.
De pignorationibus, vulgò, repræsaliijs. pag. 288
Cap. 99.
De telonijs, ac alijs exactionibus. pag. 294
Cap. 100.
De vi priuata. pag. 299
Cap. 101.
De rapina. pag. 300
Cap. 102.
De latrocinio simplici. pag. 302
Cap. 103.
De incendiarijs. pag. 304
Cap. 104.
De spontaneo incendio. pag. 308
Cap. 105.
De aggerum ruptoribus. pag. 310
Cap. 106.
De violatione templorum. pag. 313
Cap. 107.
De publicæ fidei, saluegardiæ, siue securitatis violatione. pag. 318
Cap. 108.
De pacis ac induciarum violatiõe. pag. 319
Cap. 109.
De violatione sepulchrorum. pag. 321
Cap. 110.
De furto. pag. 322
Cap. 111.
De sacrilegio. pag. 338
Cap. 112.
De crimine expilatæ hæreditatis. pag. 342
Cap. 113.
De abigeatu. pag. 344
Cap. 114.
De furto incendiario. pag. 346
Cap. 115.
De peculatu. pag. 347
Cap. 116.
De receptoribus furtorum. pag. 348
Cap. 117.
De furtorum emptoribus. pag. 350
Cap. 118.

De repertis. pag. 352
Cap. 119.
De falsis. pag. 353
Cap. 120.
De falsitate per consensum. pag. 354
Cap. 121.
De falsitate in verbis. pag. 354
Cap. 122.
De falsitate scriptorum. pap. 355
Cap. 123.
De falsitate per abusum. pag. 358
Cap. 124.
De falsitate per silentium. pag. 363
Cap. 125.
De diffamatione per libellos. pag. 366
Cap. 126.
De falsis aleis. pag. 367
Cap. 127.
De translatione limitum. pag. 374
Cap. 128.
De calumnia. pag. 376
Cap. 129.
De concussione. pag. 376
Cap. 130.
De corruptione. pag. 378
Cap. 131.
De emptione officiorum. pag. 380
Cap. 132.
De monopolio. pag. 383
Cap. 133.
De coadiutoribus criminum. pag. 386
Cap. 134.
De receptione delinquentium. pag. 388
Cap. 135.
De iniurijs. pag. 390
Cap 136.
De iniurijs verborum. pag. 391
Cap. 137.
De iniurijs factorum. pag. 395
Cap. 138.
De iniurijs per scripta. pag. 198
Cap. 139.
De iniurijs per gestus. pag. 399.
Cap. 140.
De læsione & mutilatione. pag. 400
Cap. 141.
De correctione. pag. 402
Cap. 142.
De damno pecuario. pag. 404
Cap. 143.
De damno per ejecta. pag. 406
Cap. 144.
De damno generaliter. pag. 408
Cap. 145.
De pace componenda. pag. 408
Cap. 146.
De abolitionibus. pag. 412
Cap. 147.
De remissione. pag. 414
Cap. 148.
De revocatione exilij. pag. 418
Cap. 149.
De appellatione. pag. 420
Cap. 150.
De confessione maleficorum. pag. 422
Cap. 151.
De executione criminalis sentētiæ. pa. 428
Cap. 152.
De carnifice. pag. 429
Cap. 153.
De Iustitia, sive mundanæ Iustitiæ effigies. pag. 433

Finis Indicis Cap. & Titulorum.

CANDIDISSIMO CVIQVE LEGVM CIVILIVM PRAEFECTO PETR. SYL. S.

Qvisquis publica sceptra nunc gubernas,
Queis plectis nocuos, bonos tueris,
Gaudens hunc tibi compares libellum.
Quam sit frugifer hic tuis futurus
Vt claris, ita munijs periclo
Fœcundis, tibi nullus vnquam amœnis
Verborum phaleris satis probarit:
Lecto sed titulo, semélve rerum
Perspectans capita, ilicò videbis
Stipatam Comite hac necessitate
Pergratam vtilitatem. Eam parato.

A. CLAISSONII B.

Phaleucium.

LEges moribus è malis bonæ sunt
Natæ, crimina nî forent malorum,
Non iudex, neque pœna constituta
Consuetudinis, aut vigore legis
Reis sit metuenda sorditatis.
Saturno moderante regna cæli,
Virgo Astræa polo, Fidésque missæ
Terras, atque hominum genus regebant.
Tum concordia toto in orbe, rerum
Communis fuit vsus omniumque.
Tum puro radiabat orbis auro.
Sed cum posteritas sequens, parentum
Iustam, pessima, degenérque, vitam
Mutauit vitijs, & vsque peior
Successit patribus malis iuuentus:
Leges moribus è malis bonæ sunt
Natæ, criminibusq; constitutæ
Pœnæ, iudiciumque criminale.
Quod quonam. tibi sit modo exequendum

Guber-

Gubernacula qui ſedes ad vrbis
Ius vitæque, neciſque habens nocentum:
Quique per vaga rura, qui per agros
Infeſto omnia liberas latrone,
Expurgaſque nefarijs rapinis,
Iudex criminibus latrunculator:
Te Damhouderius docebit iſto
Et docto & facili ſuo libello,
Multò quàm prius auctiore facto.
Olim qui Carolo tenente Quinto
Regnum Cæſare Belgicas per oras,
Et commiſſa fide foris ſubibat,
Atque conſilio domi vigebat,
Dum ſacris rationibus vacabat:
Quando conſilium, aut profectiones
Sui æraria Principis ferebant
Pacis temporibuſque, belliciſque.
At nũc munus idem, locumque, tenet.
Magno Principe Rege ſub Philippo
Iberas dominante latè in oras.
Cui Rex pro meritis dedit, fidéque
Auratos Equites vt inter eſſet
Clarus nobilitate, clarus armis.

ALIVD.

AVxilium quondam, miſeratus iniqua minorum
Fata, Damhouderius præſidiumque tulit,
Sed nunc maiori pietatis concitus Oeſtro,
Non indefenſos ſuſtinet eſſe reos.
Et qui pupillis bona, fortunáſque tuetur,
Vitam dat miſeris, continuatque reis.
Quaſnam igitur grates, quæ præmia digna laborum
Vtraque pro tanto munere turba dabis?
Neſtoreos illi exopta ter & amplius annos
Patronumque voces ore fauente tuum.

IODOCI DAMHOVDERII BRVGENSIS IVRISC. PROOEMIVM IN RERVM CRIMINALIVM PRAXIN.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs Proœmij.

Reipublicæ interest delicta puniri. 1
Publicæ disciplinæ fauor dictat & suadet, vt maleficia puniantur. 2
Publicè interest, prouinciam malis hominibus purgari, vt in quiete permaneat. 3
Publicè interest pœnam facilè non remitti, ne ad maleficia temerè quisquam prosiliat. 4
Dare pœnas, maximi mali euitatio est, &c: 5
Castigare noxam oportet, non ob præteritum delictum, cùm id corrigi nequeat: sed ne iterum peccet, tum ne ipsius exemplo cæteri quoque peccent. &c. 6
Facilitas veniæ, incentiuum tribuit delinquendi. 7
Si ea quæ malè vsurpantur, omittimus, excessus viam alijs aperimus. 8
Punienda sunt maleficia, vt vnus pœna, metus possit esse multorum. 9
Quos ad vitæ decora, domesticæ laudis exempla non prouocant, correctionis saltem medicina compellat. 10

PRAESENTIS Praxis materiam exactiùs ac penitiùs explicare, non solùm ad Iurisconsultum, verùm etiam ad latrunculatorē multiscium & expertum pertinet. Satis tamen fuerit quomodocunq; datur, pingui (quod aiunt) Minerua, Deo Opt Max. auxiliante & suppetias ferente, eam indicare, ad huius operis sufficientiam, quantumq; huic nostro proposito seruiat: quò securiùs, clariùs, ac enucleatiùs nouerint & intelligant quid agēdum, quidue omittendum sit, qui vel nummis datis, aut parentum amicorumq; fauore, officium aliquod consecuti sunt. Ne igitur materiæ scopum præterea-
1 mus, paucis rem ipsam nunc aggrediamur. Reipublicę † interesse constat delicta puniri, ne maleficia maneant impunita. Trita l. Ita vulneratus, primo responso, in fine ff. ad l. Aquil. ibiq; nec ineleganter ait Baldus acutissi-
2 mus. Publicę disciplinæ † fauorem dictare ac suadere, vt maleficia puniantur, l. Licitatio. §. quod illicitè, ff. de publica. & vectigalib. l. Stichum, §. ta metsi, ff. de solut. l. Si longius. §. 1. ff. de iudic. vulgata, l. Capitalium, §. famosos, ff. de pœnis, c. vt famæ, extra de sentent. excommuni. His illud
3 quoque seruit. Publicè † interest, prouinciam malis hominibus purgari, vt in quiete permaneat. Notabili. l. Congruit, ff. de officio prætid. l. 2. C. quando licet vnicui. sine iudi. se vin-
4 dicare. Cùm † nō remitti pœnam, facilè publicè interfit, ne ad maleficia temere quisquam prosiliat, l. Si operis, C. de pœnis: his concordat glossa notabi-

notabilis in verbo, confusè, in fine in c. Cùm clamor, extra de testibus. Quàm autem vtilis, imò necessaria sit in delinquentes ea iusticiæ pars, quæ vindicatio à Philosophis appellatur, quam & animaduersionem vocare licebit, docet diuinus ille Plato in lib. de Republica, cùm ait: †Dare 5 pœnas maximi mali euitatio est: facit enim alibi prudentiores & iustiores, & medicina quædam iniquitatis, ipsum est iudicium. Illud verò neque deorum neque hominum vllus audebit dicere, vt ab eo qui iniustè egerit, 6 pœna non sit exigenda.† Castigare noxam oportet, non ob præteritum delictum, cùm id corrigi nequeat, sed ne iterum peccet: tum ne ipsius exemplo cęteri quoque peccent. Quod fit, 7 si †crimina non puniantur: facilitas enim venię, incentiuum tribuit delinquendi, c. vt clericorum, ext. de vita 8 & honest. cleri. &† si ea quæ malè vsurpantur, omittimus, excessus viâ alijs aperuimus, c. loci, §. proinde, 35. q. 9. c Peruenit, 90. distinct: Puniendo 9 ergo †sunt maleficia, vt vnius pœna, metus possit esse multorum. Aurea l. 1. C. ad l. Iul. repetun. d. l. Capitalium, §. famosos. His conformis est glossa in verbo pertimescat, in c. Sicut, ext. 10 de iureiurando. Et quos† ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non prouocant, correctionis saltem medicina compellat, l. vnica. C. de eměda. propin. cuius itidem meminit glossa in verbo Pœna, in priùs citato. c. vt clericorum: nonnulla ibidem allegãs nequaquam dissimilia. Sed quorsum tam multa de malefactorum pœna? nempe vt cognoscas hanc iudiciarij fori partem Prætorib. Proprætor. Consulib. Proconsulib. Magistratib. reliquisq; id genus Iusticiarijs ac Officiarijs oppidò quàm necessariam esse. Quare ad munus susceptum redeamus: & in capita aliquot vniuersæ praxis nostræ summã redigamus.

CAPVT I.

De Criminibus & Maleficijs.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs, CAP. I.

Criminum Alia { *Publica,* { *Ordinaria.* / *Extraordinaria.* ; *Priuata,* } } 1

Crimina quare dicantur publica. 2
Ad publicam vtilitatem spectat, ne crimina maneant impunita. 3
Crimina quare dicantur ordinaria. 4
Quando ordinariam pœnam potest Iudex, causſa cognita, augere. 5
Quando minuere. 6
Publica extraordinaria quare dicantur. 7
Extraordinaria quare dicantur. 8
Crimina dicuntur priuata, vna ex causſa. 9
Crimina dicuntur priuata, altera ex causſa. 10

Criminum Alia { *Capitalia.* / *non Capitalia.* } 11
Crimina capitalia sunt. 12
Crimina non capitalia sunt. 13
De iure Canonum non imponuntur pœnæ capitales, &c. 14

PRINCIPIO præmittendum † & animaduertendum est, Criminum, alia esse publica & ordinaria: Alia publica & extraordinaria, & alia priuata. Crimina publica & ordinaria sunt, vt crimen læsæ Maiestatis, Hæresis, Simoniæ, Adulterij, Homicidij, Falsi, & plurimorum nec dissimilium, quæ ex iudiciorum publicorum legibus sunt introducta. Ex eo dicta† publica, quòd eorũ executiones siue denunciationes, siue accusationes, cuilibet ex populo, pro interesse iusticię competant. §. 1. vers. Publica autem, institut. de public. iudic. l. 1. ff. eo. tit. quoniam† ad publicam vtilitatem spectat, vti sæpiusculè allegatum est, ne crimina maneant impunita. Dicuntur verò † ordinaria, quia certa pœna lege, Principis statuto, aut cõsuetudine introducta in eis statuitur: quam ordinariam non licet Iudici minuere. Nam vt Papi. resp. facti quidem quæstio in arbitrio iudicantis est, pœnæ verò persequutio non eius voluntati mandatur, sed legis autoritati reseruatur, l. 1. §. 2. ff. ad S. C. Turpil. nisi forte causa cognita, quia tum vel augere vel minuere admittitur. Augere, † quando multis grassantibus opus est exemplo, vt vnius pœna, metus sit multorum, l. 1. C. ad leg. Iul repetũ: Minuere, † quoties persona delinquens honesta est, neque deliquit nisi semel, l. Quid ergo. §. pœna grauior, ff de his qui notantur infamia, l. in seruorum, §. finali, & l. Respiciendum, ff de pœnis. Publica† autẽ extraordinaria, vt l. Iul. repetun. & l. Fla de plag. & huiusmodi de quibus habetur l. prima, ff. de publ. iudic. l. Lex Iulia, §. hodie, ff. ad l. Iul. repet. & l. finali, ff. ad l. Fla. de Pla. Ideo dicuntur† extraordinaria, quòd non sit illis certa, aut lege, aut Principis statuto, aut consuetudinis introductione constituta pœna, sed arbitrio imponitur iudicantis, & hoc secundum delicti & personæ qualitatem, c. super his, extra, de accusat. c. de causis, §. illis, extra, de offi. deleg l. 1. ad medium ff. de effract. & expilat. Porrò† priuata sunt, ob quę priuatim ad interesse nostrum agimus, nobisq; aliquid dari, aut applicari debere pro delicto in nos commisso petimus, id est, pecuniariter pro illis agimus. Aut dicuntur† priuata, quòd eorũ executiones & denunciationes siue accusationes ad illos tantùm pertineant, quibus inferuntur, vt furtum, iniuria, damnum crimen abigeatus, &c. l. finali, ff. de priua. delictis, l. finali. ff. de furtis Rursum, † dictorum criminum alia sunt capitalia, quæ vltimo supplicio afficiunt homines, veluti sunt ea, ob† quæ mors, pœna sanguinis, confiscationis bonorum aut exilij infligitur. Cætera non† capitalia, ex quibus pecuniaria, aut in corpus aliqua coercio, pœna est, l. 2. ff. de pub. iudic. § Publicorum, Instit. eo tit. De iure au

14 tem canonum non † imponuntur pœnæ capitales seu corporales, c. Cùm non ab homine, extra, de iudic. licet sint argumenta, quæ cum isthac autoritate pugnare videantur in c.2. extra de maiori. & obedient. in c. Per venerabilem, extra, qui filij sint legitimi, in c. Sicuti, §. Quia ergo, 2. q. 7. quòd hic breuitatis causſa examinare ac discutere sciens prudenſq; prætereo. Cæterùm varia præsentis materiæ ex diligenti passuum consideratione inferius declarandorum, luciditis colligi proterunt.

CAPVT II.

De iudicijs seu litibus (vulgo) processibus criminalibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 2.

Criminalium Iudiciorum, Alia { *Criminaliter intentata,* / *Ciuiliter intentata.* } 1

I *Vdicia criminalia criminaliter intentata sunt.* 2
Iudicia criminalia ciuiliter intentata sunt. 3
Iudicia criminalia secundum nonnullos sunt 4
Iudicia ciuilia sunt. 5
Criminaliter agi quando dicatur. 6
Ciuiliter agi quando dicatur. 7

QVEMADMODVM Crimina ipsa paulò antè duplici genere distinximus: ita iudicia quoq; criminalia, bifaria ratione seiunximus. Sūt
1 † enim criminalium iudiciorum alia criminaliter intentata, alia ciuiliter
2 intentata. † Iudicia criminalia criminaliter intentata sunt, in quibus tractatur de crimine capitali, siue pœna vltimi supplicij: nempe decollationis, suspendij, incendij, mutilationis, aut amputationis membri, sectionis, exilij, aut alterius cuiuscunque magnæ corporalis punitionis. Iudicia verò
3 criminalia, ciuiliter † intentata sunt, in quibus non agitur de capitali crimine: sed de mulcta duntaxat, hoc est emenda pecuniaria, aliáue ciuili animaduersione simili. Neque hîc me clā est, esse nonnullos authoritate graues ingenijq; perspicacitate celebres, qui aliquantulo diuersiùs isthæc definisse
4 videntur: vocant † enim Iudicia criminalia, quorum finis ad Reipublicæ & Fisci commodum tendit, siue pœna sit corporalis siue pecuniaria. Ciui
5 uilia † autem, quorum finis ad commodum partis tendit, quæ nec absurdè priuata dicuntur. glossa notabilis in verbo Centum aureorum, in l. Prętor, in principio, ff. de sepul. violat. quam nequaquam erubuit dicere singularem Iohan. Imolensis in Rub. de public. iudic. ad illud tritū videlicet.
6 Quòd † criminaliter agi dicitur, quando pœna postulatur applicari Fisco, vel communitati, proueniens ex de-
7 licto. Quando autē applicatur † parti, dicitur

dicitur agi ciuiliter. Idem nec diſplicuit eximio Bartolo in l. Agraria, ff. de termi. mot. Angelo Aretino Inſtitu. de actionib. in exordio: fuitque hæc opinio Innocentij in c. Qualiter & quando, 2. de accuſat. necnon doctorum in c. 1. de Iudic. & potiſsimum Abba. Panor. ſuper Rubro de Iudic. in verſic. Tertiò quæro de vtili quæſtione, recitantis varias ac diuerſas ſcribentium opiniones, quas ſtudio breuitatis poſthabemus & omittimus, atque ſtudioſo in rebus publicis non occupato, vidēdas relinquimus. Hæc rimari penitiùs, & vter modorum magis propoſito ſeruiat, examinare diſcuſsiùs, neque animus eſt, neque ipſi loco certè cōueniens, quum in ſubiectis capitibus quantum iſthæc aſſumpta materia poſtulare videbitur, abundè ſatis meminerimus.

CAPVT III.

Quo pacto in Iudicijs criminal. procedendum fuerit.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 3

1 *In iudicijs criminalibus criminaliter intentatis proceditur*
- *Ordinariè*
  - *Delatiuè. i. per querelam partis,*
  - *Probatiuè. i. quādo delata inueſtigatione, vera probātur,*
- *Extraordinariè*
  - *Summariè in cognitis,*
  - *Simpliciter, cùm res vrget maturationem*

2 Ordinariè,
3 Extraordinariè,
4 Summariè,
5 Simpliciter & de plano, } *Quando proceditur*
6 In notorijs non eſt opus iuris ordinem ſeruare.
7 Diſſimulatio aliquando bonæ iuſtitiæ nomen meretur.

1 IN iudicijs criminalibus † crimina liter intentatis nōnunquam proceditur, Ordinariè & ſecundum iuris ordinē: & aliquando extraordinariè, id eſt, iuris ordine nō ſeruato. Ordinariè, † quū adeſt perſona conquerens & offerens probare, aut quoties delicti certa veritas conſta re poteſt probatione ordinaria: Hoc caſu, dantur proceſſui omnia ac ſingula requiſita. Extraordinariè, † quando non eſt pars conquerens, ſed cùm Iudex aut Fiſcus procedit ex ſuo officio per inquiſitionem quæſtionis aut torturæ ſuper iudicijs & præſumptionibus: quo quidem caſu proceditur nonnunquam ſummariè, aliquando ſimpliciter, de plano, & ſine ſtrepitu ac apparente forma iudicij. 4 Summariè, † quum crimen iudici notum eſt: tum enim iuris ordinem ſeruare non eſt neceſſe. Attamen ſic in notorijs criminibus iuris ordinem non ſeruare, eſt nihilominus ſecun-

dum iuris ordinem procedere, c. Ad
nostram.3.extr.de iureiuran.Recepti
iuris est,quòd in notorijs non est ne-
cessaria accusatio, vel denunciatio,
vel inquisitio, vel exceptio, de qui-
5 bus infrà dicemus, † Simpliciter de
plano & sine strepitu & figura iudi-
cij,quum negotium celeritatem desi
derat,adeò vt mora ac dilatione ma-
ius dispendium, periculum, & incon
ueniens Reipublicæ imminere pos-
set, veluti tempore commotionis
aut seditionis:quo quidem tempore
quatuor aut quinque ex præcipuis
seditiosis subita decollatione tollun
tur è medio: ac postea disputatur,
æquo ne iure sublati sint. Nam in
6 † huiusmodi notorijs nequaquam
opus est iuris ordinem seruare, præ-
citato c.Ad nostram.3. Si verò iudici
perspectum fuerit occasione tempo-
ris, ex huiusmodi subita punitione
plus mali quã boni Reipublicæ pos-
se oriri, eo tempore iudex dissimu-
lanter ac conniuenter iustitiã pro-
7 trahet. Atque † eo tempore talis dis-
simulatio veræ bonæq; iustitiæ no-
men merebitur.

CAPVT IIII.

Qualiter crimina ad Iudicis notitiam perueniant.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs, CAP. 4.

1 *Crimina varijs modis ad Iudicis peruenunt notitiam*
- *Ordinariè*
  - *Accusatione,*
- *Extraordinariè*
  - *Denunciatione.*
  - *Exceptione.*
  - *Inquisitione.*

2 *Accusationis*
3 *Denunciationis*
4 *Exceptionis*
5 *Inquisitionis*
} *Definitio seu descriptio.*

1 SIgnandum nunc est, Crimina
varijs † multisq; modis ad Iudi-
cis peruenire notitiam: nempe
Ordinariè, Accusatione. Rursum ex-
2 traordinariè, Denunciatione, Excep-
tione, & Inquisitione. Est autem † Ac
cusatio siue accusare (quod idem est
Azone teste in summa tit. de accusa-
tionib in principio) quempiam in li-
bello reum criminis deferre, vel cri-
minis reum ad vindictam efficere.
Vide Hostiensem in summa eod. tit.
in exordio, ecnon D. Iohannem Ol
dedorpium virum in iurium studijs
doctissimum, in suo libello de Copia
verborum & rerum in iure ciuili, di-
centem: Accusare est apud Iudicem
causari, aliquem peccasse. Denuncia-
3 re † siue denunciatio, est alicuius cri-
men ad superiorem nunciare. Præfa-
tus Hostiensis in summa, tit.eod. de
accusat.hanc ita definit: Denunciatio
est criminis alicuius apud Iudicẽ sine
inscriptione legitimè facta, delatio,
ad pœnitentiam peragendam, vel
aliam legitimam pœnam imponen-
dam, vel etiam ad vtrunq; &c. Exce-
4 ptio † siue excipere, est parti crimen
im-

imponere in iudicio siue iudicialiter ad aliquam defensionem, tanquam propositò subseruiens, cum protestatione, ac animo non iniuriandi, vide Specul. lib. 3. par. 1. tit. de criminibus in modũ excep. pro. † Inquisitio, est alicuius criminis per superiorem respectu inferiorum suorum inuestiga tio, vt in tit. de Accusat. inquisit. & denunciat. Cæterùm qua forma in accusatione, denũciatiõe, exceptione, ac inquisitione procedendum fuerit, latiùs infrà suo loco dicendũ produximus: nunc hasce definitiones vtcũque tetigisse, abundè hîc fuerit satis.

CAPVT V.

De Accusationibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 5.

IN Iudicijs criminalibus proceditur accusatione. 1
Absque accusatore seu accusatione nemo venit condemnandus. 2
Antiqua iura scripta, quemlibet legitimum & idoneum criminaliter accusantem admittebant. 3
Accusator, ad quæ de iure cogebatur. 4
Accusatori sine vinculo inscriptionis ex commun vsu, accusare conceditur. 5
Accusare volens alium criminaliter, habeat suas probationes, luce meridiana clariores paratas. 6
Quorundam opinio. 7
Accusator succumbens quibus obnoxius. 8

1 IN omnib⁹ iudicijs† criminalibus necessariò proceditur accusatione. 2 Nã absq; †accusatore seu accusatione vlla, nemo producitur condẽnãdus. l. Rescriptio, §. si quis accusatorẽ, ff. de muneribus & honorib. l. 3. C. de his qui accusa. non possunt, c. vnico, ext. vt eccl. benef. sine diminu. conferan. c. Relatũ, 5. q. 3. & c. De manifesta. 2. q. 1. Quamobrem nec Dominus noster Iesus Christus mulierem repertam in adulterio, condemnare voluit, quòd nemo ipsam adulterij accusauerat: nec Iudam eijcere, cum fuisset fur, quòd nemo 3 eum furti accusauerat. Antiqua † autem iura scripta, quemlibet dignum, legitimum & idoneum criminaliter accusantem, apud Iudicem omnis criminis aut sceleris publici admitte 4 bant. Sed interim† hic accusator cogebatur sese mancipare carceri, ac in scriptionis vinculum assumere: hoc est, ad pœnã talionis semet obstringere, nisi delata legitimo testimonio cõ probasset. Nẽpe vnã eandemq; subire pœnam, quam reus vera accusatoris delatione, veraq; cõprobatione iure suscepisset: vel certè talẽ pœnã quam ipse accusator, sua delatione spectare & intẽdere videbatur, l. fin. C. de accusat. & inscri. quę lex partim canonizata reperitur in c. Quisquis, et in c. Qui crimẽ, 2. q. 8. atq; gloss. in c. Superhis, ext. de accusat. denuncia. & inquisit. 5 Sed quoniam huiusmodi iuris† ratio ac inscribendi, sesèq; in carcerem trahendi solennitas nimiùm austera nimisque rigida fuerat, vt hac de caussa multi etiam maleficentissimum quemque, atque adeò Reipublicæ etiam sceleratissimum ac-

cusare timerent,censentes satius esse propriæ saluti consulere,quàm forsitan cum iactura vitæ,accusatione sua temeraria alterius vitam auferre vel le:ideo stylo & consuetudine præfatum ius meritò antiquatum est:ac introductũ vt quilibet liberè tutoque posset accusare & criminaliter cõclu dere sine timore alicuius pœnæ aut mulctę:& quòd pars duntaxat concludat ad emendam ciuilem,& ita habet communiter vsus. Nihilominus 6 tamen pars † formalis , aut volens alium accusare criminaliter, oportet habeat suas probationes paratas, quæ in talibus plenę & clarissimæ requiruntur,l.Is apud quem.C.de edẽ. vulgatissima,l. Sciant cuncti. C. de probat.quam legem verbotenus canonizatam legimus in c. Sciant cuncti, 2. q.8. Et 7 secundum † nonnullos obligatur tale iudicium criminale seu (vulgò) processum proprijs sumptibus & expensis deducere:& succum- 8 bens † condemnari ad detrimenti, imò ad totius iusticiæ reparationem, atq; rei ipsius perperàm per ipsum accusati omnibus detrimentis & incõmodis facere satis: deinde de iniqua vanaq; proximi accusatione (vulgò **vande wandlaeghe**) acrem dignamq; subire supplicij pœnam, non quidem talionis atq; delato crimini parẽ: sed iudicis arbitrio imponendam.

CAPVT VI.

De Denunciationibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 6

1 *Iura* { *Ciuilia* } *Quos ad denunciandum admittunt.*
2 { *Pontificia* }
3 *Infamis,*
4 *Vilis,*
5 *Conspirator,* } *non denunciant.*
6 *Inimicus,*

Bonæ vitæ,famæ, & conuersationis,qui ex charitate & non ex odij fomite procedit denunciare admittitur. 7
Denunciationes oportet esse veras. 8
Inter accusatorem & denunciatorem differentia. 9
Denuncians ad quæ obligatur. 10
Denuncians nonnunquam obligatur iurare denunciationem veram esse. 11
Iudex,Fiscus,& similes in denunciatione ad quæ animaduertere obligantur. 12
Finis denunciationis. 13

1 IVRA Ciuilia† neminẽ ad denunciandum admittunt,nisi officiarios ad id muneris ordinatos : veluti messarios,saltuarios,forestarios, cliẽtes,satellites,apparitores, catholicianos,amanos,atq; id genus non dissimiles:quorum sunt partes,virtute iuramenti præstiti,crimina bene legitimeq; Iudicibus,Magistratibus, Iustitiarijs,vel Officiarijs denunciare,quibus tamen non nisi in minutulis,leuibusq; criminibus fides habenda fuerit:In magnis grauibusq; criminibus minimè: nisi forsitan quum Iudex, Magistra-

Magiſtratus, Iuſtitiarius, Officiarius, aut Fiſcus de illis grauioribus crimi nibus exactiùs penitiuſq; ſciſcitari ve
2 lit & inquirere. Iure verò † Pontificio etiam quiuis quorum intereſſe ratione aliqua poſſet, admittuntur, c. Illa præpoſitorum, ext. de accuſat. & ibi Panor. eiuſq; ſequaces. Idem ſimiliter recipit & eos, qui recto vtilitatis publicæ deſiderio moti, atque adeò vero Iuſtitiæ excitati zelo, quẽ libet de quocunque etiam crimine denunciant: modò hic tamen denun
3 cians non ſit infamis, infamia † iuris & facti, ſecundũ Canones aut iuris tantum, ſecundum leges, c. 1. & ibi Panor. & alij ſcriben: ext. eod. ti. de ac-
4 cuſat. Neque † etiam vilis perſona fue
5 rit, aut † conſpirator quiſpiã. c. Cùm dilectus, ext. eod. de accuſat. Neque
6 † inimicus, c. Repellantur, eod. tractatu: Neque ex odio aut ea conditione denunciare videatur, vt denunciatus puniatur aliqua pœna canonica, aut legali: ſed eò duntaxat ſpectet, vt ipſius delati ſaluti conſulat: vt vel hoc pacto, nempe iuſta atque euangelica correptione ſuperioris, tandem reſipiſcat: Alijſq; ſimili metu, ac pudore perterriti coërceantur, ne liberiùs impunitiuſue peccent. Quiſquis verò alio animo confratrem deferre paruit, iure ab huiuſmodi denunciatione reiectabitur. Sed qui bo
7 næ † vitæ, famæ & cõuerſationis fuerit, qui ad hoc ex charitate procedit, nec ex odij fomite denunciare conſpicitur, indubiè admittitur, c. Repellantur, & c. Qualiter, ext. de accuſat.
8 Quamobrem † denunciationes omnes oportet eſſe veras, alioqui denunciator iſte ad detrimenti, imò ad totius iuſtitiæ reparationem deuinciretur, atq; ipſius etiam rei perperàm per ipſum denunciati, omnibus detrimentis & incõmodis facere ſatis obligaretur Iudicis arbitrio, aut (vt quibuſdã placet) ad pœnã etiã talionis.
9 Hoc tamẽ inter † accuſatorẽ & denunciatorẽ intereſſe ſciendũ, quòd accuſator inſcribere ſe cogatur, accuſationẽ ſuam pronunciare, Fiſco aſsiſtere, Iudicium interdũ ſuis ſumptibus proſequi. † Denunciator verò horum nihil præſtare cogitur, nec ſe inſcribere nec denunciationem ſuam pronunciare, nec Fiſco aſsiſtere, neque litem ſuis proſequi ſumptibus: ſed duntaxat obligatur oſtendere ea quæ de illo crimine nouit, atque etiam nominare teſtes, criminis huiuſmodi conſcios, c. Super his, ext. de accuſat. Etiã
11 q; † iurare (inquantum Iudici, Magiſtratui, Iuſtitiario, Officiario, aut Fiſco placeat) obligatur, ſuam denunciationem eſſe veram, & non facere calumniæ cauſſa, c. Veniens, ext. de ac-
12 cuſat. & ibi Iohan. And. Iudicis † interim fuerit, atque ipſius etiam Magiſtratus, Iuſtitiarij, Officiarij, aut Fiſci (priuſquam denunciationem quampiam acceptent) diligenter introſpicere ac animaduertere perſonæ denunciantis qualitatem, ingenium, mores, omneſq; conditiones, necnon ſtudioſè & accuratè perſcrutari ſingulas tam denunciatoris quàm aliarum rerum penè omnium circunſtãtias, ne cui (quod huiuſmodi rerum neglectu fieri poteſt) temere odioſam moleſtiam pariat, ac fruſtra in graues
13 expenſas inducat. † Finis igitur ſeu effectus denunciatoris eſt, vt Iudex, Magiſtratus, Iuſtitiarius, Officiarius, aut Fiſcus, denunciatione audita, inquirat vera ne ſit an falſa eiuſmodi denunciatio, & ſi denunciata cuncta vera reperiat, illico correpturus procedat in delinquentem ſeu maleficum.

CA-

CAPVT VII.

De exceptionibus criminalibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 7.

CRimen in modum exceptionis, secundum ius canonicum & ciuile diuersimodè proponi dicitur. 1
Crimen obiectum & probatum, quem habet effectum. 2
Nullum malum remanet impunitum. 3
Exceptio non extendit sese latiùs, quàm ad finem ad quem proposita est. 4
Fisco aut officiario quid liceat. 5
Fiscus & similes Ius, Consuetudinem, vel stylum obseruare tenentur. 6

REis omnibus non minùs ciuili iure, quàm canonico probabili sanè ratione permissum inuenimus, vt aliis pro sua defensiõe crimina quæpiam impingãt, vt certè vel hoc pacto semet tutentur ab aduersarijs. Id autem efficiũt multifariam. Excepturi † enim non-
1 nunquam iudici ipsi criminis notam obijciunt, aliâs actori, ali quando testibus, postremò literis instrumentalibus, aliisue documentis ipsi reo contrarijs, modò tamen isthæc in exceptione proposita veritati fuerint consentanea: alioquin si falsitatis ea con-
4 uicta fuerint, & reus falsa sua exceptione succumbens nil probauerit, ad iusticiæ partisq; læsæ reparationẽ, obligatur, pro delicti falso illati quã titate & magnitudine: pro ipsius etiã iniuriati qualitate, ad iudicis arbi-
2 trium. Verũ quisquis † exceperit criminaliter, & etiam probauerit in exceptione obiecta, non ideo punitur pars, cui obiecta fuerat exceptio: neq; etiam ob hoc in infamiæ notam inci-
6 dit, sed in hoc iudicio seu processũdũ taxat per reum à iudicio ferendo, siue à testimonio, siue ab accusatione probati sceleris caussa, iustè repelli-
3 tur, l. Lucius. ff. de his qui not. infa. c. Cum dilectus. § final. ext. de ord. cogni. c. Super eo, ext. de testib. & c. 1. ext. de excep. Porrò † quò nullũ malum impunitum remaneat iuxta. l. Ita vulneratus. § quod si quis. versi. cum neque. ff. ad l. Aquil. & l. Licitatio. §. quod illicitè, ff. de publica. & vectigali. cum sine numero nec dissimilibus iuribus, & vt per rei impositionẽ pro criminis obiectiõe iure plecti posset, denuò intentandum fuerit nouum iudiciũ, seu (vt vulgò loquimur) processus contra talem per exceptionem,
4 accusatum. Non enim † sese latiùs extendit quæuis exceptio, quam ad finem, ad quam proposita est: nempe ad iudicem à cognoscendo, partem ab agendo, testes à deponendo, & documenta seu instrumenta ab aliquid operando seu probando, repel-
5 lendum. Sed † fisco aut simili officiario, audita exceptione, suam actionem ea de caussa intentare, conclusionem criminalem capere super verificatione partis, integrum erit. Aut † certè ad eum modum, quo de iure, consuetudine, stylo, vel ex consilio factitandum videbitur.

CAP.

CAPVT VIII.

De inquisitionibus.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 8.

INquisitio (vulgò) Informatio. 1
Inquisitio semper ex iudicis officio fit. 2
Solus Iudex, aut eius potestatem habens, inquirere potest. 3
Ad inquisitionem debitam, multa concurrunt necessaria. 4
Subditus { *Originis* / *Delicti* } *ratione* 5
Inquisitio fit de maioribus criminibus. 6
Inquisitio non fit de leuibus criminibus. 7
Inquisitionem præcedit publica fama. 8
Contra indiffamatos minimè inquiri potest. 9
Fama in maleficijs initium habere debet à personis fide dignis. 10
Ante inquisitionem necessum est crimen esse commissum. 11
Inquisitio in decenti ac forma debita redigi debet. 12
Quando debita ac decens forma intelligitur. 13
Inquisitio triplex. { *Generalis.* / *Specialis.* / *Generalis simul & specialis.* } 14
Inquisitio generalis non requirit famam publicam præcedere. 15
Inquisitio specialis famam publicam præcedentem requirit. 16
Inquisitio generalissima secundum Panor. 17
Inquisitio specialis secundum eundem. 18
Inquisitiones duntaxat seruiunt ad præparandum, & nequaquam ad instruendum iudicium. 19
Iudex de iure obligatur dare parti inquisitionis copiam factæ ad instantiã partis. 20
In inquisitione facta, ex mero iudicis officio absque alicuius requisitione non traditur reo inquisitionis copia. 21
In Flandriæ consilio ac praxi Procurator generalis nunquam tradit parti inquisitionis seu informationis præcedentis copiam. 22
Iudex ac fiscus in multis Flandriæ Curijs obligantur dare parti testium nomina ac cognomina, necnon totius inquisitionis copiam. 23
Iudex & fiscus inquirunt duntaxat de crimine intra viginti annos, admisso: supra verò viginti annos, nequaquam. 24
Inquisitio siue officium iudicis inquirentis, tollitur viginti annis. 25
L. Querela. C. ad l. Cornel. de falsi. duntaxat habet locum in foro fori: secus in foro poli. 26

1 Inquisitio † (quam vulgò informationem præcedentem appella-
2 mus) ex iudicis &† officio & autori-
3 tate, semper fiat necessum est. Nemo † enim nisi solus Iudex, aut Iudi-
4 cis potestatem habens, de crimine efficaciter inquirere potest. Atque † ad debitam verámque inquisitionem multa concurrunt necessaria. Principiò, vt inquisitor fit Iudex

Iudex competens ac proprius, potẽs de crimine cognoſcere: nempe vt is, de quo inquiſitionem ſit productu-
rus, ſuo tribunali ſubiectus fuerit, aut certè vt crimen illud ac delictum in ditione iuriſdictioneq; ſua com-
5 miſſum eſſe conſtet. Subditum † autem intellige, vel originis vel delicti ratione, l. 1. & in Authent. Qua in pro uincia. C. vbi de cri. agi opor. Aliàs inquiſitio eſſet nulla, l. 1. & per totum titulum. C. Si à non compet. iudic.
6 Ad hæc requiritur, † vt crimẽ ſit magnum, inquiſitione dignum: non enim inquirendum eſt, niſi de maioribus criminibus, puta læſæ Maieſtatis, Homicidij, Sodomiæ, Simonię, Adulterij Periurij, Inceſtus, Raptus, Furti, & huiuſmodi, quorum capitibus ſequẽ tibus, (quantum materia ſubiecta poſtulet) abundè mentionem faciemus.
7 De leuibus † autem ac de diſſimulandis criminibus nequaquam inquiritur, l leuia. ff. de accuſat. c. Inquiſitionis, extra eodem titulo de accuſ. Ter tiò oportet præcedere famam veriſimilem, quæ Iudicem de commiſſo aut perpetrato crimine indagando excitet, & inquiſitionis occaſionem
8 præbeat. Non † enim poteſt ad inquiſitionem procedi, niſi præceſſerit publica fama, tãta quę offendiculũ populo præbeat, adeò vt abſq; periculo tolerari non poſsit, vt in c. 1. c. Cùm oportet, c. Ad petitionem, c. Inquiſitionis. & c. Qualiter & quando, 2. extra de accuſat. contra † enim indiffamatos minimè inquiri poteſt. Quartò, ne fama hæc ſiue potiùs diffamatio præcedens fingatur à maleuolis,
9 à maledicis, à criminoſis, ab inimicis
10 & ſuſpectis: ſed potiùs ab † honeſtis, prudentibus, veridicis, viriſq; fide digniſsimis, néue ſemel duntaxat ſparſa audita fuerit: ſed vt frequenti ſermone, atque adeò in probatorum hominum ore, increbuerit, præcitato c. Qualiter & quando, 2. c. Iudicet, 3. q. 7. c. Cùm oporteat, eo. titu. de accuſat. c. In cunctis, & ibi gloſ. in verbo maledicorum. 11. q. 3. c. licet Heli. verſic. Contra quos, de Simonia, & l. miles. §. mulier, & ibi notatur, ff. ad l. Iul. de adulte. & ſtup. Quintò, neceſ
11 ſum † eſt inquiſitori certum eſſe, crimen commiſſum ac perpetratum eſſe, de quo inquiſitionem ſit facturus. Contigit namque aliquando inquiſitionem factam de homicidio, necdum perpetrato, nempe viro læſo etiamnum viuente: & informationem factam ex leui rumore vulgi de incendio domus, quæ tamen pòſt in-
12 tegra inueniebatur & illęſa. † Sextò, debet inquiſitio ſeu informatio inde cẽti ac forma debita redigi: nam ſi in forma iſthæc peccaret, inualida eſſet, nullius momenti, nulliuſq; roboris, vt in c. Inquiſitionis, & in c Qualiter & quando, 2. extra de accuſat. facit, l.
13 1. ſi menſ. falſ. mod. dixe. † Intelliges debitam ac decentem formam, quoties ſubſtantialia informationis non omittuntur, vtpote per quem facta, quando, quo loco, cuius iuſſu, ætates, iuramenta, nomina, cognomina, qualitates, domicilia teſtium, & huiuſmodi circunſtantiæ. Neminẽ autem hic præterire volumus, Inquiſitionẽ
14 eſſe triplicem. Prima, † nempe generalis eſt ſimpliciter, & perſonarum & delictorum reſpectu, vtpote cùm Præſes, Iudex, aut Fiſcus generaliter inquirit, an ſint homines facinoroſi: an ſcelera vſquam latenter ſuppullulẽt, aut commiſſa fuerint, de qua in inſi-
15 gni, l. Congruit ff. de offic. præſid. † vt prouincia facinoroſis hominibus purgetur, vt in quiete permaneat. Et in hac inquiſitione generali minimè neceſſaria eſt fama: ſed eo caſu proceditur generali apprehẽſione per curſoriam

ſoriam,leuem, ſiue plebeiã quãpiam vicatim perueſtigationem.Altera ſpecialis eſt ſimpliciter,idq; perſonarum etiam ac delictorum ratione: vt cùm de certo,finito, ſeu limitato delicto, contra certum,& finitam ſeu limitatam perſonam Præſes, † Iudex,Prælatus,vel Fiſcus inquirit:de qua in l. Ea quidem,C.de accuſat. & ibi neceſſariò deſideratur fama, vel diffamatio præcedens, quemadmodum ſuperiùs meminimus, alioqui ipſa informatio eſſet nulla, parte ſcilicet refellente ac contradicente. Tertia, Generalis ſimul & ſpecialis, generalis vtrq; ad perſonas, ad delicta autẽ ſpecialis,vt cùm Præſes in genere vel vniuerſaliter inquirit de ijs qui Socratem occiderunt:vel contrà, generalis ad delicta, & ad perſonas ſpecialis: vt cum Poteſtas,aut alius punitur ad Syndica: Attamen ſecundum D. Abbatem Panormitanum in præallegato c.Qualiter & quando,2. numeris 11.12.& 13.extra de accuſat.Alia datur † inquiſitionis diſtinctio. Nam alia eſt Generaliſsima , qua inquiritur ſuper ſtatu alicuius Ciuitatis, Arcis, Caſtri,vel loci.Alia dicitur ſpecialis:†qua inquiritur contra certam perſonam,ſiue ad imponendam pœnam,ſiue ad ſcelera extirpanda ex debito officij: hanc diſtinctionem pie lector precor ne ibi videre pigeat.Porrò in inquiſitionibus nec Præſes, nec Iudex,nec Fiſcus aſtringuntur ad aliquas conſtitutas leges,aut ad ſolennitatem illã,quæ debet obſeruari in inquiſitionibus ſeu in informationibus ordinarijs,quia non vocãt partẽ aduerſam vt videat informationẽ fieri, aut vt videat teſtes iurare,nec etiam tradũt huic aduerſario nomina aut cognomina teſtiũ, vt his omnibus p exceptionẽ obueniat,cunctaq; refellere poſſet,idq; ſecundum receptum vſum,ſtylum,& conſuetudinem.Cuius ratio eſt, † quòd inquiſitiones duntaxat ſeruiunt ad præparandum, & nequaquam ad inſtruendum iudicium,ac vt illius virtute quis condemnetur aut abſoluatur: quorſum tamen ſeruiunt & ſpectant inquiſitiones ſeu informationes ordinariæ.Tametſi autem in inquiſitionibus per Iudicem aut Fiſcum aut quempiam ex ipſorum mandato peragendis nec ante nec poſt litis conteſtationem vocanda fuerit pars,ad videndam informationis deductionem vel ad audienda teſtium iuramenta:de iure tamen,& † Iudex & Fiſcus obligãtur dare parti inquiſitionis copiã, priuſquam partem ream cogere poſsint ad reſpondendũ, potiſsimùm ſi fuiſſet facta inquiſitio ex autoritate,voto,& mandato ad inſtantiam ſeu requeſtam partis, teſte Angelo ſummi iudicij viro,in l.Si vacãtia. C. de bo. vacan.lib.10, ver.quinto not.in ver. Item fallit; Sin autem facta † ea fuerit ex mero iudicis officio abſq; alicuius requiſitione,non debet reo de iure tradi informationis copia. Ita D.Angelus in d.l.Si vacãtia.In †praxi autem ſeu conſilio Flandriæ,Procurator generalis nunquam dat parti inquiſitionis ſeu informationis præcedentis copiam:licèt id fieri videamus in multis alijs Flandriæ † Curiis:vbi obligantur,accuſato aut denunciato etiam dare teſtium nomina ac cognomina,necnon totius inquiſitionis ſeu informationis copiã, ſi quando id poſtulet. † Poſtremò ſciendum eſt, quòd Iudex, Fiſcus, aut ſimilis debet tantum inquirere de criminibus intra viginti annos admiſsis,computando ab ipſo die commiſsi criminis:ſupra verò viginti annos nequaquam, l. Querela. C. ad l. Corn.de falſ.quam legem inquiunt notabilem

16 17 18 19 20 21 22 23 24

notabilem & ſingularem magnus ille Bartolus, necnon Baldus, & Angelus ibidem, quos Iuriſperiti pro numinibus colunt: quam legẽ & ego cenſeo ſemper præſenti memoria tenendã, ac quaſi ad vnguem, pro amici liberatione perpetuò habendam. c. Cùm venerabilis, ext. de excep. gloſ. in c. 1. in verbo Per ſententiam, eod. de tit. de excep. Itaq; † inquiſitio ſiue officium iudicis inquirentis tollitur viginti annis. d c. Qualiter & quando, 2. Bartolo, Angelo, Saliceto, & cõmuniter doctoribus teſtibus, ita fixo pede tenentibus in d. l. Querela, qui gloſſæ opinionem contrarium ſuſtinentis, expreſsim reprobant. Quæ † quidem l. Querela, duntaxat habet locum in foro fori: ſecus in foro poli, conſcientiæ ſiue animæ. Panor. in c. Cũ haberet, ext. de eo qui dux. in matri. quam polu. per adulter per c. Cum tanto, ext. de conſuetud. & in d. c. Cum haberet, notabiliter diſtinguit Panor. quẽ omnino in 3. notabili videndum non diſſuaſerim. Aliarum tamen limitationum, ad d l. Querela abũdè meminit præclarus I. V. Doctor D. Iohãnes Franciſcus Balbus in ſuo perutili & ſubtili tractatu Præſcriptionum. §. Secundò quæro: ad quem prolixitatis euitandæ cauſa, lectorem, caſu occurrente, remitto.

CAPVT IX.

De diffamationibus præcedentibus per famam ſparſis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 9.

Iudex aut Fiſcus habens duntaxat famam pro inquiſitione facienda, ad quæ obligatur. 1

Fama quæ originem ſumpſit ex { *Ebrioſis, Leui plebecula, Inimicis, Aduerſarijs maleuolis,* } *ad alicuius diffamationem eſt inualida.*

Fama recẽs orta, aut quæ poſt capturã demũ exoriri cœpit, ipſum reũ nõ diffamat. 6

Fama ſola nullis alijs indicijs fulta, nihil efficit. 7

Fama vnico teſte non ſuſpecto de caſu facto, ipſo loquente, ſufficit ad inquiſitionẽ ineundam, ad capturam, ad arreſtam, denique ad torturæ etiam ſubinde ſupplicium. 8

Diffamatio omnis inquiſitione digna, naſci debet ex viris probis, &c. 9

Famæ actores ſunt nominandi. 10

Opiniones circa numerum proborum virorum, ad probandam iuſtã diffamiam. 11

Aequa & nequaquam irrationabilis opinio. 12

Ad famæ probationẽ duos teſtes haud ſuſpectos ſufficere (etiã autorit. euãgelica) aiũt. 13

Fama qualiter probetur remiſsiuè. 14

SIiudex aut Fiſcus pro inquiſitione ſua producenda, nihil habuerit explorati, nihilq; certi nouerit, quàm quæ qualicunque fama aliquando percepiſſet, longè profectò ab omni æquitatis tramit deuiaret, ſi huiuſmodi rumuſculi (plerunque falſi) fama fretus, inquiſitionem ſuam tentare præſumeret. Neceſſe † enim eſt pſum, antequam eam eam inquiſitio-

sitionem aggrediatur, rite atque per omnia edoctum, benéque de isthac fama informatum esse, & exactè cognoscere, cuiusnam ex ore primò prodierit, qua occasione exorta.
2 Num † ex ebriosis, aliáue leui † plebecula surrexerit: num ex † inimicis:
3 ex aduersarijs † maleuolis: quando
4 quidem hæc † omnia ad alicuius diffa
5 mationem (cuius gratia fieret inquisitio) sunt inualida, sicuti capite etiam præcedenti non nihil meminimus.
6 Similiter fama † nunc recens orta, aut quæ post capturam demum exoriri cœpit, nulla est, neque ipsum reum diffamat, potissimum informatione celebrari cœpta. Bartolus in l. Maritus in frontispicio, & in l. De minore .§. Tormenta inversic. Quero ex quo tempore &c. ff. de quæstionibus, & Bald. & Imol. in l. Is potest. ff. de ac-
7 quiren. possess. Itidem nihil † efficit fama sola, nullis alijs apertis indicijs sulta. glossa celebri in verbo Illorum & Doctoribus testibus in c. veniens, 1. ex
8 tra de testibus. Porrò fama, † vnico teste, nulla suspicionis caussa refellendo, de casu factoq; ipso loquēte, sufficit ad inquisitionem ineundam, ad capturam, ad arrestam: Denique ad torturæ etiam subinde supplicium.
9 Debet igitur † omnis diffamatio inquisitione digna nasci ex viris probis constantibus, morum grauitate fidendis, nullo vitio nulláue alia circunstantia suspectis, c. Qualiter & quando. 2. c. Cum oporteat, extra de accusat. c. Iudicet. 3. q. 7. c. In cunctis & ibi glos. in verbo Maledicorum, 11. q.
10 3. quam ob rem famæ † aut ores seu actores nominare oportet, quò sciatur, quæ personæ sint, & an possint reprobari, l. Si quis decurio. C. de falsi.
11 & in Authent. Hodie. C. de repud. De istorum autem numero, ad † probandam iustam diffamiam, non satis conuenit inter iurisperitos. Sunt enim qui huiusmodi famam vel diffamiam constare velint decem bonorum proborumq; virorum testimonio, vno eodemq; ore loquentium, cuius meminit (licèt reprobauit & meritò) amicus veritatis Barti. in d. l. De minore .§. Tormenta, ff. de quæstionib. Alij reorum saluti addictiores contēdunt non nisi vigintiquinque aut mininū viginti bonorum virorum testimonia reum posse diffamare. Nonnullis placet famam fieri validam maiori testium alicuius vicinię numero, vbi
12 res contigisse narratur. Alijs † verò (quod mihi quoque probatur maximè) nullus certus proborum virorū de diffamia stabilienda constituitur numerus, neque hunc etiam iura præscribunt, sed Iudicis prudentiæ hic
13 planè committitur. Sunt † denique qui dicant (etiam autoritate euangelica) ad famæ probationem duos testes haud suspectos sufficere, quatenꝰ ipsorum testimonia apparenti rationi consentiant, vt simul edicant suæ notitiæ caussam, à quibus sua ista testata didicerint: atque vt hic nomi nent viros probos & honestos. c. In
14 omni. & c. Licet vniuersis ext. de testib. Qualiter † autem fama probetur, atque per quot testes, lubebit videre per glos. & doctores in admodū trita. l. 3. §. eiusdem. ff. de testib. Cætera quippe, quæ pertinerent ad huius materiæ amplioré enodationem, breuitatis studio, prætereo. Sed plura desiderantem ac expectantem remitto ad dominos, Bartolum in præcitata l. de Minore, §. Tormēta, ff. de quęstionib. & ibi Dy. & Cy. Abbatem & Felinū in c. Veniens primo, iuncta ibidem glos. singulari ac celebri, in verbo Illorū, ext. de testib. Amedeū Iustinū de Castello in suo insigni tractatu Syndicatus, atque ad quosuis etiā isto-

istorum posteros, quorum opiniones, dogmata, & interpretationes in hac materia, & nostra ætate omnes passim sequentes, constanter laudant & asserunt.

CAPVT X.

De diffamationibus per indicia, suspiciones, coniecturas, aut præsumptiones, disparsis.

Summæ rerum tractatarum in Commen. CAP. 10.

IVdex aut Fiscus, si pro inquisitione sua producenda præter coniecturas, præsumptiones, indicia aut suspiciones habuerit nihil, obligatur seipsum de illis informare. 1

Indicia quæ sunt? 2

Indicia ex quibus oriuntur? 3

Malæ conuersationis descriptio. 4

Ex mala, cum malo conuersatione, ipse etiam bonus, malus efficitur. 5

Qualis quisque est, tali socio delectabitur. 6

Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. 7

Ex locorum varietate, varia coniectura ducitur, indicium seu præsumptio. 8

Fuga haud dubiè non mediocrem suspicionem ac indicium parit. 9

Iudex quæ indagare obligatur. 10

De vnoquoque bonum vel malum præsumimus, consideratis primæ ætatis suæ moribus. 11

Ex gestis præteritæ vitæ, præsentia metimur. 12

Ex dictis hominum facta pensamus. 13

Indicia testibus nequaquam suspectis constare debent. 14

Vnus testis integer & sufficiens, omnique exceptione maior ex visu deponens, aliamq; sufficientem scientiæ causam reddens, indicium sufficiens ad capiendum, inquirendum & tormentis subdendum efficit. 15

Super indicijs, aut ex præsumptionibus, siue mendicatis suffragijs, nemo venit criminaliter condemnandus. 16

Indicia vel præsumptiones in criminalibus debent esse luce clariores. 17

In causis criminalibus perspicacius consilium est adhibendum: quia ibidem maius periculum vertitur. 18

Confessio extraiudicialis vnico teste sufficiente, & causam scientiæ reddente, ad inquirendum ac procedendum sufficit. 19

Minæ vnico teste probatæ, aliquando ad inquirendum ac procedendū sufficiunt. 20

FET si præsentis capitis materia eadē opera potuisset expediri & tractari in capite proximè præcedēti, vbi actū est, de diffamationibus præcedētibus p famā sparsis, tamen ne nimia eiusdē capitis longitudo cuiquam fuisset offendiculo: deinde quò clariùs aut enucleatiùs (præsertim ingenijs tardiusculis) explicetur, hoc loco penè eandem materiam statui latius rudiusq; rursum Deo Opt. Max. auxiliante explanaturus discutere. † Si igitur Iudex aut Fiscus, pro inquisitione sua producenda, præter coniecturas quasdā, præsumptiones, indicia aut suspiciones,

nes, habuerit nihil, obligatur profectò principiò seipsum de illis informare. † Indicia enim sunt media intellectualia veritatis eliciendæ, ex aliqua circunstantia singulari exurgentia, l. Iudicia certa, C. de rei vendic. c. Inter quatuor, iuncta gloss. in verbo Per argumenta, ext. de cleri. pegri. & c. Cùm caussam, in fine, de probat. Oriuntur † autem istiusmodi indicia nonnunquam ex communi publicaq; voce & fama: aut ex moribus & modo viuendi ipsius diffamati, nempe ex mala conuersatione, ob quam non temere isthæc indicia oriri cernimus. Mala enim † conuersatio est malorum operum, & animi internis scelcribus infecti probabile argumẽtum, aut (vt aliis placet) est malæ operationis & cõscientiæ deprauatæ indicium, l. Si plures, §. Assiduè, ff. de administra. tuto. Et ex mala, cumq; malis conuersatione, ipse etiã bonus malus vel viciosus efficitur, l. AEdiles, §. Pedius. ibi, aleator fortè &c. ff. de ædi edic. Huic seruit illud magni nominis Philosophi dictum, Qualis † quisque est, tali socio delectabitur. Cui consonat & illud Psalmistæ: Cum † sancto sanctus eris, & cũ peruerso peruerteris. Interdum indicia colliguntur ex loco, in quo quis conuersatur, aut aliquando versatus est, quia † ex locorum varietate, varia similiter coniectura ducitur, indicium seu præsumptio, l. finali. C. Si mancip. ita fuer. alienat. & l. Aut facta, §. Euenit, ff. de pœnis. Quandoque † verò ex fuga. fuga enim haud dubiè non mediocrem suspicionem ac indicium parit. Dynus in l. Diuus, ff. de custod. reo. Vtrum verò fuga, & quando suspicionem generet, aut indiciũ, vel semiplenam probationem, refert vir ille summi nominis Bartolus in l. lege, ff. De Syll. nec non D. Cataldinus de boncompagnis de viso. l. V. Doctor celeberrimus in suo tractatu Syndicatus, numero 74. qui plura huius rei ibidem ad plenum cogesit quæ, ne sim ęquo prolixior, transeunda putaui. Poterit præterea Iudex indicia efficaciſsima elicere ex hominis constantia, vel ex vocis aut membrorum trepidatione tremula, vel pallore, Iuxta illud, heu quàm difficile est, crimen non prodere vultu? l. De minore, §. Tormenta, ff. de quæstionib. Ideoq; & hæc indicia Iudici fuerint obseruanda, per quæ sæpenumero emergit & eluescit veritas, d. §. Tormenta. Iudex etiam † indagare obligatur, cuius primò vitę fuerit, & an talia, aut similia, de quibus impręsentiarum inculpatur, facere consueuerit. Nam de vnoquoque † bonum, vel malum præsumimus, consideratis primæ ætatis suæ moribus. l. Desertorem. §. Is qui, 2. ibi. inspecto vitæ eius præcedenti actu, l. Non omnes, §. A barbaris, ff. de re militar. l. Tutor quoque, §. Quęri potest, ff. de suspect. tut. Ex † gestis enim præteritæ vitæ, præsentia metimur, l. pe. §. fi. C. de agen. in reb. li. 12. Item an fuerit occiso seu interfecto minatus: quoniã erit probabile indicium, quod ipse re adimpleuerit, quicquid verbis profudit: cum ex † dictis hominum facta pensemus, l. vnica, C. Si quis Imper. maled. l. Labeo, ff. de supel. leg. l. Item apud Labeonem, §. Adijcitur, ff. de iniur. Præterea consideranduin est: An sit talis, qui consueuerit, taliàq; viribus conficere potuerit, l. famosi, ibi, an potuerit facere: & an ante quid simile fecerit, &c. ff. ad l. Iul. maiest. Et hæc † indicia testibus nequaquam suspectis constare debent. Vnus testis integer & sufficiẽs, † omniq; exceptione

maior,ex viſu deponens, aliamq; ſufficientem ſcientiæ cauſſam reddens, indicium ſufficiens ad capiendum, inquirendum, & ad tormentis ſubdendum efficit,l. Si quis,C. Ad l.Iul. maieſt. & ibi notant gloſſ. & Doct. & Sali.in l. fin. C.de quæſtionib. ſed inſufficiens ad condemnandum: Quod
16 †ſuper indicijs,aut ex præſumptionibus,ſiue mendicatis ſuffragijs nemo venit criminaliter condemnandus,l. Abſentē,ff.de pœnis, l.1.in fine,ff.de quæſtionib.l.Singuli,C. de Accuſat. atque D.Bart.in.l.fin.eod.tit. quantumq; etiam fortia ſint:†quia in cri
17 minalibus indicia vel probationes debent eſſe luce clariores,vulgatiſſima l.Sciant cuncti,C. de probat. vbi Imperatores Grat. Valent. & Theodo.inquiunt,ac ſtatuunt in hæc verba: Sciant cuncti accuſatores eam ſe rem deferre debere in publicam notionem,quæ munita ſit idoneis teſtibus,vel inſtructa apertiſsimis documentis,vel indicijs ad probationem indubitatis,& luce clarioribus expedita.Huic legi ſubſcribunt Pontificij canones, c.Sciant cuncti,2. q. 8. vbi eam legem verbotenus habemus canonizatam, & c.Epiphanium, 5. q.6 Idem dicitur in l. Qui ſententiam, C.
18 de pœnis.ac d.l. Singuli. Quod ea ratione videtur procedere,quia in cauſſis criminalibus perſpicacius eſt conſilium adhibendum:ibi enim maius periculum & detrimentum vertitur & contingit,argumento l. Addictos, C.de appellat.& l.1.§.1.ff. de ventre inſpic.cum ſine numero haud diſſi-
19 milibus iurib. † Confeſsionem Rei extrai udicialem,vnico teſte ſufficienti & cauſſam ſcientiæ reddente ad inquirendum, ac procedendum, ſiue torturæ ſubijciendum ſufficere aiūt;

l.Capite quinto, ff. de adul. & ibi gloſſ.in verbo,Accuſatori,quam ſcribentes ad hoc notabilem ac ſingularem aſtruūt. Adde quod not.Panor in c.De hoc,numero 7.in verbo, confeſsi,ext.de ſimonia,& in c.Quam ſit graue,numero 2.ext.de exceſsib.prælato.Bart.in l.Quoniam,ff.de his qui notāt infam.Bald.in.l.Ictus fuſtium, eodem tit. Ang.in l.1.ff.de confeſsis,
20 cum infinitis locis ſimilib.† Quemadmodum etiam minæ vnico teſte probatæ:maximè quum minator conſueuerit ſuas minas mandare executioni.Et ex multis alijs poterit curioſus Iudex indicia ſumere ad firmandam & informandam conſcientiam,pro exquirenda ac eruenda veritate delicti,vt inquit Bar.in ſuo tractatu,de quæſtionib. in Rub. Quæro aliqua indicia,&c.Circa ergo materiam, quomodo ſumantur indicia, & qualibus ſit opus indicijs, quæ Iudicem ad inquiſitionem,& etiam torturam merito extimulent, meminerit pius lector hic nihil certi poſſe conſtitui:ſed pleraq; ex prudentis Iudicis arbitrio dependere:Ideoq; exactam de ipſa doctrinam dari non poſſe.Quod perpulchrè etiā aſtruit D.Abbas in c.Cùm in cōtemplatione,in 1.colum.in verſic.Et quæ indicia ſufficiant,&c.ext.de Reg.iur. Sed ſit item hoc varijs in locis ſubtiliſsimus Bald.in l.1.in principio vltimæ columnæ, C. commu.de leg. & in l. Seruos, C. de teſtib.atq; expreſſè,in l.2.C. Quorū appella.& D. Angelus Areti.in ſuo libello vtiliſsimo maleficiorum,in gloſ.fama publica præcedēte,in 5. colum.in verſic. Quæro, an vnum indicium. Adquos conſulendos (cauſſa vrgente) conuolare ne grauemmi.

CAPVT XI.

De Notorio.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs, CAP. 11.

1 Notorium { Facti { Actu transeuntis / Interpellati / Actu permanẽtis } Iuris / Præsumptionis } Notorũ est { Iudici tantùm / Alijs tantùm / Iudici & alijs simul, } Incognitũ { Alijs. / Iudici. }

Notorium facti quid sit? 2
Aliter, facto res sit iudici notoria. 3
Populi testimonium, quomodo intelligitur? 4
Decem faciunt plebem siue turbam. 5
Palam ac publicè, quomodò intelligitur. 6
Quando crimen efficitur notorium, sunt opiniones. 7
Vbicunque non est expressum aliquid à iure, iudicis arbitriõ indubiè relinquitur. 8

Notorium { Facti actu transeuntis, / Facti interrupti, / Facti actu permanentis, / Iuris, } Quid sit? 9 10 11 12

Vel iure crimen fit notorium. 13
Contra notorium iuris subinde admittitur probatio in contrarium. 14
Notorium præsumptionis quid sit? 15
Filius is est, quem nuptiæ demonstrant. 16
In rebus iudici certa notione perspectis, nullus legum ordo, nulla recepta proceden di forma seruanda est. 17
In notoris criminibus, coram Iudice commissis, Iudex rei omnis necessariæ defectũ solus adimplet. 18
Crimine in Iudicis conspectu pro tribunali sedentis admisso, licet Iudici contra reum summatim procedere sine forma ac Iudicij strepitu. 19
Crimina manifesta iudiciarium ordinem non requirunt, occulta verò maximè. 20

MInime nostri erat instituti, quam libet hic notorij materiam fusiùs prolixiusq; discernere atque excutere (quũ id citra ingẽtem fructũ laboris penè fuerit immẽsi) quare id dũtaxat, quod nostro scopo seruire vi debatur, clariùs aperire statuim⁹. Est †igitur hic tale notoriũ triplex: Notoriũ facti, Notoriũ iuris, Notoriũ præsumptionis. Notoriũ facti †est, quod sese apertè plurimorũ oculis exhibet, tamq; est euidẽs, vt probabiliter negari nequeat, vt nulla causatione, nulla tergiuersatione celari possit, l. Sed & si pupillus, §. Proscribere. ff. de instito. acti. l. Palam. ff. de ritu nup. l. Palã, ff. de verbo. significa. & l. Quod maior, ff. ad municip. Vel aliter: †Facto res fit iudici notoria, quoties delictũ palã, publicè, frequẽtiq; populo teste cõmittitur: adeò vt malefic⁹ inficiari admissa nequiuerit. Populi †autẽ hic testimoniũ intellige: quãdo de cẽ, aut plures ppetrato crimini adfue

runt †Nam decem faciunt plebem si ue turbam, c. Vnio, x. q 3. iuncta glos. finali. c. Presbyter si à plebe, 2. q. 4. Pa
6 lam verò †ac publicè committi intelliges, quando in plateis, in templis, in foris, in ipsis senatorum consessibus, alijsue locis publicis res commis
7 sa fuerit. Quando autem †crimen efficiatur notorium, varij varia memi- 10 nerunt. Sunt qui velint tum crimen effici notorium, quando nullus inficiationi locus penitus existit: vtpote cuius vniuersæ viciniæ populus testis est, c. Cùm dilectis filijs, §. Præsertim, extra, de purg. canoni. c. Scelus. 2. q. 1. Alij contendunt sufficere, si id apud maiorem partem istius viciniæ vt certum & notum versetur, d. l. Quod maior, ff. ad municipal. & d. c. Cùm dilectis filijs. Postremò sunt, qui id omne iudicis arbitrio relinquendum constanter affirment: quan to scilicet hominum numero quid 11 fiat notoriũ: quòd non sit hoc ipsum expressè in iure diffinitum ac terminatum: tunc enim omnia iudicis arbitrio statuenda esse certissimũ est,
8 c. De caussis, ext. de offic. delega. Nam vbicunque non est expressum aliquid à iure, iudicis arbitrio relinqui indubitatum est, d. c. De caussis. & l. 1. ff. de iure deliber. Quorum sententiæ ac opinioni adstipulari nec ipse vereor. Intellige tamen quando interdiu, nequaquam de nocte id delictum committitur, ita vt clarè conspici possit, argumento c. Consuluit, in fine, extra, de offic. delega. l. Testiũ §. Tu magis scire potes, ff. de testib. et l. Aut facta, §. Tẽpus. ff. de pœnis. Cæterùm hic animaduertendũ velim, notorium facti tres præterea habere species. Nam aliud dicitur Notorium 12 †facti actu transeuntis, vt hoc, quod
9 semel notorium factũ est, ita vt non possit tergiuersatione aliqua celari, nec vllam habeat sui actus reiterationem, vt est homicidium publicè commissum, quod reiteratione non recipit: quale fuit Christi seruatoris nostri, c. Semel Christus mortuus est de consecra. distinct. 2. c. Aut facta, de pœniten, distinct. 1. & c. Pernouit, extra, de testib. cogend. Aliud est† notorium facti interrupti, hoc est, quando ita publicè fit, vt non possit celari per tergiuersationem, sed sæpius reiteratur, non tamen continuè: tale est crimen vsurarij manifesti, qui habet mensam paratam ad mutuandum & publicè tenet, non tamen facit continuè mutuum, sed frequenter hoc reiterat, c. Cùm tu manifestos, ext. de vsur. & c. Vsurarum voraginem, eodem tit. lib. 6. vbi de hoc. Et in hoc notorio semiplena probatio requiritur, vt in c. Cum in diœcesi, extra, de vsur. †Aliud est notorium facti actu permanentis, quod ita fit publicè, vt celari non possit, & habet in se facti continuationem: vt est videre in illo, qui continuè in carcere continetur. de hoc in c. Cum dilectis filijs, extra, de appella. Porrò quoduis notorium facti, aliquando notorium est, & manifestũ Iudici, sed incognitum alijs. Contrà, aliquando cognitũ est & notorium alijs, sed occultum, Iudici. Denique aliquando notorium & Iudici, & alijs, c. De manifesta. 2. q. 1. quorum omnium ac singulorum meminit D. Ioan. Milleus, in sua praxi criminis persequendi, in tractatu de notorio: ad quem plura scisciatari desiderantem (vt compendio studeamus) remittimus. Hactenus de notorio facti. Nunc de notorio iu-
12 ris. †Notorium iuris est id crimen, de quo quis condemnatus est, vel quod in iustitia quis confessus est

est,c.Euidentia,ext.de accusat.l.Inge nuum,ff.de sta.homi.l.Res indicata, ff.de reg.iuris.dummodo certè hic in iustitia confessus perseueret in sua confessione facta,sine tormentorum formidine,post diem & noctem: aliter enim non foret iure notoria talis confessio,l.1.§.Quæstioni,ff. de quæ
13 stio. Aut sic: Iure† crimen notorium fit Iudici, quandocunq; maleficus id liber in præsentia Iudicis pro tribunali sedentis, & debitum sui officij exequentis, fatetur, liber (inquam) omni metu,compedibus,vinculis, & quibuscunque tormentorum generibus:vel quoties Iudici delictum constat inquisitione præuia,legitimo testimonio,alijsue similib. argumentis efficacibus: ita vt hinc posset sequi condemnatio,l.fin. C. de probat. l.
14 Gesta,C.de re iudica.† Nihilominus contra notorium iuris admittitur subinde probatio in contrarium,veluti si tale notorium negetur, aut in dubium reuocetur: quibus modis quis appellans audiri debet, & admitti,c.Romana ecclesia, §. Sin autē.De appella.lib.6.Tertiò, restat de notorio præsumptionis pauca differere.
15 †Notorium præsumptionis, est euidentia iuris vehementis præsumpta. Præsumptionibus namque Iudex ad crimnis noticiam peruenit, quando indicia ipsa, vel cuiusquam hominis mores tales sunt, vt non temerè iusti tiæ præbeant apertam & penè certā de criminis veritate censuram. Veluti quum maleficus familiam alit cum alterius vxore:iura hinc eliciunt, & veluti certissimum ducunt, ipsum ita mœchantem in adulterio viuere. Rursum quando vsurarius fœnoris gratia publicam mensam exponit: colligunt iura, & certissimum habent, hunc fœnerare. Tertiò, quando maritus & vxor puerum alium nominant filium: tunc est præsumptio iuris, puerum illum esse ipsorum filiū c.Per tuas,ext.de probat, & c. Transmissæ, ext. Qui filij
16 sint legit. quia filius† is est, quem nuptiæ demonstrant,l. Quia semper,ff. de in ius vocan.& l.filium, ff. de his qui sunt sui vel alie. iur. atque item in similibus.Nunc verò in notorijs, ac manifestis huiusmodi criminibus noueritis,quod sufficiat de istius notitiæ,seu vulgò(si ita fari liceat) notorietatis certitudine inquisitio, Quæ quidem notoria ac manifesta notitia haud parum efficax est in inquisitionibus,tantumq; habet momenti, vt in apertis,ad formam prædictam,crimínib⁹ iudex procedere possit, absq; vllius accusatione vel delatione sine traditione:pro reo exemplaris copiæ indiciorum, sine consueto articulorum libello:deniq; absq; vlla conclusionis peroratione. Atq; huiuscemodi processus neutiquam sunt improbandi,neq; vt nihili,parumq; efficaces,refellendi:quasi ob non adhibitas debitas, necessariasq; iustitiæ so-
17 lennitates.† Quandoquidē in rebus Iudici certa notione,siue notorietate perspectis,nullus legū ordo,nulla recepta procedēdi forma seruāda fue-
18 rit.In notorijs enim his† criminibus corā iudice in loco iudiciali sedente cōmissis,Iudex ipse rei omnis necessariæ defectum solus adimplet. Crimi-
19 ne verò in Iudicis† conspectu pro tribunali sedentis, ac debitum sui officij exequentis,& presentia decē vel duodecim admisso,licet Iudici contra reum summatim procedere, sine vlla processuū forma,ac iudicij strepitu,c.Vestra,& c.Tua nos,ext.de co habit. cler. & mulier. Nam crimina
20 †quæ manifesta sunt,iudiciarium ordinem non requirunt: occulta verò maximè,c.prohibentur, § fin. 2. q.1.

Verum enimuero, si crimen perpetratum fuerit præsente, testeq; Iudice, extra tribunal seu locũ senatorium, non pro tribunali sedente, foris vspiam: procedendum fuerit Iudici per inquisitionem, atq; processus legitimo ritu instituendus. Quod scilicet crimen tali loco commissum, non fuerit ipsi notorium seu cognitum tanquam Iudici, sed veluti priuato. Itaque eo casu omnis ordo iudiciarius est necessarius, l. 1. & Authent. Offeratur, C. de litis contesta. c. Cùm tu, ext. de vsur. c. Cùm de tua, ext. de corp. vitia ordinan. & c. Si sacerdos, ext. de offic. ordina.

CAPVT XII.

De commissionibus Criminalibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 2.

1 In crimine capitali iubet Iudex
- *Reum apprehendi,*
- *Rei bona fideliter conscribi,*

Idq; per
- *Commissiones criminarias in Flandriæ & Mechliniensi consilijs,* — *Expetitiõe*
  - *Partis tãtũ,*
  - *Procuratoris tantum,*
  - *Vtriusque,*

  vel
  - *Ad informationẽ iãiã habitam,*
  - *Ad informationem mox producendã.*
- *Satellites, nuda ipsorum scilicet autoritate & iuramento,* — *In*
  - *Curijs feudorum,*
  - *Quibuscunq; alijs tribunalibus.*

In materia criminis, nulli licitum est citatione vel captura vti, nisi informatione præuia. 2

In Cancellaria Brabantiæ, quales nonnunquam commissiones criminales admittantur. 3

QVoties crimen ipsum aliquo superiorum modorum innotuit Iudici, mandatis reum, siue criminis rumusculo infamem citari, & Senatui sistendum accersiri. † In crimine autem capitali iubet Iudex reum apprehendi, ipsiusq; bona cuncta fideliter conscribi seu annotari. Absque huius enim decreto seu autoritate, nulli vnquam fas esse potest in re criminaria quemuis aut citare, aut apprehensione constringere: sicuti spectabilis egregiusq; Iuriũ Doct. D. Bartholomeus Chasseneus in Cõsuetudines Ducatus Burgundiæ, titulo: *Des Iustices, & droictz dicelles*. §. 6. fol. 65. ad finem numeri 91. commemorat. Tex. est, & ibi Bartolus, in l. Neminem. C. de exhiben. reis. quapropter super hac re in Flandriæ necnõ in magno Mechliniensi consilijs, consuetudinis est elargiri commissiones (quas vocant) criminarias. In Curijs verò Feudorũ, cæterisq; tribunalibus, satellites, & quotquot sunt huius muneris absq; vllo largiori mandato, sola officij autoritate, hanc apprehẽsionem sibi vsurpant, quorũ nõnulli sunt generales

nerales, quibus huiusmodi apprehensionis cura à superioribus suis, vnà cum officio committitur, maturationis scilicet gratia, quam isthæc captura interdum deposcit. Multifariam igitur commissiones criminales in memoratis consilijs super libellis supplicatorijs (vulgò Requestis) expediuntur. Aliàs ad solam postulationem & requisitionem partis, vti placuit Aret. in c. 1. de iudic. c. Licet de accusat. l. Ad peremptorium, ff. de iudic. Necnon Bart. in l. Si finita. §. Iulianus. ff. de dam. infect. in l. Consentaneum, & in Authent. Qui semel. C. Quomodo & quando iudex. Rursum ad solam quæstionē seu petitionem ipsius procuratoris. Postremò ad vtri usque & partis & procuratoris quæstionem simul. Sunt harum præterea nonnullæ commissiones, quæ ad iam iá habitā informationem expediuntur. Alię ad informationē mox produ
2 cendam. Sed hanc † peragi oportet, priusquā vel ad citationem, vel ad apprehensionem procedatur: quandoquidem in materia criminis nullilici tum est citatione vel captura vti, nisi informatione præuia. Atq; in omni cōmissione eius rei de qua procuendā foret inquisitio, necessum est per libellum articulatim singula enarrari crimina: quod non requirit res, cuius informatio antèhabita est. Sed hîc sufficit dicere (informatione visa &c) absque vlla criminalium articulorū enar
3 ratione. In † Cancellaria autem Brabātiæ nonnunquam admittuntur commissiones criminales sine vlla persona efflagitante, sine narratione criminum, sine aperta rerum caussa: nempe peculiari ratione hoc suadēte: aut certè ex absoluta voluntate & autoritate Principis, cuius vnius potestatis est hoc efficere, & non cuiuspiā alterius è suo consilio. Quoties item crimen punitione corporali dignum est, aut certè tale, vt citatus caussæ suæ defensionem per procuratorem tutari nequeat, tradit tum Consilium ipsam corporalem citationem, modò istiusmodi præmissa apertè constiterint.

CAPVT XIII.

De Citatione.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs, CAP. 13.

1 *Citatio* { *Diuini* / *Naturalis* / *Canonici* / *Ciuilis* } *Iuris est.*

Citatio est de substantia iudicij criminalis, 2

Citatio rei criminariæ fieri debet in personam diffamati, modo inueniri posset 3

Citatio fit ad domum, quam citationis tempore inhabitat, si personaliter reperiri nequit. 4

Domus quomodo hic accipiatur. 5

Reus si domibus careat, fugamq; dederit, quo pacto citandus? 6

Executori semper incumbit, vt citato insinuatio innotescat. 7

Reo citato competens commodumq; comparationi tempus à Iudice elargiendum. 8

Executori fides fit de commissione peracta. 9

Nonnunquam Iudicis est, vtrilibet credere, aut executori aut diffamato. 10

Consilium haud aspernendum pro executoribus, quo cauillationem & periculum effugiant. 11

Executor in negotio criminali, reo expletorum copiam non tradit. 12

Executor in negotio ciuili, reo expletorum copiam ex vsu ac stylo tradere obligatur. 13



1. CItare, diuino, †naturali, canonico, atque ciuili iure, iam olim à multis seculis introductum esse constat, vt Genes. 3. vbi legimus, Dominum Deum, priusquã Adam de peccato inobedientię puniret, ipsum ad sese vocasse, Adam vbi es? atq; ipsius audiuisse admissi criminis expurgationem. Huic seruit. c. Deus omnipotens. 2. q. 1. vbi inquit, Deum noluisse priùs punire Sodomorum enormia mala, quàm inuestigatione ac fidelibus testibus factus certior, ipsorum opera aperto iudicio comprobasset, Clement. Pastoralis, cum ibidem not. de sentẽ.

& re

& re iudica. & in extrauaganti, Rem non nouam aggredimur, iuncta ibi glossa de dolo & contu. in extrauagantib. communib. c. Cùm olim, extra de testib. tritis. l. De vnoquoque. ff. de re iudica. l. Nam ita Diuus. ff. de adoptio. l. Tres denunciationes. C. Quomodo & quando iud. l. Si quando. C. de testib. cum sine numero similib. iurib. † Citatio autem est de substantia & essentia ipsius iudicij seu processus criminalis: vsque adeò, vt nullus, nisi huiusmodi citationis accessu, processus valeat: teste D. Lan fran. de Oriano insigni practico in c. Quoniam contra falsam. §. Citationes ad exordium, extra de probat. Ideoq; huic materiæ planè est necessaria. Nam omnia atque singula processuum substantialia, ritum atque ordinem suum obseruent necesse est: alioqui perperam omnia procederent, processusq; ipse foret nihili. l. Prolatam, C. de senten. & interlo. omnium iudic. Prætor enim incipit iudicium ab ea parte, quæ est de in ius vocando. §. finali Institu. de pœnis temeliti gan. l. 1. ff. de in ius vocan. atque per Iacob. Rebuff. in l. hac lege. de proxi. sacro. scri. lib. 12. C. Debet autem omnis † citatio rei criminariæ fieri & peragi in personam Rei siue diffamati, modò is inueniri posset, l. 1. ff. de lib. agnosce. & l. 4. ff. de dam. infect. Vel † certè pronunciabitur citatio domi suæ, quam scilicet nunc inhabitat citationis tempore, non in alijs domibus suis. d. l. 1. & d. l. 4. & ibi Bart. l. Scire oportet, §. Sufficit. ff. de excusa. tuto. l. Aut qui aliter, §. Et si fortè, ff. quod vi aut clam, & c. Caussam quæ. ext. de dolo & contuma. Domum autem † hîc accipimus, siue in propria domo quis habitet, siue in conducta, siue gratis, siue hospitio quis receptus sit, §. Domum. Institu. de iniur. & l. 1. §. Habitare, ff. de his qui deiec. vel effud. Idem quoque censet Lucas de Penna in l. 2. C. de meta. & epidime. lib. 12. Quòd † si domibus omnino careat, atque loco suo fugam dederit, peragetur citatio ad normam executori in commissione traditam: vtpote edicto, siue proclamatione publica, voce præconaria, tubæ sonitu, aut simili solennitate, quorum meminit excellentissimus vir D. Guilelmus Duran. varijs in locis sui Speculi, ad quem iuris studiosum, breuitatis gratia, remitto. † Verùm curandum semper fuerit executori, vt insinuatio seu intimatio citato palàm fiat per commissionem, aut per aliam nõ absimilem formam qua apertè Iudex cognoscat commissionem ac citationem verisimiliter reo innotuisse. Citatione † autem isthac ex commissione facta, necessum fuerit ipsi Reo citato competens commodumq; comparitioni tempus elargiri, plus minùsue septem dierũ, pro ratione distantiæ inter citatum & Iudicem. Atque † istiusmodi executori, quisquis is fuerit, fides fit de commissione paracta, vt etiam ex ipsius relatione per Iudicem decernatur ac detur contumacia ad eum finem atque commodum, vt decet: quatenus de commissione sua & onere cõstiterit. Verùm enimuerò non habetur isthæc executori fides, de iure ciuili, sed absolutam fidẽ illi hac tempestate dari cernimus. Quoties tamen nuntius siue executor refert se citasse personaliter Socratem, isq; constanter id neget, & † iuramento contrarium asserat: hic in Iudice fuerit (vt nonnullis placet) vtrilibet credere, considerato ingenio & qualitate personarum. Quocirca † tutissimum fuerit (sicuti doctores autumant) binos emittere nuntios, vel certè, vt nuntius siue executor commissionem suam peragat præ-

præsentibus testibus: quibs insuper orationi suæ referendæ prudens inseret. Sunt tamen qui volunt, soli nuntio siue executori habendam fidem de commissione facta, quòd in re cri-12 minaria plerunque difficile foret testes adhibere. Cæterùm† in negotio criminali, nuntius siue executor expletorum siue sui mandati seu commissionis & relationis copiam, reo nequaquam tradit, quod tamen efficere cogitur in materia ciuili, idq; ex vsu styloq; recepto. Horum plura, quia sunt omnibus obuia, refer re postpono. †Interim tamen si quis 13 nuntiorum siue executorum materiam pulchram, vtilem, singularem, & quotidianam abundanter scire desiderauerit, ad Bartholomeum Chasseneum Consuetudinum Burgundiæ Commentatorem insignem, tit. *des Iustices & droictz dicelles*. vniuerso. §. 7 ne sim longior, eundem remitto.

CAPVT. XIIII.

De Annotatione bonorum.

Summæ rerum tractatarum im Commenta. CAP. 14.

Annotatio bonorum fit propter primam contumaciam. 1
Annotatio dicitur quædam compulsio ad comparendum. 2
Annotatio dicitur quædam præparatio ad confiscationem. 3
Annotatio duntaxat fit in causis criminalibus in quibus fit bonorum publicatio. 4
Error non pusillus nonnullorum Iudicum nostri temporis. 5
Annotatio quando fieri debeat, remissiue. 6
Recepto vsu, stylo, ac consuetudine, quorum bonorum annotatione vtimur. 7

1 BOnorum† annotationem non fieri, nisi propter primam contumaciam, explorati iuris est, vt puta quando aliquis de aliquo crimine in iudicium euocatus, præsentiam sui facere cõtemnit, id est, se absentat nolens ad iudiciũ venire: eius bona tum ad manũ iustitię (si ita fari liceat) ponuntur: dicunturq; annotari, vt si infra annũ redierit, & se crimine purgauerit, integrã rem suam habeat: si neque redierit, neque qui se defendat habuerit, tunc post annũ bona publicentur, l. finali. ff. de requi. reis & l.i. C. eodẽ tit. Itaque annotatio† meri-2 7 tò dici potest quædã compulsio ad cõparendum, & casu adueniente verificationis† delicti, quædam præparatio 3 ad confiscationem. Animaduertite† 4 tamen secundum D. Aug. in d.l.i. C. de requi.reis, Annotationem duntaxat in causis criminalibus fieri debere, in quibus fit bonorum publicatio. In alijs autẽ causis criminalibus, vbi non venit publicatio imponẽda, bona nõ sunt ad manũ curię ponẽda, quantũcunq; sit contumax reus. Iudi 5 ces† tamen nonnulli huius temporis secùs faciunt, ingenio ac iudicio quo moti, nescio, & pro cõtumacia faciũt indistinctè subhastari bona, secundũ l. fin. C. De requi.reis, de qua annotatione habetur in l.i. & per vniuersum illum tit. ff. de requi.reis, Per Bartolũ, 6 qui ibi declarat† quando fieri debeat annotatio, in l. Inter. ad finem, ff. de publi.iudic. & quomodo† fieri debeat habetur in l.i. §.i. & in l. fin. ff. de requi.reis. Inolito receptoq; vsu, stylo, ac consuetudine, bonorum vtimur annotatione, per commissionem criminalem executoris, simulatq; per inquisitionem seu informationem ipsi de præmissis constiterit.

CAP.

CAPVT XV.

De Citatione reali, id eſt, Captura.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 15.

1 Citatio realis abſque { Licentia, Authoritate, Commiſſione, } Iudicis fieri nequit.

Exceptiones aliquot ſuperioris præcepti. 2

Exules, hoſtes Reipublicæ ſunt. 3

Repertus in flagranti crimine, poteſt capi etiam ſine licentia Iudicis. 4

Capti citra Iudicis autoritatẽ, carcere claudendi ſunt intra 20. horas, ſecundũ Bart. 5

Ijdem carceri tradendi intra ſex horas, ſecundum alios. 6

Centura quatuor modis ab officiarijs exercetur. 7

Officiarius Iuſtitialis innocẽtes ſuo arbitrio cõprehendens, punitioni ſit obnoxius. 8

Inuectio in nonnullos arrogantes Officiarios. 9

Diffamatum duntaxat comprehendere licet. 10

Diffamati infamiæ ſuæ dicam ſuis moribus præferunt. 11

Executor diſſimulans commiſſam manus iniectionem, quomodo puniendus. 12

Executoris aut Apprehenſoris non eſt captum ob quamlibet etiam policitam fidem liberæ donare relaxioni. 13

Executori in captura poſcenti ſubſidium, nullus officiarius, nullus ipſi ſubditus impunè id recuſare poterit. 14

Executori vbuis locorum aperiẽdi ſunt carceres, modò id popoſcerit, minimum vna nocte. 15

Executori maleficum rebellem comprehenſuro, permittitur domum obſidere, oſtia & feneſtras infringere. 16

Executori ex vna autoritate concredita permittitur item quicquid ad illam capturam videbitur neceſſarium. 17

Executoris non eſſe, carcere conſtrictum vi illinc eximere, niſi, &c. 18

Executori non permiſſum è templis, aut cœmeteriis temere abſtrahere. 19

Loca ſacra nemini grauioris ſceleris reo patrocinari poſſunt. 20

Executori quando, & quomodo, maleficum è ſacratis locis abſtrahere dabitur. 21

Loca ſacra leuiter maleficis patrocinia ſunt, niſi, &c. 22

Officiario ſeculari quando clericos captiuare conceditur. 23

Executori licitum ſubinde maleficum è propria domo ereptum, captiuare. 24

Executor omnem diſſimulabit ſaluiconductum, vel ſimilem purgationem. 25

Appellatio in re criminaria per totam Flandriam nulla. 26

Executori non licere rebellem maleficum interficere. 27

Executor quando ab homicidio malefici capiendi excuſandus. 28

Violenta manus iniectio in Officiarium aut executorem quomodo puniẽda. 29

Captum è manibus executoris ſiue Officiarij vi liberans, Rei capti periculo ſit obnoxius. 30

Officiarios in Captura non iuuantes, quantum peccent. 31

Capturæ maleficorum quibuſuis incumbendum eſt. 32

Cur regiones noſtras paſſim habeamus latronibus oppletas. 33



Executori de cõmissione peracta, non de iniurijs relatis, fides adhibenda. 34
Executori maleficum in aliud territorium confugientem, & subsequi, & captiuare licebit. 35
Clericus in sacris constitutus, in flagranti crimine repertus, an capi posset etiã à laico? 36

1 NVlli fas esse † potest (antè meminimus) absque cõmissione siue autoritate Iudicis, quemuis violenter siue realiter citare, aut apprehensione constringere: Textus clarus & ibi nec incõcinniter Bart. in l. Neminem, C. de exhib. reis:
2 verùm fallit † hæc regula multifariam, veluti in monetarum falsarijs seu violatoribus, l. 1. C. de fals. monet. In ijs passim publicéque latrocinio grassantur, trita & vulgata l. Capitalium. §. famosos, ff. de pœnis. In incẽdiarijs, §. Incendiarij, in iamiam dicta l. Capitaliũ, l. Qui ædes, in principio, ff. de incend. & l. Qui vltimo, ff. de pœnis. In violentis fœminarũ compressoribus, l. Raptores, C. de episco. & cleri. & l. vnica. C. de rap, virg. In stipendiarijs, qui furtim duces effugiunt, l. 3. ff. de re milita. & l. 1. C. de deserto. & occult. lib. 12. In arborum & vinearum stolidis incisoribus, ac deprædatoribus, l. 2. ff. arbo. furt. cæsar. In furibus cum sarcina furti deprehensis, populoq; fugientes ipsos clamore

clamore tali infectante: tenete furem, prehendite furem, l. Si quis in seruitute, ad finem, & l. Interdum, §. Qui furem, ff. de furt. huic non parũ seruit. l. itaque, ff. ad l. Aquil. In veneficis, In incantatoribus, qui veneficijs siue incãtationibus aut puteos, aut aquarum riuulos vitiant, l. finali. C. de malefi. & math. quos omnes, hisq; adeò similes, quilibet citra iudicis vel permissum vel mandatum comprehendere potest. Capturæ itidem quorumlibet expositi sunt, Apostatæ, Nonnæ velatæ, transfugæ, fugitiui, item exules; quos† nemo non Reipublicæ, secundum iura ac Stylum, hostes suspectos habet, & communem perniciem. Verùm enimuero, citra informationem præuiã huiusmodi captura nulli permittitur: nisi vbi delinquentes inuenti fuerint† in ipso facto, & adhuc flagranti crimine comprehensi: quo quidem casu cuiuis conceditur, quoties flagrans crimen capitale est, aliàs verò minimè, l. Raptores & l. vnica paulò antè citatis, & l. Capite quinto, ff. Ad l. Iul. de adult. & stup. Debent autem omnes iam dicti captores, quibus sine iudicis authoritate apprehendere datur, captũ illico† carceri iustitiali intra 20. horas (vt nonnullis placet) tradere, sub pœnã priuati carceris, aut alia arbitraria: aliàs priuato capere nõ licet, vt l. vnica. C. de priuat. carce. Ita egregiꝰ iuris interpres Bart. & sequaces tenent in iamiam allegata l. Capite quinto. Alij† intra sex horas id faciendum (si quidem id fieri potest) autumant. Huius meminit S. Tho. 22. q. 65. † Prętores, Subprętores, Satellites, Clientes, idq; genus reliqui Officiarij Ciuitatum, Oppidorum, Castrorum, Ditionum, Pagorũ, quatuor modis capturam exercent: Aut ex delatione generalis inquisitionis: In præsente flagranti crimine: Ex partium postulatione siue requisitione: Ex iudicatis mulctis. Officiarius† iustitialis, qui aliquẽ legalem, legéve dignum prehendit proprio arbitrio, quouis tempore, nulla vrgente causa siue (vt vulgò dicitur) ex vento, capto haud mediocrem facit iniuriam, imò ignominiam irretractabilem, teste Baldo, in l. vnica. C. de in integ. restitu. nec non Iasone multa allegante in l. 4. §. Si quis condemnatus fit, numeris 22. & 23. ff. de re iudica. atque ea de causa punitioni subiacet nequaquam mediocri. etiã si huius† infelicissimi ævi nonnulli arrogantes Officiarij, contra omnem rationem ac æquitatem, contrarium facere minimè erubescant, intrepidè sustinentes sese habere (vt practicorum voculis vtar) ora aurea, & manus aureas: quasi ipsis omnia tam iure quam iniuria impunè concessa fuerit dicere & facere: quum† tamen neminem nisi malæ famæ siue diffamatũ comprehendere liceat: veluti scurras, ganeones, heluones, nebulones, tenebriones, nugatores, vanos, & nullius precij homines, quos vtique proprio arbitratu siue ex vento captiuare licebit: † quod ij infamiæ suæ dicam suis moribus præferant, iuribus paulò antè allegatis. Quisquis executorum dissimulanter † manus iniectionem negligit, quã tamen in mandatis susceperat, susq; vi ribus id fuerat integrum & liberũ, suspendendus est officio, & pro Iudicis prudentia plectendus acriter. Si vero captum remiserit liberum, adeoq; ad fugam cõniuenter iuuerit, veluti ex malicia, aut alioqui corruptus munere ribus: tũ planè priuandus mouendusque foret officio, & prætereà quouis officio declarandus perpetuo indignus, & omni executioni inutilis & inhabilis: deinde exilio, aliáque pœna arbitraria mulctandus. † Neque item exe-

executoris aut apprehensoris est, captum donare relaxationi siue dimittere, etiam si bona fide recipiat se ad cõstitutum diem rediturum. Hoc pacto enim commissionis formam excede
14 ret. Non potest Iudex, Officiarius, † aut quicunque subditus executori in apprehensione vllum recusare subsidium, si quando illud petierit. Nam si ex illius detrectatione quippiam consequeretur dispendij, vel pars aduersaria, vel ipsa Iusticia, in illum animaduertendum foret, pro Iudicis prudẽ
15 tia. † Vbiuis locorum executori aperiendi sunt carceres, modò id poposcerit, certè vel minimum vna nocte, quatenus commentarienſi pro sumptibus & laboribus ibi respondeat. Exe-
16 cutori, † vt maleficum rebellem & pugnacem comprehendat, permittitur multa satellitum manu, & præsidio domum circumcingere & obsidere: ad hæc & oltia & fenestras infringere, etiam si id literæ commissionis
17 non expresserint. † Quando enim illi captandi autoritas concreditur & cõmittitur, intelligitur tum illi permissum quicquid ad commissionis suæ plenam executionem spectare videbitur: textus notatu dignus ac literis purpureis scribendus in l. Illud, & ibi Bart. Paul. Castren. & Doct. ff. de acquiren. hęredit. textus admodum singularis in c. Ex parte, cum ibi notatis
18 per Anto. de But. Panor. Præpos. & alios Canonistas, De sponsalib. c. Prudentiam, §. Sexta, ext. de officio de leg. his accedat textus aureis literis scribi haud indignus, cum adiuncta sua singulari glos. in l. Quamuis, C. de fidei commiss. Si verò † maleficus, constrictus carceris vinculis per Iustitiã foret, non esset Executoris illum per fractione carceris eximere, nisi id ex
19 tis habeat. Neque item fas † illi potest esse maleficos è templis, ex cœmeterijs, alijsue locis sacratis violenter extrahere absque peculiari illius mãdato habito, l. Fideli, & l. vlt. C. de his qui ad eccles. confugi. vbi (solito more) D. Cynus, acutam narrat distinctionem: quam casu emergente videndam nec dissuadeo, & c. Inter alia, ext. de immu. eccles. Verum licet interim templum istud & cœmeterium obsessione circundare, & tum curare de amplioris autoritatis commissione, si id negotij circunstantia, & materiæ dis-
20 positio postulent. De homicidio, † de raptu virginum, idque genus grauioribus siue atrocioribus criminibus nullum templum, nullum (inquã) cœmeterium, maleficum vlla libertate tutò donare potest: quamobrẽ non iniuria illinc abstrahi possunt, text. & ibi glos. in §. Homicidia, & in §. Neque autẽ, in Authen. de manda. princip. colla. 3. & notat glos. in verbo, Abducere, in l. 2. C. de his qui ad eccles. confug. Angel. laboriosissimus in suo tractatu maleficiorũ, sub singularissima glos. in verbo, Fama publica, versic. Quarto quæro an vbilibet liceat capere malefactorem, &c. Idẽ Angel. in eodẽ tractatu, in glos. in verbo. In scalis sancti Petronij, ad exordiũ, quẽ in materia hac, & alia criminali legendũ ac relegendum nemo non suadet.
21 Attamẽ æquũ † est hic talem violentam à sacro abstractionẽ ab Episcopo, ipsiusue vicarijs priùs efflagitare: quam si imprudenter hi negauerint vi illinc extrahere licet cõtra Episcopi mentẽ & gratiã, citra sacrati etiam loci violationẽ: vt iura præfata apertè demonstrãt, præallegatis, §. Homicidia, & §. Neq; autem, nec nõ D. Angel. in locis statim citatis, & Saliceto in Authent. Si quis, C. Ad l. Iul. de adulter. & stup. De † leuioribus autem criminibus, templum & cœmeteri-

terium reo libertatis confugia sunt, l. Fideli, l. vlt. & c. Inter alia, suprà in medium adductis, nisi hic maleficus sacratum locum maleficio suo violauerit ipse, committendo scilicet crimen in templo, vel in cœmeterio, c. fin. & ibi D. Panor. & alij scribentes, ext. de Immu. eccles. In Authentico, vt liceat matri & auiæ. §. Quia verò ita reperiuntur. colla. 8. In his enim non admodum insisto, quandoquidem iuris canonici dispositioni in his standum sit, arg. no. c. 1. de no. oper. nuncia. Si tamen quispiam immunitatis materiam fusiùs & acutiùs examinatam inspicere desiderauerit, conuolabit ad commentaria in Consuetudines Burgundiæ, incomparabilis viri Bartholomei à Chassenæo, sub titulo *Des Iustices & droitz d'icelles*. Rub. *Se aucun commet simple larcin*. §. Quinto, versic. Sed ad materiam immunitatis, &cæt. per tres columnas, necnon ad excellentissimum V. I. Doctorem D. Oldradum in suis consilijs, consilio 154. incipiente, Quidam deliquit. &cæt. Officiario seculari clericos itidem & viros Ecclesiasticos in flagranti crimine repertos cõprehendere licet, sed captos tradere debet ipsorum ordinario, sed hic exoluere procul dubio expensas iustitiæ cogitur, c. Si iudex laicus, cum ibi notatis, d& sentent. excommuni. libro sexto. Neque hic in flagranti crimine ipsis duntaxat officiarijs fas est clericos siue ecclesiasticos captiuare: verùm etiã quibusuis alijs extra omnem officij administrationem, modò eos captos tradant, vt suprà, d. c. Si iudex laicus. Secularibus item officiarijs licet capere clericos seu ecclesiasticos non in vestitu, habitu, tonsuraq; ecclesiasticis repertos, captosq; detinere, donec Iudici spirituali innotuerit, an vestis in qua capti fuerint, clericalis sit, an non. c. Ex parte 3. & ibi D. Panorm. eiusq; imitatores, ext. de priuileg & excessib. priuilegiato. Executori †licitum est captiuare criminosum, atque etiam è domo propria extrahere, l. 1. C. de offic. diuer. iudicum. & notatur in l. Nemo de domo, ff. de reg. iur. In † grauioribus item delictis non abstinebit ab apprehensione, gratia alicuius saluiconducti, aut similis permissionis, & condonationis prærogatiuæ, quales literas maleficus ipse huic executori exhibere contenderet: sed executione exercenda perget executor, Rei ipsius omnem cognitionem tum dissimulaturus: neque similiter ipsum ad vllam appellationem admitteret. † quandoquidem appellatio in re criminaria per totam Flandriam nihil loci habeat, sicuti id passim fortiter asserunt. vel saltèm comprehensum non sinet abire liberè, donec illi per superiorem fuerit vlterior constringẽdi per prohibitionem adempta potestas, vt antè. Neque etiam de iure licet aliud appellare tribunal ob capturam, sed tantũ ob immodicã & plus æquò diuturnam carceris custodiã, & ob sibi † pernitiosum administrationis Iustitiæ defectũ. Nulla ratione licet apprehẽsori, maleficum inter apprehẽdendũ (quálibet acris etiã fuerit & fortis malefici rebellio, & corporis sui defensio) interimere, etiam si exul sit, aut alioqui morte ipsa dignissimus. Id enim non permittitur præterquàm Iudici: cui soli vniuersa, in corpus, atque adeò in vitæ exactionem potestas est collata. † Verùm enimverò si certò apertéq; executori commissum fuisset, talem maleficum ita apprehẽsione vrgere, vt aut viuũ aut enectũ tandé caperet, vel certè eą tamq; violẽta fieret scelerati rebel-

rebellio, vt concertatio videretur periculosa, victoria dubia, & contrà executori à sese propulsanda foret sceleratissi violenta inuasio, hoc pacto apprehensor ab homicidio tali commissio excusaretur. Neque culpæ vlli executor fit obnoxius, ob læsionem, ob mutilationem, si quando de malefici impetuosa rebellione *docere poterit, l.2.* & l. si quis percussorē. C. ad l. Cornel. de sica. Ita videtur sentire Bal. subtilis in simili, in l. Addictos, C. de Episco. audient. necnon d. Angel. in suo tractatu malefi. *in glos.* in verbo, Fama publica, versic. Et primo, quando Officialis vadit pro malefactore capiēdo. Idem Bald. in l. fin. C. de exhib. reis.

29 Quisquis † violenter executori apprehensuro restiterit, violenta manu ipsius sinum aut gulam constrinxerit, si milémve violentiā illi impegerit: periculo se committit perdendi pugni, aut alterius mulctæ pro qualitate impetus, & animi ad nocendum auidi.

30 quisquis autem † violenter maleficū criminis gratia vinctum, è manibus executoris aut satellitis extraxerit, is sese exponit *periculo* subeundi eandē pœnam corporalem, vel ciuilem, pro Iudicis arbitrio, quā subijsset captus, si extractus non fuisset, argumento l. Ad commentariensem, C. De custo. reo. & l. Quoties, C. De exactorib. tributo. lib. 10. Porrò quū hominū natura promptior sit ad malum, quàm ad bonum, non raro fit, vt multi ita sint erga iustitiæ executores affecti, vt ad

31 apprehensionē † maleficorum (tametsi non eripiant) requisiti aut fugiāt, aut operam suam recusent, sed veluti ocioſi spectatores, baculis suis innitūtur, & euētū colluctationis expectātes, quasi ad iustitiæ executionem impediendam alacriores sint, quam ad eiusdem promotionem (quod ipse nimis vera experientia didici.) Officiarium in periculo relinquunt, aut subinde etiam occidi permittūt, ob quorum inertiam, siue potius ob iustitiæ propagandæ supinam negligentiam, atque pernitiosum despectum, fit vt ipsi malefici è manibus iustitiarij sæpe elabantur, audaciores fiant, & etiā passim multis modis maleficentiores imò & ipsis rusticis iustitiæ maleuolis despectoribus sæpe nocentiores cuí damno suo, imo communi malo potius, facilè mederi potuissent, si vel leuiter Officiarium in apprehensione iuuare libuisset: Alij verò multò sunt pusillanimiores, qui ob rusticū & nimis ignauum timorē, maleficorū gratiam potius sibi conciliare malunt, quàm malā apud eos inire gratiam. Hinc fit vt etiam aliquando de ijs bene mereri studeant, eos domi quū veniūt, alāt: requisiti, eos occultēt, patrocinētur, clāculariās suppetias sufferāt: Officiarijs eos requirentibus, denegent, adeò vt vel iuramento adacti, malint nequiter peierare se eos nescire, aut non vidisse, quàm eos sola cōmonstratione in Officiarij manus sa lubriter tradere. Atq; hæc omnia ex eo (vt dixi) metu, quo timent postea ab ipsis, si euaserint, aut à complicibus suis nocte opprimi, spoliari, aut incen

32 di. Verùm † si omnes Rustici cōiūctis & animis & operis huiusmodi nebulones, Reipub. pernicies & nefaria scelera, vt rabidas bestias non tā à sese q̄ à tota Repub. profligatos, atq; prorsus extinctos curarēt, lōgè præclarius Repsublicę nostræ florerent tutiusq; passim bonis ciuibus iter facere, quocunq; velint liceret, Verum prōh dolor, plures inuenias qui in ipsam iustitiam, virtutem Reipublicę quā maximè necessariam, quàm in ipsos iustitiæ oppressores, aut propugnatores sæuire malunt. Atque hinc fit, vt

33 tā † impunè tot latronibus regiones no-

res sæuire malunt. Atq; hinc fit, vt tã impunè tot latronibus regiones nostras opplerivideamus, qui laxis vestibus, interiusq; occultatis loricis aut alijs armis clara luce inter bonos ciues cõuersentur, qui quoties volunt bonos mercatores Reipublicæ fortes neruos in viis opperiunt, spoliant & interimunt. Sed huiusmodi oẽs peregrinos, vestibus aut armis quocũque modo suspectos, optarim ab Officiariis apprehẽdi, perquiri cuiates sint, & vnde viuãt. Quos si apprehenderint, cautè eos seruẽt (vt oẽs alios) nusquã quiescant, aut rarius, potissimũ si per Cœmeteria aut per loca alterius iurisdictionis, aut per loca alia priuilegiata ipsos cõducere debeant, ne eo ex manibus ipsorũ elapsi tanquã ad certum
34 asilum profugiant. † Executori de iniurijs, violentijs, aliisue excessibus in cõmissionis suæ executione (vt fortasse refert) nulla alia, nullaq; maior fides per Iudicẽ dabitur, q̃ quòd ad talia iniuriarũ veritatem inquirendam (si volet) iubebit procedere. De ipsa verò executione facta, & quicquid ipsam concernere videbitur, executori
35 indubitata fides habebitur, vti & paulò antè meminimus. † Quoties male ficus diffamatus executorẽ insequẽtẽ profugiens, sese in alterius ditionẽ & territoriũ receperit, licebit nihilòminùs executori, & ibi per alienã iurisdictionẽ èvestigio, atque ardenti cursu fugientẽ maleficũ subsequi, aq; in territorio eo ẽ in iustitiæ fauorẽ apprehendere; sed ita captũ debebit tradere illius territorij domino & præfecto, vbi captus fuerit, siquidem id captus aut dominus poposcerit. Huius quæstiunculæ vtcunque meminit D. Angel. in præfato suo tractatu malefi ciorũ, sub glos. in verbo, Fama publica, versic. Sexto quæritur, An si Officialis vult capere malefactorẽ, &c. coniunctis additionibus ibidẽ, quẽ petite. Hic quoq; oritur quæstio, An clericus in sacris ordinibus còstitutus, repertusq; in enormi & flagráti crimine, capi posset etiã à laico? ad quã quẽstionẽ respondendũ est quòd sic, modò eum ducat ad iudicẽ eccleasiasticũ. Iuxta Innoc. in c. vt fame de sentẽt. excõmunica. D. Flor. in l. 4. ff. ad l. Aquil. Hyppol. de Marsilijs in repetitione. l. vnicæ. numero. 89. & 90. C. de rapt. virg. Quorũ sententiã & refert & sequitur Ang. de Aret. in suo malefic. tracta. in ver. fama publica, in 10. charta versic. 9. &c. & ibi in additionib. Quos authores occasione habita consulere poteris.

CAPVT XVI.

De Carceribus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 16.

- Carcerum alij parantur
  - Malefici
    - Puniendi
      - In curijs spiritualibus semper.
      - In singulari iustitia subinde,
    - Seruandi
      - Simpliciter,
      - Per compedes, &c.
  - Debitoribus seruandis, vel
    - Molestia carceris ad solutionem vrgentes,
    - Iuramento, In domibus
      - Satellitum
      - Stipatorum
      - } Sic impropriè.
  - Militibus alijsq; captis tẽpore belli, vsque ad multæ solutionem ibi continẽdis.

Pœna perpetua carceris, morti comparatur. 2
Carcer, custodia non pœna esse debet. 3
Carceralis punitio in pane & aqua ad tempus Iudici seculari nonnunquã cõceditur. 4
Apostolus Paulus Romæ fuit detentus sub libera custodia. 5



MVltæ sunt carcerum siue ergastulorum formæ. † Alij namque carceres ad corporis punitionẽ, siue pœnam parantur, qualibus vtuntur curiæ spirituales, seu Iudices ecclesiastici, maleficos condemnantes ad perpetuam, vel temporalem carceris pœnã, c. Quãuis, de pœnis, lib. 6. Iohan. à Platea, & Angel. in l. Nemo carcerẽ, C. de exactorib. tributo. lib. 10. c. Nouimus, ext. de verbo. significat. Panor. in c. At si clerici, & in c. 2 Cùm ab homine, ext. de Iudic. † quæ quidẽ pœna perpetui carceris, morti proculdubio comparatur, Innocẽtio & alijs testibus in c, Qualiter & quando, ext. de accusatio. Panor. in c. Tuæ discretionis, ext. de pœnis. Alij ad solam criminosorũ siue facinorosorum custodiam seruiunt, donec processus fuerit

fuerit formatus. Hoc autẽ fit bifariã, quãdo ſcilicet leuiter malefici, ſimpliciter abſq; vllius catenæ, cõpedis, aut alterius ferramẽti adhibitione ſeruãtur. Grauiter verò criminoſi, dictis cõpedibus adſtricti cuſtodiũtur, donec de delicto cognoſcatur, l. 2. C. de exhibẽ. reis ad finẽ: ibi, donec repererit cognitio celebrata diſcrimẽ. Hac incarcerandi forma vtũtur Iudices ſeculares, qui nullos vnquã perpetuis mãci
3 pãdos carceribus decernũt. † Quandoquidẽ cuſtodiæ iſtæ ciuili iure cõſeruandis, neutiquã puniẽdis corpori bus inuentæ ſiue extructę ſunt, l. 1. & fin. C. De cuſt. reo. l. Aut damnum, §. Solent. ff. de pœnis, l. Incredibile, C. eod. titul. de pœnis, d. l. Nemo carcerem, l. Verum eſt, ff. de verbor. ſignificat. Vnde iuriſconſultus perpetuos carceres prohibet, de quo admodum multa D. Angel. in d. l. Nemo carcerẽ. Horum recordatus eſt Angel. in ſuo ſingulariſsimo tractatu maleficiorũ, ſub gloſ. in verbo, Fama publica præcedẽte. verſic. Et primò ſciendum eſt, quòd carcer regulariter ad cuſtodiã, 5 l. Nemo carcerem. Itaq; † fuit Romæ
non ad pœnam inuentus eſt. Bald. in l. Imperium, ff. de Iuriſdict. omnium Iudicum. Idem Bald. in l. 1. C de confeſs. Ang. in l. Qui in carcerem, ff. de eo quod met. cauſ. quos loco atque tempore oportunis, ſtudioſus lector
4 videre poterit. Verùm enimuero † in leuioribus delictis, quibus iura aut ſtatuta nullum peculiare decernunt ſuppliciũ, ſubinde ſeculari Iudici permittitur carceralis punitio: nempe, vt criminoſus in carcerem coniectus ad certum tẽpus, ſolo pane & aqua maceretur, aut aliàs caſtigetur, l. 1. §. fin. ff. de aleæ luſu, & aleato. vbi textus, Qui compulit ludere aut mulcta mulctetur, aut in latumias, vel vincula publica ducatur, vbi de iure ciuili eſt vnicus caſus ſpecialis, quo carcer eſt ad pœnam, teſte D. Bart. in ſuo tractatu, de carceribus. Huius meminit ad amuſsim Iohan. à Platea, in allegata l. Nemo carcerem. Alij carceres ſoli extenuationi atque corporum exercitationi accommodantur, eorum potiſsimùm qui condemnationi ipſorum pro viribus ſatisfacere negligunt, nec ſeſe ære alieno, quo grauantur, eximere ſtudent. Angel. in ſuo tractatu malefi. ſub gloſ. In verbo, Fama publica præcedente, verſic. Quotuplex autem ſit carcer. Alij bellorum temporibus magis ſunt vſui, quibus coarctantur capti, donec cõſtitutam ipſis pecuniariam mulctam pro iure militari dependerint, vt in vniuerſo titulo, De cap. & poſtlimi. reuerſ. Qui autem ſeruantur ſub fida ſeu libera cuſtodia, hoc eſt, quos ſeruandos tradimus fidei ſatellitum, aut ſtipatorum, non dicimus hos propriè incarceratos: non licet tamen illis longiùs quàm pro permiſſa fide, quoquam ſeſe diuertere, l. Diuus, t. ff. de cuſtod. & exhibit. reorum. & iamiam citata
Paulus Apoſtolus detentus ſub fida ſiue libera cuſtodia, capite vltimo Actuum Apoſtolorum. Ad eandẽ quoque fidem deuincti ſunt, quicunque ſeſe iuramento adſtrinxerunt nõ exire Oppida, Caſtra, domus Satellitum, atque ſimilia ipſis conſtituta loca: hic, ſi quid amplius de carcere deſideres, ex varijs eximij D. Baldi ſchoſijs petito, nempe, Authenticæ, Si captiui, C. de Epiſco. & cleri. l. Imperium, ff. de iuriſdictio omnium iudic. l. vnicæ. C. de confeſs. atque Angeli, in l. Qui in carcerem, ff. de eo quod met. cau. nec non in tractatu maleficiorum, ſub ſolenni & ſæpe allegata gloſſa, in verbo, Fama publica præcedente, verſic. Quotuplex autem ſit carcer, atque Bart. in d.

suo tractatu de carceribus, cum sine numero similibus scribentium passibus, hoc loco prolixitatis euitandæ gratia omissis.

CAPVT. XVII.

De Carcerarijs, siue Commentariensibus, hoc est, Carcerum custodibus.

Summæ rerum tractatarum im Commenta. CAP. 17.

Commentariensis in Iure qui dicantur. 1
Commentariensium eligendorum diligens habenda est ratio. 2
Commentariensium quorundam improbanda vitia. 3
Commentariensium bonorum conditiones quales. 4
Capti, ab ipsa hora traditionis periculo carcerarij commissi sunt. 5
Carcerato reperto mortuo, contra commentariensem præsumitur. 6
Carcerum custodes negligentes, qua pœna puniantur? 7
Incendium, Ruina, aut similis casus fortuitus, claustrarium absoluit ab eruptione, fuga & captiui. 8
Carcerarij plures, quomodo excusentur, fugam capiente ipsorũ vno cum captiuis. 9
Carcerum custodibus fas est nonnunquam ferreis manicis siue cathenis vinctum constringere. 10
Validiores arctiùs constringendi sunt debilioribus. 11
Commentariensium est vinctos blandè, alacriterq; exceptos, grata humanitate tractare. 12
Quæ carcerum custodibus sint prohibita. 13
In carcerati non sunt inedia, siti, aut famè torquendi, dignoue solatio priuandi. 14
Carcerum custodibus, quæ officia potissimùm incumbant? 15
Iudicis officium erga Captiuum insontem. 16
Captiui intra mensem relaxandi, nisi &c. 17
Carceratorum causas oportet esse summarias. 18
Mulierum carceres secludendi à virorum carceribus. 19
Commentariensis vinctam cognoscens, qua pena plectendus? 20
Custos carcerum mulierem incarceratam honestè custodire debet. 21
Carcerarius iure debet reum absolutum illico dimittere, verum vsus nunc secùs obseruat. 22
Officiarius, Fiscus, aut Hostiarius, nullã dat cautionem de expensis carcerati. 23
Commentariensibus prohibetur vinctos pecunia, vestibus aut alijs rebus spoliare. 24

1 COmmentariensestin iure vocantur, quicũ que carceribus præficiuntur, à quibus apertius carcerarij dicuntur, à Cippis 2 Cipparij: Horum† Commentariensium circa electionem diligens habenda est ratio, ne quibusuis hoc officiũ 3 citra delectum cõmittatur. Sũt† enim hodie (quod sine dolore cõmemorare nõ possum) pmulti carcerarij tot scelerib⁹ coinquinati, tot, tãq; fœdis vitijs infamati, vt ipsi verius neruis sint implicãdi, & coẽrcẽdi cõpedibus, quã quos ipsi durissimis vinculis immaniter con

conſtringunt. Nempe ſtrenui potatores, ſcortatores, adulteri, ſuarum captiuarum aut compreſſores, aut ad libidinum varias ſpecies conniuentes, coadiutores. Et ne quid ſæuius interim dicam: Carceres iuſtitiæ profanantes, & quaſi Proſtibuli loco abutentes aut diſſimulatione abuti permittentes, vt hinc proprijs ſuis libidinibus ſeruiant, aut certum quæſtū (licet turpiſsimum) ſecretò faciant. Inueniuntur alij, qui muneribus corrupti captiuos aut clauſtra aperiant, aut ſibi vim illatam ad eruptionem ſimulent, aut ad varias effractiones conniueant, & fortaſsis etiam ſubſidium præbeāt. Aut proprijs carceribus incendium inferant. Sunt alij quibus res eſt contractior, qui captiuos ſuos æquo durius excipiant, inclementius tractēt, partius ſubſeruiant, ſæuius in vincula & cōpedes conijciāt, cōtume
2 lioſius alloquātur, cōmiſſa exprobrēt, miſſas portiōes aut minuāt, aut prorſus ſibi reſeruēt. Debitā carceris quoque portiūculam tenuius præbeant. Hiſq; modis miſeros captiuos inedia torqueant, & afflictis afflictionē conduplicant. Sunt alij præterea Cōmentarienſes verius aleatores q̄ officiarij iuſtitiæ, qui nullū nō aleatorū genus in carceres inferunt, per quod captiui ſua deperdāt, ipſi vndecunq; ſuū lucellū venātes, captiuos ſuos quacūq; in re (ne dicā expoliātes) emulgētes atq; emungētes, nihil penſi habentes, quō ſuos patientes excipiāt, trectent, & dimittant. His malis vt piè occurratur, & remediū prudēter adhibeatur, admonendi ſunt mihi iudices, vt in aſſumendis Cōmentariēſibus, vigilantes ſint & prudētes, ne quibuſuis citra de
4 lectū hoc officiū cōmittant. Quin † potius eligant viros bonos, cordatos, humanos, mites, miſericordes, benignos affabiles, pios, bonæ conſcientiæ, timentes Deum, qui ſuos captiuos diligenter neceſſaria ſubminiſtrent, eos ſubinde conſolentur, & vt pij patresfamiliâs in quibuſuis neceſsitatibus iuuamē & ſolacium præbeāt afflictis. Nihil piaculi, nihil ſpurcitiæ, nihil exactiōis, nihil impoſturæ, nihil fraudis, nihil criminis, nihil denīq; maleficij, aut per ſe, aut per alios, in ſuos carceres irrepere ſinant. Atque huiuſmodi cura maximè adhibenda eſt in primarijs ciuitatibus, quales ſunt in Brabātia, Louanium, Bruxella, Antuerpia, Buſcūducis. In Flandria, Gandauum, Brugæ, Ypra. Itē Inſulæ, Tornacum, atque his permultæ ſimiles, in quibus plærunque magnus eſt captiuorū numerus. In reliquis verò ciuitatibus, ijſq; minoribus Pagis aut Caſtris, propter raritatem prædictorum Ciuium ſuperuacanea fortaſsis foret prædicta tamq; accurata diligentia in eligēdis Commentarienſibus. Interim tamen ſupradictam delectionis curam non aſpernabuntur, ſed ad præſcriptam formam ſuam quoque diligentiam, quantū in ipſis erit adhibebunt, eā imitabuntur, & ad eam ſeſe diligēter component. Nacto igitur tali iuxta formam præſcriptam probo Carcerario, tuto huic Carceres committantur, ipſiſq; per Iudicem ac magiſtratum præficiatur. Capti itaque om-
5 nes, † quotquot ſunt, ab ipſa hora traditionis, fortunæ ac periculo Carce-
6 rarij commiſsi ſunt: adeò vt ſi † quiſpiam in Carcere caſu quodam repertus fuiſſet enectus, neque certò de interemptione conſtaret, mors iſthæc ipſi commentarienſi imputaretur, niſi legitimè hinc ſeſe expurgatum reddere poſſet. Gloſſa eſt admodum ſingularis in l. Cùm ita, §. Species in verbo. nec dolo. ff. de leg 2. ſeruit. l. Cùm res, §. Item, ff. de legat. 1. quam gloſ. refert ad hoc, & ſe-

quitur Io.de Ana. in c. Ad falsariorũ in fine primæ colũnæ,de cri. falſ. eandẽ aſtruit ſingularẽ Ang. Aretinus in ſuo tract.maleficiorũ, in gloſ.incipiẽte, fama publica præcedẽte in 13.char. in verb.2.quæro. In l.1.in fi.& in l.Ad Commentarienſem,C.de cuſto. reo. Huius meminit excellẽtiſsimus I. V. Doct. illuminatiſsimus D Hippol. à Marſil. in ſuis cõſilijs criminalibus cõ ſilio 52.numero 36. in 1. volume. Si
7 prẽterea † captiuus,crimine notatus, incuria,negligentia, aut ebrietate carcerarij,vel ſuorum, carceribus effractis aufugerit, obnoxius ſit hic idem carcerarius ijſdem pœnis, mulctis, & ſupplicijs,quibus ille fugitiu⁹, ſiue capitalibus, ſiue ciuilibus, arbitrio iudicis,trita & vulgata,l.Ad cõmentariẽſ. addita gloſ. memorabi. in verbo Qui fugerit,C.de cuſt.reo. Neq; vlla expurgatione clauſtrarij carceris, aut ipſo-
8 rum cuiuſpiã,dilueretur incuria.† Verum ſi incendiũ,ruina, aut quid ſimilis fortè euidentis periculi accidiſſet carceribus, ab iſtiuſmodi ſceleroſi eruptione,fuga q;,clauſtrarius immunis foret & liber, potiſsimũ ſi quid eorum, præter ipſius culpã,eueniſſet,l. milites & l.ſi ff.de cuſt.& exhibi.reo. nec inconcinniter his ſeruit l. Si vt certo,§. Proinde,ff.cõmoda. Si verò militia, fauore, aut donarijs corruptus illos ſceleroſos apertis clauſtris emiſiſſet, planè capitaliter plectendus foret,
9 præallegata,l. fin. Sicubi † locorum carceribus præficerentur carcerarij duo aut tres, quorum tertius vna cum captiuis laxatis vinculis, ſeſe in fugam daret: reliqui clauſtrarij (niſi huic re aut conſilio ſuppetias attuliſſent)indemnes, & immunes erunt à culpa,& à pœna liberi,l. final.verſi. Interdum,ff.de cuſto.& exhibit.reo. & ibidem D.Alexander in apoſtil. ad Bart.ait prædictam l.finalẽ nedum ſin-

gularem,ſed ſingulariſsimam adhoc, Quòd cuſtos carceris non tenetur de facto ſui ſocij, quia iuſtè erat de ſuo ſocio confiſus,quod dictum refert D. Bolog. ſignandum pro caſtellanis in ſuis additionibus ad præcitatam l.
10 fin.Fas eſt † Cipparijs(ſi ita fari liceat) ſeu carcerum cuſtodibus ſibi criminoſos captiuos,ad repetitionem vſq; traditos,ferro,cõpedibuſq; cõſtringere, modo ſuris, tibijs, pedibus,alijſq; membris illæſis, minimé que mutilis reddiderint,l.1.§.Interea,C.de cuſto. reo. Captiuus ilico à confeſsione criminis capitalis conijciendus eſt in compedes, ſiue in vincula publica aut cum primum teſtimonio criminis reus co iuictus fuerit, donec de eo pronuncietur,l. Si confeſſus,ff. de cuſto.& exhibit. reo. Idem quoq; fiat ei, qui erupto carcere furtim effugerit, quòd ſimilis fugæ ſuſpicione, iam certò taxandus fue-
11 rit. Iuuenis † arctius, fortiusq; conſtringendus eſt ſene. Rurſum validus firmiùs continendus languido. Sanus fortius ægroto ac valitudinario,atque item de alijs,vbi ſumma prudentia in rerum ac perſonarum perſpectione Commentarienſi vtendum fuerit, ſecundum gloſſam & doct.in l. Si vt certo, ff. Commo. quod nec diſplicuit D. Hippolito de Marſil.I.V. Doctori meritiſsimo in ſua practica cauſſarum crimin. in. §. Attingam, numero 15. Cipparioſ-
12 rum † ſiue Commentarienſium erit, captiuos blandè,alacriterque exceptos grata humanitate,atque clemen-
13 tia officioſa tractare. Saltem illos † ad loca quò cœleſtis aër pertingere nequit,nõ ſeducere: neq; aliquo protrudere tam procul ab omni hominũ copia,vnde voces ipſorum & clamores à nemine exaudiri valeant. Ne-
14 que vlla ſinãt † ratione,captiuos ſiue vinctos

vinctos inedia, siti, aut fame torqueri ne pœnis carcerum perimantur, l.1. C. de cust. reo. Iason Doct. insignis, in l. Si victum, ff. de re iudica. Nullos amicorum aut affinium ab horum solatio arceant & colloquio, nullorum eleemosynis ciborum, aut potuum ipsis elargiendis obsistant, nisi per iudicem ipsis expressè fuisset vetitum.

15 Singulis† quibusque mensibus carcerariorum est, suorum captiuorū seu vinctorum numerum significare Iudici, causam & delicta, quorum gratia sibi traditi sunt, pariter cum ipsorum ætate, valetudine & imbecillitate vt aut conuictos, velox pœna subducat: aut liberandos custodia diuturna non maceret, idque sub pœna viginti librarum auri, l. fi. C. de custo reo. Verum istud practicæ vsus non recipit. Iudicis item fuerit captiuis diligenter de singulis prospicere, iubere & mandato curare, ne quid ad vitæ commoditatem necessarium ipsis deficiat, Clement. 1. §. Sanè, & ibi Car. de hæ-

16 ret. Si†Iudici compertum esset, captiuum quempiam ibi coniectum, absq; vlla persona actore aut criminatore, illius muneris foret hunc vinculis, & carceribus relaxatum, pristinæ liber-

17 tati restituere. †Debet insuper iudex omnes captiuos intra vnius mensis spacium (iuris ratione) absoluere, vel sententia damnare, quatenus ipsa ad hoc materia planè parata depoſcat,

18 expressa l. finali, C. de custo. reo. †Carceratorum enim causa est, summaria sicut causa miserabiliū personarum, vt inquit D. Cyn⁹ in l. finali, C. si quis alteri, vel sibi. quem refert & sequitur D. Bartolus in tractatu suo, de carceribus, ad finem, vbi etiam allegat. D. Cynum in l. 1 C. Quando Imper. inter pup. & viduas. Dicitq; quòd de hoc videtur esse textus, & ibi Bald. in l. finali, C. de custo. reor. sæpiusculè allegata. Ita recitat, D. Hippolitus de Marsilijs, in sua causarum criminalium practica, sub §. At

19 tingam, numero 75. Mulieres† captæ ob crimen, à virorum consortio separandæ sunt, ac priuatis suis mancipandæ custodijs, Aperta, l. Quoniam, cum Authentica seq. & ibi Bald & Salicetus, C. de custo. reo. Cardina. in Clemen. 1. §. 2. de hæreti. Vel pro nouis Constitutionum legibus detrudantur in arctum aliquod monasteriū et cœnobiū, fideliter ibidē conseruandæ, donec Iudex negotium plenè discussum finierit, Authen. Hodie, C. de custo. reo. nec non in Authenti co, vt nulli Iudicum, §. necessarium, vnde iam iam citata Authentica deprompta est. colla. 9. constitu. 9. Quis-

20 quis† Cipparius, siue Cōmentariensis carnali compressione quampiam suarum captiuarū cognouerit, etiam si id cū ipsius cognitæ gratia factum fuerit, capitis crimini sit obnoxius, & gladij animaduersione plectendus. Iohannes fabri in. §. Item lex Iulia, ad finem. Institu. de publicis iudic. Paris de puteo non mediocris sui temporis practicus in suo tracta. de syndi. in c. Adulterium. §. siue tenetur enim diligenter ac honestè custodire & alere mulierem incarceratam atque illam illæsam supplicio vel innocentiæ conseruare, vt l. 1. & final. C. de custo. reo. Bartolomeus à Chassenæo in Rubrica, c. *des iuſtices & droictz dicelles*, folio. 17. colum. 3. etiam si incarcerata esset meretrix, teste D. Iacob. Boullenc. Ebroicensi, Iuris vtriusque prolyta, in Repetit. §. Famos, constituti in l. Capitalium, ff. de pœnis: licèt enim meretrix possit impunè cognosci, non tamen dum est in carcere iudicis detenta, ne fiat iniuria castitati carceratorum, ratione loci, qui est publicus l. 1. C. de

offic. ciuil. Iudi. pro hoc tex. in arg. in l. Quod ait lex, ibi, quare non vbicunque. ff. de adult. Ad hæc casu emergente, consulite D. Nicolaum Boer. decisionum aurearum insignium, q. 317. vbi tractat, Quid de iudice, aut senatore, siue consiliario regio, vel præside, aut cancellario, vel commentariense, qui carnaliter cognisci mulierem coram eo, vel curia litigantẽ, aut carceratam, vel alia ratione iurisdictioni tantùm subditam, an puniatur: Cogi
21 tur† carcerarius captum, nunc crimine absolutum, illico relaxare, atque suæ libertati pristinæ dimittere: semper actionem suorum sumptuum recuperaturus ab illis, qui talem capturæ priùs mandare ipsi curauerant, idq; solùm iuris decreto. Verùm hodie vsu iam recepto, solent commen
23 tarienses suos captiuos seu vinctos retinere, donec per ipsos, aut alios sibi de impensis sumptibus satisfactum fuerit. Commentariensium fuerit, ipso captiui traditionis tempore, à partibus aduersarijs quorum authoritate capti sunt, flagitare cautionem & fideiusionem de expensis insumendis: Vel certè ab his expensis per exteri cuiuspiam suppeditationem liberari: nisi is captus ad sumptuum certitudinem satis fuerit opulentus, vel nisi contra officiarium aut fiscum duntaxat carceri traderetur, quòd horum vterque satis sit diues soluendis sum
22 ptibus. Hostiarij, & †reliqui officiarij, quum captos tradunt carcerarijs ex mandato siue commissione Principis, aut Consilij, non debent vnquam respondere aut iubere fidem de expẽsis exoluendis. Quod fuerit solius impetrantis: nisi hostiarijs illis per impetrantes de executionibus, atque cæteris sumptibus euenturis esset satisfactum. Non possunt cõmentarienses, †aut suorum quiuis captum, pecunia, vestibus, aut alijs rebus, vllo modo spoliare, sub prætextu & titulo sumptuum aut expensarum carceralium, neque vllo alio prætextu. Hæc de Carcerarijs scripta sufficiant.

CAPVT XVIII.

De effractione Carceris.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 18.

1 Fugiens è carcere
- Per ipsum vi effracto, aut
  - Criminis obiecti Reus est
  - crimine innocẽs est
  - Et punitur
    - Capitaliter, crimine tamen per se antè non capitali,
    - Tamen tanquam id ipsum commisisset.
- Aperto non effracto, puniendus est pro arbitrio Iudicis.

Captus, commentariensem effugiens, lædens, aut occidens gladio punitur. 2
Captus reuelans carceris effractionem, laxandus est vinculis. 3
Captiuum criminarium violenter extrahens carcere, quomodo puniatur. 4
Qui aufugit carcere, is fugæ (ex quauis etiam captiuitate) suspectus conuincitur. 5
Iudex debet considerare quid mouerit fugientem vel effringentem, quo securiùs iudicet. 6
De iure Pontificio non reperitur specialis pœna statuta in effractores carceris. 7
Sacri canones sacras leges imitari non dedignantur, & econuerso. 8

Quisquis



1 QVisquis † criminaliter captus, carceribus, citra omnem etiam violentiam, effugerit: vt quorũ oſtia repererit aperta, is exilij, relegationis, ſiue alia pœna arbitraria, pro Iudicis prudentia damnandus fuerit aperta & clara l. 1. ff. de effracto. & ex pila. Si verò hinc violentè, atq; effractis foribus, ſiue conſpiratione cum cæteris qui in eadem cuſtodia fuerãt eruperit, atque crimen ob quod coniectus ſit in neruum, nunc factum ſit propatulum, ſiue ipſius criminis nũc conuictus fuerit teſtimonio, capitis animaduerſione plectendus fuerit, etiam ſi crimen ipſum antè capitale non fuiſſet, l. 1. in prin. paulò antè citata, notabili l. Milites agrum, §. Eius fugam, ff. de re milit. Marcia. Eum qui carcere effracto fugerit, etiam ſi non antè deſeruerit, capite puniendum Paulus ſcripſit. & l. Si quis aliquid, 2. §. Miles, ff. de pœnis. Ipſa nam que carceris violenta eruptio fugien tem illius reum efficit, l. In eos, ff. de cuſtod. & exhibit. reor. & ibi gloſ. D. Iaſonem in ſua ſolenni repetitione, l. Admonendi, ſub numeris 172. 173. 174.

174.& 175.ff.de iureiuran. multa deducentem videbitis. Et ratio, cur is acriùs puniatur,eſt,quòd maius & intenſius hac effractione,delictum redatur,ideoq; nec mirum ſi plus puniatur,argumẽto l.3.in fin.C.de epiſco.audien.l.Seruos, circa medium, C. ad l. Iul. de vi publ. l. Capitalium.§.Solent,ff.de pœnis, & l. Omnes,De delatorib. lib.10. C. Itidem
2 quicunque captus † commentarienſem effugerit,læſerit,aut occiderit: is gladij animaduerſione capitalitér
3 damnandus erit. Captiuus ſeu † vinctus reuelans, prodens, & quoquo modo Iudici proferens, quòd cæteri concaptiui carceris effractionem moliantur,laxandus eſt vinculis, & crimen per Principem(modò id remiſſibile fuerit) meritò remittendum erit,d.l In eos, ad fin. iuncta ibidem gloſſ.plurima allegante in verb.Releuandos,quam per occaſionem lege & maſtica,lectionis te nunquam pi-
4 gebit. Quicunque † violenter criminarium captiuum (criminis tametſi immunem)extraxerit carcere,is quinquennalis exilij pœna iuridicè damnabitur,l.1.§. Item & effractores, ff. de effracto.& expilato.iamiam quàm ſæpiſsimè allegata. Sin crimini obnoxium capitali,confeſſo, aut teſtib⁹ conuicto ita extraxerit, capitaliter item puniendus erit, argumento l.1. ſtatim adductæ, & l.Ad commentarienſem,C.de cuſto. reo atque gloſſæ ſingularis ibid.in verb.Qui fugerit. † Cuius carceres,compedes,aliáue
5 vincula vel minimis etiam indicijs, confractione,aut violatione notantur,is fugæ,& ex quauis etiam captiuitate, aufugij ſuſpectus cõuincitur, perditq; priuilegia, gratias, & omnẽ benignitatem alijs conceſſam captiuis,veluti relaxationes ſub fideiuſſione,liberationem ex compedibus,exitus ad beneficia cæli, acceſſus ad luculentas feneſtras, idq; genus alia amica humanitatis donaria. Si contingeret captiuum ſemet grauiter lædere,aut etiam ex deſperatione ſimiliue occaſione ſeſe interimere,neque Iudex,neque commentarienſis in huius læſionis ac interemptionis(ſiquidem eas ex deſperatione factas apertè conſtiterit)culpam incideret. Si verò ea occaſio non clara, ſed dubia prodiret,obijcienda eſſet commentarienſi,donec ab ea ſeſe expurgatum reddidiſſet,l.fin.§. Ergo,ff. de cuſto.
6 & exhibit. reo. Caſu † tamẽ emergente debet Iudex animaduertere & conſiderare,quid mouerit fugiẽtem vel effringentem, quò ſecuriùs iudicet: Ita adſtruit egregius vir iuriſq; peritiſsimus Ioan. Berberius in ſuo ſingulariſsimo ac compendioliſsimo viatorio ſeu directorio iuris, ſub Rubrica,de effractoribus carcerum,ver
7 ſus medium † De iure autem Canonico ſeu Pontificio non reperitur ſpecialis pœna ſtatuta,ſed per generalitatem regularum, de quibus in c. At ſi clerici,& in c.Cùm non ab homine de Iudic.ac per c.Tuæ, ext.de pœnis, poterit Iudex eccleſiaſticus ad inſtar regularum ciuilium,qualitatibus perſonarum & delictorum penſatis,punire.Nam poſſet effractorem deponere,per lecturam & notata in c. Ex
8 literis , de exceſsib. prælato. † Sicut enim leges non dedignantur ſacros canones imitari:ita & ſacrorum ſtatuta canonum, principum conſtitutionibus adiuuantur, c.1. & ibi ſcribentes.ext.de no.oper.nuncia.c.vlt. in fin.ext.de ſecund.nupt.In Authentico.vt cleri. apud proprios epiſcopos primum conuenìatur,§. penult. colla.6.In Authent. de eccleſ. tit. in principio,colla.9.& in Authent. quo modo opor.epiſco.§.vlt.colla 1.vide

Nico-

Nicolaum Boer. in ſuis deciſionib. aureis. q. 215. & q. 216. huic Capiti non abſurdum foret adijcere aliquot modos, quibus malefici Carceres effringere ſoleant. Verum quum horum multi multos lateant, deinde ne eos edocere videamur, ab eorum explicatione calamum cohibere volui.

CAPVT XIX.

De Relaxatione Carceratorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 19.

1 Relaxationum carceratorum
- *Aliæ fiunt poſt cauſſæ, ſiue litis deciſionem, & ſic poſt ſententiã*
  - *Aliæ per ſententiæ executionem*
  - *Aliæ per gratiam ex beneficio & indulgentia principis,*
  - *Aliæ propter innocentiam incarcerati, &c.*
- *Aliæ lite pendente*
  - *Aliæ per compoſitionem pœnæ factam cum curia, aut Fiſco, &c.*
  - *Aliæ gratia fideiuſſionis præſtitæ, &c.*
- *Aliæ licenter, & de facto per fugã incarcerati*
  - *Aliæ cũ fractura & violẽtia carcerũ*
  - *Aliæ abſque fractura aut violẽtia.*

Carcerarius nequit criminoſos vinctos vllo modo relaxare ſine Iudicis ordinatione. 2
Iudex temerè captiuum relaxans, aut mandans relaxandum, ad quid teneatur? 3
Criminaliter coniectus in carcerem abſque mandato, aut informatione præuia, ſi repentè laxandus eſt. 4
Quomodo & quando incarcerati laxantur à vinculis. 5
Flandriæ vſus. 6
Captiuus non eſt relaxabilis, vbi fiſcus alternatiua vtitur concluſione, 7
Flandriæ vſus, 8
Captus nonnunquam relaxatur, aut per cautionem ante adiudicationem, aut per conſignationem poſt adiudicationem. 9
Mulieres honeſtæ in leuibus criminibus non debent perſonaliter detineri, 10
Mulieres non relaxantur fideiuſſoribus, ſi crimina atrocia ſunt. 11
Mulieres infames, impudicæ & inhoneſtæ, etiam pro leuibus detineri poſſunt criminibus. 12
Ceſſio bonorum nil habet loci in lite criminaria, in qua captus patienter criminis mulctam corporalẽ pœnã ſubeat, neceſſum eſt &c. 13
Paupertas à pœna non excuſat, 14
Qui non habet in ære, luat in corpore. 15

Quum



QVum ſæpiuſculè cernamus reos pro multifarijs criminibus incarcerari, ex quibus carceribus poſtea diuerſimodè relaxantur, non incongruum nobis fuit, hoc loco de carceratorum relaxatione paucula in
1 medium afferre. Reorum † itaque relaxationes diuerſæ ſunt. Aliæ namq; fiunt poſt cauſſæ deciſionē, idq; poſt latam ſententiam. Aliæ autem fiunt, lite adhuc pēdente. Earū verò relaxationū, quæ poſt litis deciſionē fiunt, quædā fiunt, per ſentētiæ executionē: Aliæ per gratiam ex beneficio & indulgentia principis: Aliæ denique propter innocentiam incarcerati, cunq; plenè & adamuſsim de illius innocentia conſtiterit. Relaxationū autem quas fieri diximus lite pendente, quædam fiunt per compoſitionem pœnæ factam cum curia, officio, fiſco, aut ſimilibus. Aliæ fiunt, gratia fide iuſsionis præſtitæ, de ſeſe præſentando, quoties id Iudici viſum fuerit, & ſoluendo pœnā, &c. Aliæ ſunt, quæ fiunt licenter & de facto, per fugam incarcerati: quæ ſubinde accidunt cum fractura & violentia carcerum: quandoque autem clanculo abſque aliqua fractura aut violentia. Huius autem poſtremæ diuiſionis vt cunque meminimus cap. iamiam pręcedente, De effract. carceris. Quāobrem nequaquam hic decreuimus iſtarum

iſtarum diuiſionum omnia membra exactiùs atque copioſiùs explicare, nempe contenti earum capita vtcunque aperuiſſe, & lectoris auiditatem exacuiſſe, vnde ipſum (hic ſuperſedẽ do) iuſtiùs ad maximi nominis interpretem D. Paulum Grillandum remittimus, libr. 5. tit. de Relaxatione carceratorum. Quantum autem Relaxatio concernat ipſos carcerarios, qui aliquando temere, ſuo periculo, aut ex Iudicis decreto relaxant. Item & de concluſionum varietate hic obiter paucula monſtrare ſtatuimus.

2 Nõ eſt igitur † quod Carcerarius aut commentarienſis putet ſeſe poſſe criminoſos vinctos vllo modo relaxare, aut emittere, ſine Iudicis ordinatione, etiamſi eſſent innoxij: aut dignos fideiuſſores, ac vades conſtituerent. Si enim id fecerit, extra ordinẽ arbitrio Iudicis plectendus eſt, & om
3 nis damni reſtituendi obnoxius. † Itidem ipſe Iudex qui temere captiuum relaxat aut mandat relaxandum, ad damni reparationem tenetur, quod hinc iuſtitia, ſiue pars aduerſa conſequeretur. In relaxatione autem captiuorum optarem Carcerarium ſuo fungi officio (vti ſupra meminimus in cap. 17. de Commentarienſibus) nempe vt captiuos relaxatos pie & prudenter admoneant, vt memores conſecutæ gratię, poſtea vigilantius ſtudeãt vitare ſimilia maleficia, à malorum cõſortio ſeſe abſtrahant, malis conſiliis non auſcultent, iracundiæ temperent, & quaſcunque occaſiones mali fugiãt. Quin potius adhortentur ad ſtudium pietatis & honeſtæ vitæ, vt relicta via ſcelerum, viæ inſiſtant virtutum, deum timere incipiãt & de proximo bene mereri ſtudeant, fraternam infirmitatem moderate ferant, nihil vlciſci curent, iniurias quaſque fortiter tolerent, eaſque per iuſtitiã propulſent, non per vim, aut per furores, ne ipſos contingat eoſdẽ, aut ſimiles iterare carceres, vnde fortaſſis non perinde facile liberarentur, ni ſi cum infami & duriſsimo ſupplicio mortis. Ad quã exhortationculã adhibeat memorabilia exẽpla, quæ captiuos terreãt quibus emẽdentur & re
4 ſipiſcãt. Qui criminaliter † coniectus fuerit in carcerẽ, abſq; mandato, comiſsione aut informatione prævia, is repentè citra cautionẽ laxandus erit. Itidem is, cuius cauſſa talis fuerit, vt ſolo exilio foret relegandus: quando quidem exiliũ non vrget captiuum diu carceribus conſtringendum. Pa-
5 ri ratione † cenſebitur de quouis alio crimine, quod capitis pœnam, membri abſciſsionem, publicam inſtallationem, flagellationem, aut ſimilia non poſtulat. Captiuus capitaliter captus, non eſt laxandus vinculis ſub fideiuſsione, niſi crimen in cauſſam ciuilem fuerit conuertibile, & niſi fiſcus niteretur ciuili cõcluſioni, nempe, vt Reus pœnam cẽtum librarum groſſorum ſubiret, aut aliã mulctam pecuniariam. Neque item laxandus erit, ſi fiſcus tueretur concluſionem criminalem in ſubſidium: nempe centum librarum groſſorum, aut aliam ſummam intra menſem dependendam: quam niſi ſtatuto tẽpore illi exoluerit, amputetur illi pes, manus, aut aliud membrum. Sed ne tum quidem relaxabitur, quoties fiſcus concludit copulatiuè, hoc pacto: damnetur ſumma centum librarum groſſorum, & manu truncetur. In Flandria
6 † vſu receptum eſt, vt quãuis procurator alternatiuas concluſiones proferat, criminali tamen ſuę concluſioni conſtanter innitatur, quò decernatur ipſi ſuper ea per ordinem iuſtitia.
7 † Similiter nõ eſt captiuus relaxabilis vbi fiſcus alternatiuæ ac ancipiti inſtiterit

ſtiterit concluſioni: videlicet, præcida
tur manus, aut cētum lib. groſſorum
mulctetur. Tum enim in prudentia
Iudicis fuerit alterutrum adiudicare
8 pro qualitate facti. Vſus† tamē Flan-
driæ, iam olim recepit captiuos leua-
re, quoties procurator quoquo mo-
do à concluſione prima deflexerit,
hoc eſt, alternauerit: quanquā ipſam
criminalem concluſionē adhuc mor-
9 dicus preſſerit. † Quiſquis captus fue
rit ob nō iudicatas, vel ob quas non
incidiſſet mulctas criminales, vnde
ſemet liberum eſſe, negando conten-
deret: profectò is carceris anguſtijs
cum cautione hac, quòd in iuſtitia
comparebit, & iudicata perſoluet, le-
uabitur. Si verò mulcta priùs fuerit
adiudicata ante ſubleuationem, opor
tet priùs (pro ſtylo & vſu) nummos
10 enumeret & conſignet. Mulieres† ho
neſtæ in cauſsis criminalibus, vbi cri
men ſit leue, non enorme, neque ad-
modum atrox & graue, non debent
perſonaliter detineri neque incarce-
rari: ſed per fideiuſſores de iudicij ob-
ſeruatione relaxari, ſiquidē ipſos nan
ciſci & conſtituere potuerint: ſi verò
eos conſtituere nequiuerint, ne tum
quidem detinebuntur: ſed ſtabitur
earum fideiuſſoriæ aut iuratoriæ cau
tioni, per quam relaxabuntur. Quòd
11 ſi crimen† eſſet atrox & grauiſsimū
tunc non incarcerantur apud viros
(vti ſuperioribus titulis tactum eſt)
ſed intruduntur ſiue mittuntur in
monaſterium vel in Aſcetrion cuſto-
diendæ, aut honeſtis matronis tra-
duntur, per quas cuſtodiuntur, vt in-
quit text. notabil. in Authent. vt nul-
li iudi. §. Neceſſarium, verſic. Si verò
crimen ſit, &c. In Authent. Hodie no
uo iure, C. de cuſto. reo. Hæc autem
12 † intellige, de mulieribus honeſtis,
honeſtamq; vitam degētibus. Quan-
doquidem mulieres infames, impudi
cæ, & inhoneſtæ, huiuſmodi priuile-
gio frui non merentur, D. Bart. exi-
mio ita atteſtante in d. Authent. vt
nulli iudic. §. Neceſſarium: atq; Baldo
& doctoribus ita tenentibus in d. Au
13 thent. Hodie nouo iure. Ceſsio† atq;
bonorum renunciatio nihil habet lo-
ci, nil purgationis iu lite criminaria,
in qua captus patienter criminis mul
ctam, emendationem corporali pœ-
na ſubeat, neceſſum eſt, dum nec re
nec opibus hanc alioqui præſtare po-
14 tuerit. † Paupertas igitur nequaquam
illum à pœna excuſabit. Regulare
15 enim eſt, † vt qui non habet in ære,
luat in corpore: ex quo ſumere hanc
concluſionem nec extraneum fuerit.
Qui pœnam pecuniariam præ ino-
pia ſoluere non poſsit, corporalē pœ
nam ſuſtineat, & corpore iure plecta-
tur, l. 1. §. Generaliter, ff. de pœnis. Vbi
text. Generaliter placet in legibus pu
blicorū iudiciorū, vel priuatorū cri-
minū, qui extra ordinē cognoſcunt
præfecti vel præſides, vt eis qui pœnā
pecuniariā egentes deludūt, coērctio
nē extraordinariā (nempe corporalē)
indicant, & ad hoc notat illum textū
Bart. ibi, & l. Siquis id quod iuriſdi-
ctionis §. In ſeruos, ff. de iuriſd. omni
um iudic. vbi in corrumpentē album
prætoris, datur actio popularis quin-
quaginta aureorū, ſed in ſeruos, ſi nō
defendantur à dominis, & in eos qui
inopia laborant, corpus torquēdum
eſt, ait text. & ibi per Odofre. & l. fin.
ff. de in ius vocando. vbi ſi libertus
vocet in ius patronum ſine venia, in
cidit in pœnam quinquaginta aureo
rum: ſi verò laboret inopia, caſtiga-
tur in corpus, & c. Ad liberandum
ext. de Iudeis. vbi Chriſtiani, arma,
ferrum & ligamina galearum defe-
rentes & apportantes Sarracenis, ex-
communicantur, & anathemate no-
tantur, nec poſſunt eccleſię reconcilia

ri,

ri,niſi omnia reſtituant,quæ ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de ſuo tranſmiſerint in ſubſidium terræ ſanctæ. Quod ſi fortè ſoluendo non fuerint,ſic aliàs reatus taliũ caſtigabitur, vt in pœna ipſorum,alijs interdicatur audacia ſimilia præſumendi:nam poterunt ſubijci verberibus loco pœnæ, ſecundum gloſ.ibi in verb.Sic alias,aliquot paſſus allegantem, & l. Cum ſit iniuſtũ. C.de ſepul. viola. vbi ſi quis propter debitum defuncti,impediat defuncti ſepulturam, punitur pœna quinquaginta librarum auri,alioqui laborans inopia luit corpore,dicente tex.Eum verò qui in huiuſmodi fuerit deprehenſus flagitio, quinquaginta libras auri dependere:vel ſi minus idoneus ad eam pœnam perſoluẽdam ſit, ſuo corpore ſub competenti Iudice pœnas luere ſtatuimus:& tex. in l. Quicunq;,C.de ſeruis fugit.vbi ſuſcipientes ſeruum fugitiuum,tenèntur eum reſtituere, & inſuper cum eo parem ſeruũ dare,vel cum eo 20. ſolidos reddere. Quòd ſi ad predictam pœnam ſoluendam, is qui ſuſceperit minimè ſufficiat, æſtimatione competẽtis Iudicis,caſtigatio in eum procedat. Allegare plura alia iura potuiſſemus, ſed quia plus oſtentationis, quàm fructus in eo ſitum, reliqua hic ſilentio præterire duximus: hæc pauca ex prolixa diſputatione D. Frederici Schenck ex Baronibus de Tautenburch,Iuriſconſulti,viri in legum ſtudijs non parui nominis, in ſua Triade forenſi, ſub tit.De liberto actore vel reo.cap.4. ſufficiant. Vbi proculdubio illud præcitatum vulgare axioma:Qui non habet in ære:luat in corpore,admodum feliciter diſcuſſit & examinauit, quem loco ac tempore ſtudioſis petere licebit.

CAPVT. XX.

De Fideiuſsione in re, ſeu materia criminaria.

Summæ rerum tractatarum im Commenta. CAP. 20.

- 1 Reorũ relaxãdorũ ſub cautione, quidã aut ſunt.
  - Obnoxij criminibus, quibus debetur pœna duntaxat pecuniaria
    - Ea confeßi, — Non relaxantur.
    - De ijs cõuicti — Non relaxantur.
  - Ea nec confeßi nec conuicti relaxantur, ſed preſtita cautione.
  - Obnoxij ſunt criminibus, ob quæ infertur pena arbitraria, Quæ ſi fuerint
    - Lenia, & gratia digna — Relaxantur
    - Atrocia & enormia gratiaque indigna, — Non relaxantur.

Iudex detinens volentem idoneè ſatiſdare, tenetur iniuriarum actione, 2
Captiuus criminalis non valens conſtituere fideiuſſores, captiuus permaneat, 3
Pœnam corporalem nemo, niſi reus ipſe ſubire poterit, 4
Nemo ſui corporis periculo pro alio fideiubere poterit, 5
Membrorum ſuorum dominus nemo eſt, 6

In

In infligendis pœnis corporalibus, habenda personarum ratio. 7
Iudex acriter expendat fideiussiones in crimine criminali. 8
Bartoli distinctio pro fideiussione criminosorum. 9
Baldi distinctio pro fideiussione criminosorum. 10
Quæstio, quomodo nobilis per cautionem relaxandus? 11
Quando fideiussio extincta, & quando non. 12
Fideiussionis amplitudo in re criminaria. 13
Non constituendi fideiussores, de non inferendo maleficio. 14
Maleficus non spondet pro maleficio, in grauioribus criminibus: sed etc. 15
Maleficorum bona, fisco committuntur, saluo creditorum iure. 16

QVando quidem iamiam præcedente Cap. nonnullarum relaxationum mentionem fecerimus, hoc loco non ab re fuerit & alterius speciei relaxationis meminisse, quæ fit, quum crimen dubium est, & Iudex est in actu inuestigandæ veritatis: quæ fieri solet fideiussore præstito per Reum, de se representando, quoties ad hoc fuerit requisitus, hoc est, ad libitum & volũtatem Iudicis: vel de non recedendo ex certo loco, ciuitate, oppido, castro, aut prætoris palatio, sine Iudicis licentia, & de soluendo pœnam. Examinemus nunc de quibus criminibus siue delictis sit relaxandus Reus sub cautione prædicta: Id itaque paucis admodum, vnica nempe distinctiuncula, fiet. Est namque † Reus aut in crimine, ob quod venit illi imponenda duntaxat pœna pecuniaria. Hoc autem casu Reus aut fuit confessus aut plene conuictus: quo nõ debet relaxari, sed detineri, donec persoluerit pœnam, l. Si confessus, ff. de custo. & exhib. reo. Aut nec confessus nec conuictus fuit: hoc casu debebit relaxari præstita cautione digna de se representando, vel de non recedendo ex certo loco, vt inquit Bar. in l. 1. ff. eod. tit. de custo. & exhib. reo. vbi post Iacobum de Arena, declarat istum articulum reducendo ad praxim: pro quo itẽ facit text. in l. fi. C. eod. tit. l. 1. & l. Si quis, ff. eod. tit. In quibus iuribus in effectu disponitur, quòd in criminibus illis, in quib⁹ venit imponẽda pœna pecuniaria, Reus debet præstito idoneo fideiussore, relaxari, & ratio est, quòd pœna ipsa non minùs satisfieri potest fisco per fideiussorem, quàm per principalem, argumento l. Denique, & l. sequen. ff. de iure fisci. Quinimò, si 2 Iudex † vellet retinere Reum constrictum citra relaxationem, qui paratus esset præstare idoneum fideiussorem, posset tum agi contra Iudicem in syndicatu, actione iniuriarum, vt notat Bar. in l. Si verò pro condemnato, §. 1. ff. qui satisdare cogan. Si ve- 3 rò † captiuus criminalis non poterit constituere fideiussores, necesse est captiuus permaneat, teste Bart. in d. l. 1. ff. de custo. & exhib. reo. & in d. l. Si verò pro condemnato, §. 1. & l. Eos 1. §. Super his, C. de appella. Aut certè crimen leue est, & nequaquam atrox, tum fideiussoribus relaxabitur, l. Diuus, 1. ff. de custo. & exhib. reo Aut crimẽ est atrox, vel tale, ob quod incidit in pœnam corporalem, isto casu non debet Reus regulariter per fideiussores relaxari, sed personaliter detineri, d. l. Diuus, 1. Ratio est, ne eludatur iudicium, si postquam repertus fuisset culpabilis, fugam arriperet. id namque esset propriè iudicium fallere, & eludere: quod scilicet huic pœnæ corporali non posset per alium

principalem satisfieri, tametsi fideiussor expressè se antè obligasset ad quã libet pœnam corporalem, & dixisset se velle subire omnem pœnam in corpore suo, quam reus pateretur, si in carcere ad sententiam vsque fuisset
5 detentus. Nemo† enim poterit se deuincire ad sistendum quempiam iudicio sub pœna proprij capitis, corporis, aut membri sui: quòd hac in re nullus sui corporis aut membri do-
6 minus fuerit. Attamen principali, † & ei cuius res agitur, licebit se obligare ad redeundum in iudicium, sub pœna duntaxat quasi confessi criminis, perdendi scilicet beneficij, remissionis, alteriusve gratię, exilij subeundi, aut similium: non autem sub poena capitis, pugni, oculi, alteriusve membri, trita l. Liber homo, ff. ad l. Aquil. & videte D. Bart. in d. l. 1. ff. de custo. & exhibit. reo. Necnon c. De occidendis, c. Si non licet, & c. Cùm homo, 23. q. 5. in quibus quidem iuribus habetur: quòd† quando sumus in
7 huiusmodi criminibus, in quibus venit inferenda poena corporalis, fit personarum ratio ac distinctio, pro modo facultatum, dignitatis, honoris, pro criminis qualitate, innocentia Rei, & similib. iuxta tex. l. 1. crebrò allegatum, ff. de custo. & exhibit. reo. & secundum ista Iudex decernet, an Reus sit detinendus in carceribus, an in palatio, militibus ne custodiendus, an
8 fideiussoribus committendus, qui erunt fideiussores, non de representando, sed de sistendo in certo loco, & non recedendo ab illo: aut in vinculis conijciendus, secundum quod declarat D. Bart. dictum illud Iac. de Are. in d. l. 1. in 2. col. & sic Iudex secundum qualitates & conditiones istas, arbitrabitur modum detentionis ipsius Rei, secundum quod considerat Iurisc. in sæpenumero allegata l. 1.

Quare† iudicis hic fuerit diligenter expendere, quo pacto fideiussiones in crimine criminali acceperit. Si enim hinc vllum oriretur incommodum, id omne fisco aut parti per ipsum dependendum esset, aut Reus est in crimine, ob quod inferenda fuerit pęna arbitraria: & isto casu, an Reus sit fideiussoribus relaxandus, an non Bar. in d. l. 1. ff. de custo. & exhib. reo: hunc in modum distinguit: Aut† delictum est adeò turpe, vt verisimile sit Iudicem ob id impositurum poenam corporalem, & tum iudicatur sicut de pœna corporali simpliciter, ideoq; non erit fideiussoribus relaxandus, d. l. 1. ff. de cust. & exhib. reo. Aut verisimile est Iudicem arbitraturum, pęnam debere esse pecuniariam & tũ licebit relaxari: d. l. Si verò pro condemnato, §. 1. ff. Qui satisd. cogantur: isto enim casu iudicatur de eo, sicut de crimine, pro quo venit impo nẽda pœna pecuniaria simpliciter, d. l. Si verò pro condemnato, & videte Bar. in d. l. 1. qui tamen (venia tanti viri dixerim) non ita distinctè loquitur sed quærit, Quid si per defectum pœnæ pecuniariæ veniret imponenda pœna corporalis, fas erit tum per fideiussores relaxari? & regulariter id fieri posse concludit negatiuè. Pòst tamen explicat modum & cautelam, quomodo possit relaxari, videte ibi
10 per eum. † Subtilis autem Bald. in d. l. Nullus, C. de exhiben. reis, alia vtitur (suo more) distinctione, & clariore ac copiosiore, dicens: Aut sunt rei in crimine, ob quod venit imponenda pœna ordinaria aut extraordinaria & arbitraria. Primo casu, id est, quando ordinaria & determinata, aut est pœna corporalis, aut pecuniaria: si corporalis, non erit fideiussoribus relaxandus, imò detinendus & custodiendus in carcere, d. l. Nullus

in fine,& l. Si quis in ea, C. de custo. reo.& l.1.ff.eo. tit. Quando autem est confessus delictum, aut legitimè conuictus,non solum est detinendus,sed etiam in vincula conijciendus ad sententię definitionem, & denique ad ipsius sententiæ executionem,d.l.Nullus,in principio,& l.Si cõfessus,ff.eo. tit. ideo tunc non est per fideiussores relaxandus: quandoquidem fugiendo posset illudere Iudici, & pœnam debitã iniquè iustitiæ suffurari, quòd vtique non fuerit in potestate fideiussoris soluere iudicatum, teste Baldo in d.l.Nullus. Si autem imponenda sit pœna pecuniaria, & reus confessus delictum fuerit aut conuictus, non erit simili ratione relaxandus,sed detinendus, & confestim condemnandus,d.l.1.& fin.C.de custo.reo.& l. Si confessus,ff.eo.tit. Aut si non confitetur, sed negat, debet per fideiussores dimitti:sed debebunt hi promittere de eo repræsentando,& iudicato soluendo,d.l.1.ff de custo. & exhib. reo. Huic seruit etiam text. in l. Cum clericis,§. 1.& §. Ipse verò. C. de episco. & cleri. qui text. si rectè syncereque inspiciatur,propriè loquitur de fideiussore huiusmodi: nempe de repræsentando, & stando iuri, & iudicato soluendo sub certa pœna. Tertio verò casu,dum reus est in pœna arbitraria, dicit Bald. considerandam esse criminis qualitatẽ, loci,iudicis,& fori consuetudinẽ&cõditionẽ personæ,quem admodũ notatur in simili, in l. Quid ergo,§. Pœna grauior,ff.de his qui notan.infa.vnde si verisimile fuerit,pœnam esse corporalẽ,idẽ tum iudicabitur quod de ordinaria corporali: si verò cõstet pœnam esse pecuniariam, idem in iudicando seruabitur quod in pecuniaria ordinaria. Prædictis vtcunque enarratis, libet hic inferere quæstionem notabil.m,& vtibus nostris sæpe frugiferam, cuius recordatus est D. Paulus Grillandus in suo tract. de relaxatione carceratorũ, sub cap.de fideiussorib.reorum,numero. 8. † Spectatæ fidei & autoritatis vir quispiam,nobilitate, opibusque præcellens,accusatur alicuius criminis, ratione cuiꝰ de iure cõmuni aut ex statutorũ forma,pœna corporalis venit imponẽda. Hic in ius vocatus seu citatus comparet, examinatus omnia negat, iudex vult ipsum detinere, donec absoluatur processus,& purgentur indicia. Replicat dicendo, quòd est paratus seipsum obligare de se repręsentando toties, quoties, &c. sub pœna mille ducatorum, &c.& de stando iuri,& parendo iudicato,vel dicit,quòd vult præstare idoneam cautionem de se repræsentãdo, vt sup. Quęritur, an Iudex poterit illum relaxare sub tali fideiusione,vel propria obligatione? videtur prima facie respondendum negatiuè, quia cùm sit pœna corporalis posse eludi iudicium, vt antè, diximus,& notatur in d.l.1. C. de custo. reo. & l.fin. C. de requiren. reis Contrarium tamen veritati arbitror cõsonum: Quòd Iudex pro criminis qualitate, & magna personæ conditione, pro dignitate vel innocentia, poterit arbitrio suo detentionem ipsam moderari,ac dictum nobilem dimittere,aut sub propria iuratoria,aut sub fideiussoris obligatione, de se repræsentando, vel de non discedendo ex certo loco, secundum quod notat Bart.in d.l.1.ff.de custo.& exhibit. reor. Concludendum est igitur, Iudici in relaxandis aut reseruandis reis criminosis,magnam dari & concessam esse à lege autoritatem,& arbitrium,teste iurisc.in d.l.1.ff.de custo,& exhibit.reo.dum dicit:de custodia reorum Proconsul ęstimare solet vtrum in carcerem recipienda sit persona

persona,an militi tradenda, aut fideiussoribus committenda, vel etiam sibi.Hoc autem, vel pro criminis, quod obijcitur, qualitate, vel propter honorem,aut propter amplissimas facultates, vel pro innocentia, vel pro dignitate eius qui accusatur, facere solet:quibus coniecturis veri simile esse videtur, ipsum reum non fugiturum,nec iudicium delusurum d.l.1.& l.Non oēs §.A barbaris,ff.de re milit.&.d.l. Cum clericis.§.1.& §. seq.C.de episco.& cleri.& per Bald. & Ang.in l.2.C.de exhib. reis. Circa prædicta autem † obseruandum erit, 12 quod fideiussio de repræsentādo,pro culdubio extincta sit quando sen- 14 tentia lata est in caussa principali. Itē & ea fideiussio,quę fit ad sistendum iudicio,aut Iudicis sententiæ obediē- 15 dum. Verum illa fideiussio,quæ facta est de soluendo ac parendo iudicato, nequaquam censetur cessare atque extincta esse,nisi postquam sententię paritum fuerit. Qui pro alio spoponderit in rebus criminalibus ciuiliter institutis,is malefico nullam sponsionem præstabit, quicumque etiam fuerit,vbi sententia lata,aut appellatione, reformatione,aut simili modo 13 fuerit retractata. Notādum † autem hic fuerit,fideiussionem hic tam latè esse accipiendam,vt in se quoque superiorem appellationis iudicem complectatur,& quicquid per ipsum sententia decernendum fuerit: licèt D. Hyppolit.de Marsc.contrariæ & negatiuæ sentētiæ inhærere videatur in sua solenni Repetitione Rubricæ, ff. de fideiussorib.sub numero 108.pluri ma(vt solet)ibidē allegans.ad mediū tamē in nostram opinionem condescendens,cui etiam seruiūt quæ idem Hyppolit. posuit ind. Repetitione, num.91.ad q. An fideiussor teneatur ad augmentum: quē,occasione emergente,videre nec graue fuerit.Nemo etiam cogendus est, fideiussores † cō stituere de nullo maleficio inferēdo: ad id enim difficulter quis fideiussores inuenerit †. In grauioribꝰ delictis criminaliter intētatis,nō licet vni malefico præbere fidē pro alio: sed licebit id in paruis delictis ciuiliter institutis.Et vt præsens cap. absoluamus, sciendū est, omnia maleficorū bona, credita & cōstituta esse in manu Fisci, dempto creditorum iure, quibus hic semper ius potissimū permanet, tritissima l.Aufertur.§.Fiscus.ff. de iu. fis. Multa hic addita, quæ declarari potuissent cap.præcedente.

CAPVT XXI.

De captiuorum seu vinctorum aggrauatione.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 21

Incarceratus an possit recommandari? 1
Processus prioris causæ semper præcedit. 2

1 QVISQVIS Vnius maleficij † caussa captus seu vinctus fuerit,alterius quoque maleficij gratia ab alio Officiario grauari poterit, quod & vulgò dici solet. Is qui est recommendatus in carceribus

ex vna cauſſa ſiue delicto, poterit ibi recommendari & aggrauari ab eodem ſiue ab alio, ex alia cauſſa ſeu crimine. Recommendare nihil aliud eſt, quàm eum qui eſt incarceratus, detinere etiam pro alio crimine D. Vdalrico Zaſio Iuriſc. clariſs. teſte, in lectura l. In ius vocari, cum duabus legibus ſequentibus, ff. de in ius vocand.

2 Ita. † tamen vt prioris cauſſæ proceſſus ſemper præcedat, neque alterius cauſſæ grauamine remoretur. Cy. & Bart. in l. Qui de crimine, C. de accuſat. & inſcript. Huius meminit pleniſſimè Bart. in l. Si quis Seruus. §. Qui exhibendi, ff. de cuſto. & exhibit. reo. deducens, Carceratus ex vna cauſſa, quando poſsit ob aliam ibi recommendari & aggrauari, iunctis additionibus ibidem, ad quē nactis ocium recurrendum ſuaſerim.

CAPVT. XXII.

De præſentatione ſiue contumacia.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 22.

1 *Citato non licet contemnere Iudicis euocationem.* } *Domicilij,*
2 *Competentia iudicis in criminalibus, in tribus locis conſideratur* } *Delicti,*
3 *Delinquens tres contra ſe ſortitur Iudices.* } *Capturæ.*
4 *Citatus non comparens, quomodo contra ipſum procedatur.*

1 CItato in † re criminali nullã fas erit contemnere Iudicis euocationē, ſed coram ipſius tribunali cōpareat, oportet, modò is competens fuerit, l. Si quis ex aliena, ff. de iudic. & ibi Bald. & Ang. videte Bart. in l. Non videtur, ff. eod. tit. In

2 tribus autem locis, † Iudicis competentia in criminalibus ſpectabitur, vi delicet in loco vbi citatus moratur, l. 2. C. de iuriſdict. omnium iudic. & ibi Bald. ac eius ſequaces: vbi delictū commiſſum fuerit, l. 1. & Authent. Qua in prouincia, & ibi Bald. aliiſq; ſcribentes. C. Vbi de criminib. agi oportet, & l. 3. ff. de offi. præſi. Et vbi

3 citatus captus fuerit. Itaq; † is qui delitquit, tres contra ſe ſortitur iudices,

4 Bald. in d. l. 1. Quoties † citatus cōpare re neglexerit, contra ipſum proceditur per nō comparitionem, c. Abſens 3. q. 9. vti ex ſequentibus doceberis. Verùm ſi is captus fuerit, atq; crimen exiſtat capitale, nulla opus eſt præſentatione ſuper rotula (vt aiunt) aut comparitione in conſiſtoria, quòd tum proceſſus formetur extraordinariè in carcere, niſi certè fuerit aduerſa pars conquerens: aut crimen ipſum non fuerit capitale: quibus caſibus procedendum eſſet ordinariè, ac cauſſa præſentanda.

CAPVT. XXIII.

De comparitione in materia criminali

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 23

Procurator in cauſſa criminali, interuenire an poſsit? 1
Officium ſuum alicui eſſe damnoſum, eſt iniquum. 2
Cauſſæ ob quas procurator in criminalibus interuenire nequit. 3

In

1 IN rebus† siue materijs criminaliter institutis, citatus ipse personaliter compareat, necessum est: per procuratorem autem minimè, secundum D. Bart. Theoricam, in l. Accusatore, §. Ad crimen, ff. de publi. iudic. & in l. Seruum quoque, §. Publicè, ff. de procuratorib. Copiosè D. Alexander in d. l. Accusatore, §. Ad crimen. Doctores in c. Veniens, ext. de Accusat. coniuncta ibidem optima & memorabili glos. in verb. Criminali. in c. In criminalibus, 5. q. 3. In c. Si quando, 2. q. 6. In. c. Absens, 3. q. 9. latissimè D. Alexand. in 2. vol. consiliorum, consilio 116. Ludo. Roma. consilio 215. & D. Matthæus de afflictis, in suis decisionibus Neapolitanis, decisione 64. Ratio, Quòd vtique sententia contra procuratorem proferenda, nihil in ipsius procuratoris personam agere poterit, vt qui nihil peccauerit, eoq; indignus sit, qui alterius viri peccati pœnam immeritò sufferat. Quod indignum si quando contingeret, nullã vicissim actionem haberet procurator in cõstitutorem suũ, vt à cõdemnatione liberaretur.

2 Vnde† colligeretur procuratorium officiũ, ipsi procuratori haud parum ita fore damnosum: quod cum rationis æquitate apertissimè pugnat, l. Sed si quis, in prin. ff. de testament.

3 Sunt præterea &† aliæ complures rationes, cur ipsum maleficum Iudici personaliter sistendum velint: quas & Bartho. à Chasse. iurium doctor expressit abundè in Commẽtarijs consuetudinum Burgundiæ, titulo *Des droictz & appertenantz à gens mariez*, §. v. Fo. 145. numeris 23, 24. 25. 26. 27. Quòd iniquum foret procuratorem pro caussa sui (quem defendit) malefici absentis, condemnari ad mortem vel aliam pœnã: deinde ne iudicium fiat illusorium, néve maleficia relinquantur impunita: & quòd principalis acriùs, meliusq; propriam defendat caussam, quam procurator. Postremò (quæ rationum omnium vna est efficacissima) quòd ex malefici citati cõparitione, exhibitione & præsentatione, eoq; ipsius vultu, aspectu, qualitate personæ, constantia, trepidatione, ex oculorum sermonisque indicio plurimum Iudex consequatur indicij, & censuram subinde multo certissimam: quam ex procuratoris cõstitutione, nunquam eliceret.

CAPVT. XIIII.

De procuratoribus in re siue materia criminali.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs, CAP. 24.

Procurator, in caussa criminali regulariter non admittitur. 1
Aliquot fallentiæ. 2
Procurator in crimine publici iudicij, ad allegandum caussas absentiæ admittitur. 3
Reipublicæ vtile est, absentes à quibuscunque defendi. 4
Absens criminosus non damnatur. 5

IN criminalibus negotijs tam publicis quam† priuatis, non ſolet
1 quiſpiam regulariter ad conſtitutionem procuratoriam admitti, D. Bartol. in l. Accuſatore, §. Ad crimen, ff. de public. iudic. & in l. Seruũ quoque, §. Publicè, ff. de procurato. D. Alexander latè in d. l. Accuſatore, §. Ad crimen. Scribentes in c. Veniens, ext. de Accuſat. coniuncta ibi celebri gloſ. in verb. Criminali. In c. In crimi nalibus, 5. q. 3. In c. Si quãdo, 2. q. 6. In c. Abſens, 3. q. 9. Alexãder in 2. volu. conſiliorum, conſilio 116. Ludouicus Romanus, conſilio 215. D. Matthæus de Afflictis in ſuis deciſionibus Neapolitanis, deciſione 64. & l. 1. ff. an per alium cauſ. appel. agi poſ. † Verùm
2 multi fariàm comperimus hanc regu lam fallere. Primò namque, Academijs, Vniuerſitatibus, atq; Collegijs, permittitur in cauſſis ctiminalibus conſtituere procuratores vel ſyndicos: quòd in ipſa iudiciales cenſuræ, veluti in priuatas perſonas, non cadunt. Et ſi vniuerſitas conuenitur, nõ poteſt reſpectu vniuerſitatis, eſſe pœna capitalis, ideoq; defendi poteſt per ſyndicum: Cùm enim vniuerſitas nõ deliquerit verè, non poterit capitaliter puniri: ſed illi de vniuerſitate, qui interfuerunt facto vel conſilio, bene poſſunt capitaliter puniri, ſi crimen eſt capitale, argumento l. 1. §. 1. ff. de magiſtra. conuenend. Specu. in tit. de accuſato. ver. Quid ſi vniuerſitas deliquit. Bald. in Specu. de pace Conſtan. §. Damna, in ver. Et ideo nos videmus, & in l. Polla. in ver. extra quæro quid erit, C. de his quib. vt indig. & in Specu. de accuſatore, verſ. Sed nunquid potes. Secundò, in accuſatione ingratitudinis cùm quis alium ingratitudinis accuſat, l. Sed & hæ perſonæ, §. Patronus, ff. de procuratorib. Deinde in minorib⁹ ſiue leuioribus crimini bus, argumento l. Leuia ff. de accuſat. & l. 1. §. 1. ff. an per aliũ cauſ. appel. agi poſ. & plenè notatur in d. l. Seruum quoque, §. Publicè. In criminibus non criminalibus, ſed ciuiliter inſtitutis, c. Tuæ, ext. de procurato. & c. Super his, ad fin. ext. de accuſat. In conſortibus leuiorũ criminum: poſſunt enim hi loco alterius in eodem crimine cõſortis conſtitui, vt meminimus ſup. tit. de fideiuſsione in re criminaria. In crimine iniuriarũ, in quo illuſtris perſona etiam per procuratorem intendere & excipere poteſt, c. Abſens. §. Niſi, 3. q. 9. & l. vlt. C. de iniurijs. In crimine ſuſpecti tutoris, l. Non ſolum, §. vlt. ff. de procuratorib. quod Innoc. & Ioan. And. extendunt ad prælatum ſuſpectum. In domino defendẽte ſeruum in crimine, l. Si cui, §. pẽn. ff. de accuſ. Item in quouis crimine publico aut priuato, quod ſola relegatione, aut pœna pecuniaria dignum eſt, poteſt procurator ſuæ petitioni, aut refutationi inſtanter inniti, ad excuſandum, excipiendum, probandum, confutandum. Poſtremò, in quibuſuis negotijs, quæ principalis ipſe coram & præſens efficeret ac præſtaret, l. 1. §. 1. addita gloſ. in verb. Ignominia, ff. an per alium cauſſ. appel. agi poſſ. d. c. Veniens, ext. de accuſat. iuncta ibidem gloſ. in verb. Criminali, d. l. Seruum quoque, §. Publicè, cum gloſſa magiſtrali in verb. Datur, ff. de
3 procurat. Verum in delictis, quæ† merentur corporalẽ ſanguinis pœnam, nunquam procuratori principalis abſentiam occupare, intendere & excipere licebit, niſi ad enarrandum malefici capitalis abſentiæ cauſas, vel exceptiones obijciendas, d. l. Accuſatore, §. Ad crimen, & ibi ampliſsimè Bar. fa. l. Abſens, ff. de procurat. & l. Reos, C. De accuſat. quia reipublicæ,

† vtile

4 †vtile est absentes à quibuscunque defendi, & quemlibet pro eo verba facientem audiri, d. l. Seruum quoque, §. Publicè, & c. Reos, 23. q. 5. dictis tribus glos. in verb. Ignominia, Criminali, & Datur: quas videre poteritis has fallentias describentes. In criminalibus verò, vbi statutorum benignitate criminalia conuersa sunt in ciuilia, licebit procuratori absentis criminosi occupare defectum & absentiam, veluti si statutum sic habeat: Quisquis alium occiderit, dependet mille libras Paris. vel similem summam pecuniariam: vbi procuratori fas erit occupare per vniuersum rei processum. Sin hoc pacto Statutum habeatur, Qui alterum occiderit, vel decollabitur, vel mille librarum Paris. summa mulctabitur, non esset eo casu admittendus procurator: quòd capitalis pœna, principalis pœ-
5 næ loco sit posita. Non † sinunt iura absentē criminosum condēnare (imò diuinæ & humanæ leges hoc prohibēt) quòd ipsemet Iudici, neq; sit audit⁹ neq; aliàs per procuratorē sese Iudici sistere liceat, l. Absentem, ff. de pœnis, addita ibi glos. in verb. Absentē l. Absentem, C. De accusat. & d. c. Absens, 3. q. 9. Verùm si ederetur Statutum, vt absens contumax ob id criminaliter condemnari posset, tāquam in iudicio victus, tum licitū esset absenti ad suæ absentię expurgationem procuratorium transmittere. Nam si talia Statuta contra ius commune edita & admissa, criminosum absentem criminaliter condemnent: ex eo plurimi voluut, eadem quoque Statuta non absona ratione, absentem etiam releuare, vt vniuersum negotium suum per procuratorem defendat. Si verò per Statutum decerneretur, vt is absens criminosus & exul impunè posset occidi: atque ex eo deinde reperiretur, qui eundem criminosum absentem & exulem neci dedisset: poterit tum hic procuratorem sufficere, qui suam absentiam excuset, allegans & deponens eum occisum fuisse exulem. Nonnulli dicūt, si ante litis contestationem non esset contra procuratorem exceptū, non licere procuratorem deinde reijcere. Sed apertè vetant iura contrarium, nemini fas esse in criminalibus atque adeò capitalibus caussis ad absentem defendendum, occupare. Atque is procurator qui hoc tentaret, non esset à Iudice admittendus, etiam si pars aduersa ipsum non reijceret.

CAPVT XXV.

De exoniando in materia criminum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 25.

QVi criminaliter citatus, comparere ex caussa nequit, debet sese exoniare per eum quem velit. 1
Indigni & inhabiles in caussa criminali admittuntur ad exoniandum. 2
Mulier vel minor potest comparere ad exoniandum. 3
Praxis recipit, vt exoniationem habeat, in mandatis ab absente, idque iurct. 4
Patri in capitalibus permittitur impedire contumaciam filij: & è contra. 5

Pater & filius censentur vna persona. 6
Pater filij causſam defendens, seipſum censetur defendere. 7
Excusationes quæ impediunt absentem comparere. 8
Graues morbi & periculosi exoniant. 9
Leues morbi &c. nequaquam excusant. 10
Absentia ob officium, excusationem, siue rectiùs exoniationem parit. 11
Insigne patriæ aut Reipublicæ commodum, citatum excusat. 12
Venti validi & tempestates, quando excusant. 13
Mulieres impregnatæ, à comparitione sunt excusabiles. 14
Bella, à comparitione excusationem præstant. 15
Pestilentiæ excusant. 16
Aëris intemperies, à comparitione excusationem tribuit. 17
AEgritudines ex acrimonia vini, mors prolis, & simulia infortunia, nullam præ-texunt citato excusationem. 18
Contumax nequit reputari, qui citatus, comparere non tenetur. 19
Excusationes aliæ { *Necessariæ.* / *Probabiles.* / *Merè voluntariæ.* } 20
Infirmitas à comparitione excusat. 21
Incarceratio itidem à comparitione excusat. 22
Inimicitiæ capitales tribuunt citato excusationem. 23

1 QVi criminaliter citatus, †comparere ex caussis non potest, debet sese exoniare per eum quem velit, cuiq; quàm optimè fidit, siquidem legitima exoniandi subfuerit causſa. Atque hoc casu non modò procurator, sed & quiuis alij, procuratorio
2 munere etiam indigni aut † inhabiles, sunt admissibiles: veluti vxor, liberi infra 25. annorum ætatem, equi
3 tes †aurati, religiosi, & similes, Bart. in l. Accusatore, §. Ad crimen, num. 17. ff. de publi. iudic. notat. Innoc. in c. Veniens, de accusationibus: quos tamen, quorundam iudicio, eam exoniandi causſam habere in mandatis
4 oportet. Nam sunt qui autument, talem hic commissionem† non esse necessariam. Verùm praxis ipsa vsu recepit, vt hanc exoniationem habeant in mãdatis ab absente, idq; iuramento verissimum esse firment. Patri
5 †in capitalibus permittitur impedire contumaciã filij (vt nonnullis placet) si is pater sub condicta pœna, cautionem constituerit de filio ad designatum diem sistendo Iudici, Bart. in d. l. Accusatore, §. Ad crimen, num. 8. argumento l. 1. ff. de liber. homi. exhibend. Alijs verò videtur, huiusmodi cautionis siue satisdationis constitutionem patris pro filio, non esse ne-
6 cessariam, quòd†vtiq; pater & filius eandem quasi personam fictione legis exhibeant, sintq; tanquam vna persona, l. fin. ad finẽ, C. de Impuber. & alijs substitutionib⁹, & ibi Bart. & §. Ei verò qui, & ibi Angel. Institu. de
7 inutilib. stipula. adeò † vt pater filij causſam defendens, seipsum censeatur defendere. Simili ratione & filio datur in criminalibus impedire contumaciam patris, ob rationes iam ha-
8 bitas. AEqua fuerit† protelatio, si executor ipse sine fraude testetur, citatũ alibi esse captum: idq; constet attesta-

tione

tione siue certificatione iustitiæ eiusdem loci aut simili. Item fortiter absentem citatum excusat, si constiterit, quod is in manus & arbitrium cõpetentis Iudicis sese ab eodem crimine purgandum dederit, & crediderit. Pari ratione per alium excusatur, si Iudici palam fuerit, ipsum eodem tẽpore coram superiori Iudice citatũ,
9 cuius iussibus & authoritati† æquiùs parendum fuerit. Graues item morbi & periculosi, si quidem ij duorum, aut ipsius medici (cui hîc fidem habere par est) testimonio, Iudici innotuerint, citatum alterius ope intermedia cõstanter excusant, ac exoniãt. Leues
10 † verò morbi, læsiones paruæ, leuis rei iactura, aut aliud futile impedimẽtum, nulla ratione citatum de personali præsentatione ac comparitione excusant, quòd huiusmodi leuicula Iudicem parum admodũ moueant.
11 Absentia† ob officium, & obsequium Principi præstandum, l. Si cui. §. Tandiu, ff. ex quib. caus. maio. notat. Bart in l. Abesse, eo. titu. Bald. in l. Ab eo, C. quomodo & quando Iudex, & l. Qui cõmeatus, ff. de re milita. aut ob testimoniũ eodẽ tẽpore corã alio tri-
12 bunali ferendũ: Aut† ob insigne aliq; patriæ aut reipublicæ commodũ, excusat & exoniat citatũ, l. fin. C. de cursu publi. lib. 12. & in l. Iubemus. C. de nauib. nõ excusan. lib. 11. & l. 1. C. vt nemini liceat in empt. spẽcie. se excusa.
13 lib. 10. Similiter† excusant validi venti & tẽpestates eum, cui per mare traiciendũ fuerit, l. 2. §. Si nõ, ad medium,
14 ff. Si quis cautionib. Mulieres† impręgnatæ, aut non ita dudum è puerperio leuatæ, hac quoque parte sunt excusabiles, fa. d. l. 2. §. Si nõ. Bella, Pesti
15 lẽtię, †idq; genus alia pericula† in loco
16 citati similiter excusant, D. Matthæo de afflictis attestãte in suis decisionib. Neap. decisione 50. nu. 2. &. 4. c. Ex parte, 1. & ibi Doct. Bald. Alb. & Philip. ext de appella. & l. Recusare. §. fin. & ibi Bal. & moderni, ff. ad S. C. Trebel. seruit glos. in Clemẽtina, Ne in agro, in verb. Rationabili, de statu monacho.
17 Vbi aêris† intemperies, infirmitas, & plura alia haud dissimilia, à comparitione & residentia excusant: notatur in l. 2. §. penultimo, ibi, vel aliqua fortuita calamitas &c. ff. Si quis cautionib. crebrò allegata. quo textu, Summus pontifex Gregorius 12. se excusauit, quare non venit ad concilium Pisanum, timens grauitatem cœli Pisani, vt refert Marianus in c. Veniens, ext. de accusat. & Felinus in c. Accedens, 2. versic. Sexta conclusio. Vt lite non contesta. & est celebris glos. in verb. Suorum infirmitate, in c. Cùm filius 23. distinctio. & in c. Quorundam, 74. distinct. Verùm ægritu-
18 dines† ex acrimonia vini, mors prolis, aliaq; similia infortunia, nullam prętexunt citato apud Iudicem excusationem: nisi ipsi id ita visum fuerit. Ad prędicta possent adaptari ea quę notat D. Matth. de afflictis in suis decisionib. Neapolitanis, decisione 289. atque D. Feli. in c. Accedens, 2. ext. vt
19 lite non contesta. quæ omnia atque singula videre poteritis. Nec † potest dici contumax, si non cõpareat: quia nequaquam potest reputari contumax, qui citatus non tenetur comparere, secundum Bald. in l. Generaliter 2. colum. C. de Episco. & clericis. Epilogando tamẽ dicamus cum D. Bart. in l. Accusatore, §. Ad crimen, ff. de
20 pub. iudic. referente Inno. in c. Venens, ext. de accusat. † Nonnullas esse excusationes necessarias, quę impediunt absentem cõparere: nempe quum
21 citatus sit† infirmitate impeditus, vel
22 carceratus, † vel simili ex causa comparere aut transire iter nequeat, habebitur ratio humanitatis, sicut haberi solet

ſolet et hyemis, et nauigationis, et cæterorũ, quæ caſu cõtingunt, d.l Si cui, §. Tamdiu. Alias excuſationes eſſe probabiles: quæ eũ excuſare à cõparendo poſſent, tamen venire poſſet, ſi vellet,
32 vt puta, quia † in illo loco habet inimicitias capitales, & ita à cõparitione excuſatur, l. de ætate, ff. Ad. S C. Trebel. Fa. notata in Clemẽti. paſtoralis, de re iudica. & tunc, ſi procurator cum mãdato comparet ad eum excuſandum, admittetur ſecundum Bald. loco præallegato. Alias eſſe meré voluntarias, vt pote, tu non es meus Iudex, & ſimiles. Plura apud D. Bart. egregié tractata loco ſæpiuſculé citato, reperire haud dubiò poteritis.

CAPVT. XXVI.

De publica fide, ſiue (vt vocãt) Saluiconductu.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 26.

Saluiconductum an Iudex poſſit dare citato? 1
Saluiconductum conferre ſolus Principis eſt, &c. 2
Saluicõductus ſubinde Iudici, vrgẽte ex cauſſa, ac parte vocata, conceditur. 3
Saluiconductus à Iudice expediri debent, cum prudenti cognitione rerum ac informatione debita, 4
Saluiconductus interdum non ſeruatur. 5
Saluiconductus in fraudẽ & reipublicæ diſpendium, à Iudice non largitur. 6
Saluiconductus etiam iuratus, non ſeruatur delinquenti ſecundum Bald. 7

QVando citatus procurauit per alterum ſemet de abſentia expurgatum reddere, ſiue exoniare, dicẽs, ſeſe ad comparendũ non audere commitere itineri, metuẽs, ne ab aduerſario ſuo in via forſitã interceptus, vi & crudeliter interimatur: mittit tum Iudex officiarios & ſatellitiũ, ſed citatiimpendijs. † Porrò ſi popoſcerit ſaluiconductum, vt ſecurus, & periculo liber, adire Iudicem valeat, in arbitrio tum Iudicis fuerit ipſum ſaluiconductum, aut concedere, aut recuſare, pro qualitate criminis, & perſonę, Bart. in l. Is qui Reus, ff. de publi. iudic. Notatur in c. Venientes, ext. de iureiurando: necnon Feli. in c. Accedẽs, 2. num. 9. ext. vt lite non conteſta. Salic. in l. Reos in 5. col. ver. Expeditis contrarijs, C. De accuſ. Neq; velim hîc quiſquam exiſtimet, eum ſaluicõductum permiſſum eſſe cuilibet indifferenter: quum † ipſum conferre ſolius fuerit Principis, aut illius qui Principis perſonam publicè refert, vt notant Bart. & Bald. in l. Conuentionũ, in 2. oppo. ff. de pact. & ibi per Alexã in 1. col. vbi allegat plures concordantias. Ad hoc etiam lubebit videre Bald. in tit. de pace Conſtant. in §. Imperialis, in fin. primæ col. in vſib. feudo. Verùm enimuerò eſt, vbi † huiuſcemodi ſaluiconductus ſubinde priuato alicui Iudici conceditur: ſed id non niſi ex vrgentibus grauibuſq; cauſis, † & non niſi parte aduerſa vocata, vt in Authent. de mand. princip. §. Sed neque, Colla. 3. Et non niſi is legitimè fuerit expeditus, cum matura atq; prudenti cognitione rerũ & cauſſarum, & informatione debita. Si quidem eiuſcemodi † ſaluicõductus leuiter cuipiam fuiſſent

fuissent donati, & absq; certa rerum cognitione, causſa & modo debito: crimenq; ipsum adeò foret enorme, vt vel ipsius gratia ab Ecclesia, seu loco sacro foret extrahendus: in Iudice tum fuerit eundem saluiconductum ita perperā, & contra æquitatem permissum, denuo refringere, & permissione priori nil obstante, contra eundem maleficum, vt antè, procedere.

6 Non enim† Iudicis fuerit vllos saluiconductus in fraudem, & reip. dispendium vllo modo largiri, Glos. in ver. Neq; custodies. in d. Authent. de manda. princip. Colla. 3. in §. Neque autem homicidis. Idem videtur sentire Ia. de Ra. & Cy. in l. Præsenti, C. De his qui ad eccles. confug. Pet. & Bar. in l. Illicitas, §. Ne potentiores, in fi. ff. de offic. prælid. Rursum si Iudex† ex certis

7 caussis vrgentibus, debitis formis, & modis cuiquam concessisset saluiconductum, eumq; etiam malefico poscenti graui iuramēto adstrinxisset: deinde is maleficus supra causſam concessi saluiconductus, enormius aliquod admitteret crimen: nil obstāte priori saluiconductu cōcesso, nil obstante iuramento, poterit Iudex eum maleficum comprehendere, comprehensum pro criminis qualitate condemnare: quòd ipsum nunc grauet noua causſa, ob quam non meretur prioris saluiconductus priuilegio & gratia frui. Simile enim exemplū testatur sese conspexisse Bald. in d. §. Item Sacramenta, in vlt. col. de pace iura. fir. in ciuitate Padua, vbi cuidam banito cōcessus fuerat saluiconductus, tutò libereq; adeundi ciuitatē: quam quum ingressus fuisset, denuo recens commisit flagitium, expendendo scilicet adulterinam, falsamq; monetam: ob quod nil sibi illo patrocinante saluiconductu, ilicò laqueo suspensus vitam finierat. His itaque vtcunque de saluiconductus materia enarratis & admonitis, & quod eadē materia per doct. in l. Denunciamus, C. de his qui ad ecclesiā confug. abundè tractetur, non decreui his latiùs inhærendum. Qui plura desideret, eò confugiat.

CAPVT. XXVII.

De defectu nō comparitione, siue contumacia, contra impetrantem, in materia criminum,

Summæ rerum tractarum in Commenta. CAP. 27

Contra procuratorē generalem in Flandria nequaquā decernitur cōtumacia &c. 1
Qui sint procuratoris generalis vicarij? 2
In alijs consistorijs, si non comparuerit impetrans, &cæt. captiuus statim liberatur carcere. 3
Citatus si non comparuerit, decidit à purgationis iure. 4

1 COntra† procuratorē generalem nusquā per totā Flandriā quippiā decernitur, per absentiā, siue impetrātis defectum, quòd nunquā non sit, qui procuratoris generalis absentis vices occupet, inq; illius locū surrogetur: hinc iure 2 dictus† illius vicarius siue substitutus. Sunt autē procuratoris generalis vicarij, reliqui procuratores Curiæ omnes. Attamē si in consistorijs,† con 3 cilijs, siue in feudorū tribunalibus nō com-

compareret dominus impetrans, nec ipsius prætor, nec subprætor: ilicò captiuus per illorum defectũ liberare tur carcere, & personaliter liber remitteretur. Quin & impetrantis defectu, citatus absoluitur à curia & sumptibus, protestarique poterit (si volet) de iniuria, infamia, damno, & incommodo. Verùm hoc euentu procedit procurator (si quidem informatio præcesserit) aduersus citatum pro detrimento ac interesse iustitiæ. Porrò

4 † in materia purgationis, si ipse impetrans non comparuerit, decidit à purgationis iure, fitque criminis obiecti suspectus.

CAPVT XXVIII.

De defectu, absentia, & non comparitione contra citatum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 28.

Citatus criminaliter, si non paruerit, illius bona, ob non comparitionem, ilicò per fiscum notantur. 1
Purgatio contumaciæ, intra annum admittitur, cuiusque tum sit effectus. 2
Hæredes priuilegio defuncti hic gaudent. 3
Absens non damnatur crimine corporali. 4
Stylus Cameræ Flandriæ. 5
Consuetudo magni Concilij. 6
Vt ex stylo quispiam criminaliter citatus condemnetur per contumaciam, requiritur præire quatuor citationes, &c. 7
Exilia ex contumacijs prolata, sunt interlocutoriæ. 8
Exilium omne includit infamiam. 9
Probationes in criminalibus debent esse luce clariores. 10
Vbi de hominis salute tractatur, diligentius fieri debet examinatio. 11
Sanctius est impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. 12
Mulctæ seu pœnæ confiscatione confunduntur. 13
In materia securitatis, si citatus non comparuerit, ipsa securitas iudicatur prima nõ comparitione, per contumaciam &c. 14
Quando citatus personaliter comparet, nequaquam insinuatione opus est. 15
Securitatem statuere nolens, in carcerem detruditur, donec eam constituerit. 16
Securitas quando adiudicetur in Curia Flandriæ. 17
Securitatis constitutio in Francia. 18
In materia purgationis, si citati secunda contumacia non comparuerint, impetrans ob citatorium contumaciam iudicabitur purgatus. 19
Quonam pacto procedendum sit per fiscum, quoties multi criminosi eiusdem criminis citantur, quorum alij comparuerunt, alij verò non. 20

1 IVxta iurium rationẽ, † quisquis criminaliter citatus non paruerit illius bona vniuersa, ob nõ comparitionem, ilicò per fiscum notantur & committuntur literis. Qui si intra

2 annum aduenerit, semet ab illa contumacia purgaturus, † bonis antè ita notatis, denuo liberè fruatur, necessum est. Quo item † priuilegio gaudent illius hæredes quoties intra annum cõtige-

tigerit ipſum obire mortem. Si verò ante annum nõ veniat, ſeſe purgaturus à non comparitione, & calumnia: bona illa, quę diximus à fiſco proſcripta, in fiſci manus adiudicantur damnata. Non eſt tamẽ is contumax, à ſua defenſione, & purgatione proponenda, poſt annũ, aut quoties velit, planè
4 reiectus. Quòd iura † nullũ abſentem reiectent, nec vlla corporali pœna cõdemnent: licèt in mulctam pecuniariam, ob contumaciam talem abſentem ſubinde conſtringant. Verum
5 Stylus † & vſus receptus habet: vt quiſquis in Camera Flandriæ citatus fuerit perſonaliter, & non comparuerit, incidat in cõtumaciam: iſq; denuò & ſecundò citãdus eſt per concluſionem manuum: qui ſi ne tum quidem comparuerit, ob iteratã & ſecundam contumaciam à Iudice traditur commiſsio illum comprehendendi, ſicubi locorum per totam Flandriam, extra ſacrata loca, inueniri poterit. Nam ſi nuſquam apprehendi poterit, citabitur ad pœnam exilij, ſiue omnium bonorum confiſcationis. Quòd ſi neque hoc remedio citationi pareat, acriùs deinde contra ipſum, tanquam contumaciſsimum, proceditur. nempe ad perpetuum exilium Flandriæ, & pœnam confiſcationis omniũ bonorum ſuorum, ad vſum Comitis Flandriæ, abſq; vlla alia inquiſitione, quàm quæ præceſſerat. In magno cõcilio conſtituerunt ob contumaciã damnare exilio † ex omnibus huius inferioris Germaniæ finibus: ſcilicet Brabantia, Limburgo, Lutzenburgo, Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Friſia, Namurco, Mechlinia, &c. Vt au
7 tem ex Stylo † quiſpiam criminaliter citatus, condemnetur per contumaciam, requiritur præire quatuor citationes, & quatuor contumacias: quarũ tres prorſus ſunt neceſſariæ, quarta abundans ex gratia adijcitur. Quibus peractis, impetrans emolumenta, quæ ſibi per contumaciam ſperat futura, exhibet per INTENDIT. Quo viſo, vnà cũ informationib⁹, actis, actitatis, munimentis, & meritis cauſſæ, curia pronunciat exilium, & bonorum confiſcationem, huiuſmodi contumaciæ intuitu. Nihilominùs ſi talis exilio damnatus, innocentiæ ſuæ conſcius fuerit, neutiquam priuatur libertate ſeſe, ſuamq; contumaciam purgandi, & iudicio ſiſtendi. Nam huiuſmodi
8 †exilia, ex contumacijs prolata, nihil ſunt, quam interlocutoriæ, quę ſunt reuocabiles, l. Quod ius ſit. ff. de re iudica. c. Cùm ceſſante, ext. de appella. Veruntamen confiſcatio ſemper hic locum obtinet (niſi Principis clementia huic confiſcationi cedens, bona cuncta exilio ita damnato refunderet) adeò, vt etiam ſi cõtumax is ciuis fuerit Gandenſis, Brugenſis, Yprenſis, aut aliorum ſimilium locorum Flandriæ, vbi ciues à confiſcatione ſunt liberi, Curia tamen non deſinat confiſcationem adiudicare Principi: quę quidem libertas aut priuilegiũ poteſt allegari in executione. Et fieri etiam poteſt, vt hic cõtumax abſens bona ſua habeat extra limites Flandriæ, quò dictum priuilegium (vt nonnulli conantur ſuſtinere) ſeſe non extendit. Deinde qui ſe ſinit in criminalibus per contumaciam condemnari, iacturam facit, non ſolum bonorum, verum etiam nominis, honoris, & famæ: quan-
9 do quidem exilium omne † includit infamiam, ob quam is permanet infamis, donec per Principem priori nominis ſui integritati reſtituatur, quorum meminit excellentiſsimus I. C. D. Nellus à ſancto Geminiano in ſuo inſigni tract. De Bannitis, ſub ſecundo tempore: nempe de occurrentibus poſt perfectum bannum ipſi bannito ad

ad quem Lectorem remittimus. Sunt qui autument, absentes contumaces in re criminaria, criminum obiectorum esse reos & obnoxios, omniaque obiecta habenda esse pro confessis, quòd is condemnabilis sit in principali, ratione suæ contumaciæ, quam æstimant pro ficta probatione: contumax enim videtur fictione iuris crimen confiteri. Verùm alij censent
10 per talem fictam † probationem, aut confessionem, nullum absentem absolutè, siue definitiuè condemnari posse, quòd probationes criminarias neutiquam oporteat esse fictas, verum luce clariores, vulgatiss. l. Sciant cuncti, C. de proba. & ibi Sal. concordat verbo tenus, c. Sciant cuncti, 2. q. 8. c. Epiphanium presbyterum, 5. q. 6. l. Qui sententiam, C. De
11 pœnis. † Diligentiùs enim debet fieri examinatio, vbi de hominis salute tractatur, non autem ex præsumptione: quia † sanctius est, impunitum reliqui facinus nocentis, quam innocentem damnari, tritissima l. Absentem, ff. de pœnis, l. 3. §. Idem tamen confitetur, ff. de min. 25. an. cum mille concordantibus. Quando accersitur & citatur quispiam ob crimen personaliter ad pœnam pecuniariam, ob quam etiam comparere recusat: citatur deinde ad maiorem pœnam, & ad audiendam simul sententiam mulctæ, & pœnæ, in quam prioris contumaciæ causa inciderat. Præterea citatur & tertiò ad duriorem pœnam, &c. Porrò si nec harum pœnarum timore perterritus cõparuerit, ob quartam contumaciam (quam ex gratia abundantem diximus) condemnatur exilio, & bonorum proscriptione siue confiscati
31 one. Sed in † hoc casu mulctæ seu pœnæ per confiscationẽ confunduntur vbi confiscatio locũ habet. Nam vbi ea cedit, omnes pœnæ iam dictę adiudicandæ sunt, & exequendæ. Quoties exulat quispiam ad certam pœnam, simulque præcipiatur, ne ante eiusdẽ pœnæ solutionem redire præsumpserit: non est is exul pœnæ executioni subiectus, dum paret exilio: in ipso nanque fuerit vtrumlibet, aut exiliũ aut pœnam persoluere. Si vero durãte exilio, contingeret ipsum intermori, hæredes in pœnam seu mulctam la
14 tam non incidere nt. In materia † securitatis, si citatus non comparuerit, ipsa securitas iudicatur prima non comparitione, per contumaciam, & impetranti ilicò conceduntur literæ, quibus parti aduersæ insinuet. Hanc autem formam vsurpamus in Flandria.
15 Si verò † citatus personaliter ipse compareat, & certitudinem seu securitatem propria firmauerit dextra, nulla opus erit illi insinuatione facienda.
16 Quum autem † eam certitudinem sta tuere nolit, comprehenditur, & in carcerem detruditur, donec eam constituerit. In Flandria nulla † certitudo siue securitas per non comparitionem
17 adiudicatur: nisi Curiæ seu Concilio constiterit, citationem factam fuisse in personam, vel domum seu domicilium citati, & eo die ad citationẽ constituto. Nam si is incuria, aut alias prætermissus fuerit, rursum ab integro noua parabitur citandi commissio.
18 In Francia † habent, vt in materia constituendę certitudinis siue securitatis, necessariò requirantur duæ nõn comparitiones siue defectus: potissimum, quando citatio non fuerat facta in
19 personam citati. † In materia purgationis, si citati secunda contumacia non comparuerint, impetrans ob contumaciam, & citatorum absentiam, iudicabitur purgatus: nequaquam tamen recuperabit suas expensas, quòd suum fuerit purgationem peragere.
20 Quoties † multi criminosi citantur eiuſ-

eiusdem criminis, quorum alij comparuerint, alij vero minimè, non cunctatur procurator aut fiscus ob absentiũ defectũ, aduersus præsentes procedere: nec contra absentes cessat procedere, ratione contumaciæ.

CAPVT XXIX.

De Contumacijs purgandis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 29

Absentium cuilibet, iure permittitur absentiæ obiectæ purgatoria excusatio. 1
Redeunti intra annum, adiudicatur bonorum proscriptorum restitutio. 2
Ex stylo & Consuetudine, nullus admittitur ad purgandam absentiam in re criminali. 3
Restitutio ex causa saltem apparenter necessaria, admittit purgationem absentiæ in re criminali. 4
Bona in manibus Principis constituta quamdiu permaneant. 5

1 ABsentium siue † deficientium cuilibet, iure permittitur absentiæ siue deficientiæ suæ obiectæ (quoties libet) purgatoria excusatio, & sese Iudici sistendi potestas, vt suprà quoque meminimus. Qui si † intra annum redierit,
2 adiudicatur ipsi bonorum per fiscum proscriptorum, rursum integra possessio, & restitutio, l. fin. ff. de requir. reis, & l 1. C. eod. tit. sicuti antè demonstratum est. Ex stylo † & consue-
3 tudine inolita, nullus admittitur ad purgandam absentiam & defectum in re criminali: nisi per restitutionis in integrum beneficiũ, & indultum †
4 Principis, permissum ad apparenter necessariam excusationem. Tum autem non redit ad bonorum suorum
5 vsum & possessionem: quum ea † in Principis manus (vt vulgò circumfertur) constituta fuerint: sed ibidem durante lite seu processu conseruantur, donec per sententiam Iudicis è manibus Principis rursum liberanda denuncientur. Neque item ad bonorum suorũ possessionem redit: maximè, quoties eorum confiscatio, per contumaciam declarata fuerit: nisi id forsitan contingat ex speciali Principis sui gratia, per certas apertásque ipsius literas ritè in Financia, vt decet, verificatas.

CAPVT XXX.

De libello formando, seu petitione facienda in re criminali.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 30.

Libellus non fit per Fiscum in criminaliter intentata ex officio, 1
Libellus formatur per Fiscum in crimine ciuiliter intentato ex officio. 2
Libellus formatur per aduersarium ciuiliter. 3
Libellos criminum oportet esse clarissimos. 4
Libellos non oportet carere substantialibus. 5
Libellus non necessariò exprimit diem: nisi ratione alibi. 6

Libelli non egent concluſionibus, in criminibus criminaliter intentatis. 7
Libellus accuſatoris, ex conſuetudine quid concludat. 8
Conſuetudo, Stylus, Vſus, } *Non recipiunt duplam, aut quadruplam reſtitutionem* 9
Bona ablata Iudicis eſt non ſibi depredari, ſed cognito veróque domino reſtituere. 10
Exclamatio Authoris, in rapaces officiarios. 11
Libellus in actione iniuriarum concludit aut ciuiliter, aut criminaliter. 12
Parti aduerſæ omnis adimitur criminaliter concludendi facultas, ex ſtylo & conſuetudine. 13
Libellos Fiſcus ante litis conteſtationem commutare poteſt. 14



1 IN crimine criminaliter † intenta to per Fiſcum ex officio (potiſſimùm malefico) capto nullam fiſcus petitionem ſiue libellum format: ſed curiæ iliçò præuiam informationem communicat: cupiens, vt malefi-
cus Reus ſuper eiuſdẽ informationis articulis, ligato pede, examinetur. In
2 crimine† verò ciuiliter per fiſcum ex officio intẽtato, format is petitioné ſeu

seu libellum, capitq; conclusionem materiæ accommodã. In materia criminum, † vbi ipse aduersarius impetrans est, formatur libellus seu petitio per eundem aduersarium, ciuiliter in sistendo conclusioni ciuili, scilicet, honorabili & proficuæ seu fructiferæ emendæ, cum expensis, damnis, & interesse. Fiscus autem siue procurator concludit aut ciuiliter, aut criminaliter, pro conditione criminis. Omnes† libellos seu petitiones criminarias, oportet esse clarissimas: Ne quid† ipsorum substantialium accusationis desit, sed vti apertè referant, & exprimant annum, mensem, indictionem, locum, & omnes criminis patrati qualitates, l. Libellorum, ff. de accusat: & ibi Bart. ac eius sequaces. † Verũ diem ipsum simul efferre, non erit necessarium: nisi id Reus requisierit, comprobaturus, suum ALIBI. Rursum † in materia criminum criminaliter intentatorum, nulla opus est conclusione: quandoquidem iura ipsas pœnas & punitiones criminibus debitas & propias ilico, citra conclusionem vllam, referant, & commonstrent, ita Barto. in d.l. Libellorum. cui seruit l. 1. §. 1. ff. ad S.C. Turp. † Vsu tamen ac consuetudine receptum est, quoties accusator postulat Reum condemnatũ pro ratione iurium, aut ad constitutiones seu leges municipales, statutas in materia manifesti furti, in quo fur vnà cum re furtiua prehenditur, posse aduersarium cõcludere, vt fur condemnetur in forefactis, & omnibus expensis, & de manifesto furto ad quadruplam solutionem, l. Inter omnes, §. Quod dicimus, ff. de furt. nihilominus procuratoris est præter hæc, conclusioni semper insistere criminaliter. Idque ex iure. Cùm † duplã siue quadruplam bonorum restitutionem nec stylus, nec consuetudo, nec vsus vnquam receperit, quòd sufficiat parti aduersariæ propria suarum rerum ablatarum restitutio per officium Iudicis: † cuius est, cuilibet ad restitutionem rerum suarum succurrere & patrocinari, sicubi poterit. Quid† igitur hic vetat, nos grauiter exclamare in quorundam nostræ infelicissimæ ætatis iniquos Prætores, Propræ̨tores, latrunculatores, idq; genus alios officiarios, qui quotidie huiuscemodi res furto ablatas (& si quàm optimè nouerint, quorum sint, quibusue ablatæ) non reuereantur eas sibijpsis, tanquam proprias, vendicare, asscribere, & reseruare? quum proculdubio hoc atque simili potissimum casu furibus ipsis atque prædonibus ijsdem sese testentur esse similes, similibusq; censuris & supplicijs esse, nedum iure humano, verùm etiam diuino obnoxios & plectendos. quod innumeris locis, & authoritatibus nũc facilè monstrauero. sed cùm id luce fuerit clarius, quumque id nullus, nisi corrupto iudicio insanáque mente præditus, vnquam negauerit, statui omnibus ijs locis abstinere, & ad rem nostrã iam intermissam, denuo redire. In actionibus † itaque iniuriarum liberum fuerit parti aduersæ vtrolibet concludere modo, aut ciuiliter, aut criminaliter, §. In summa, Instit. de iniur. Verũ alterutrius lectione, decidit à libertate electionis alterius, vti iura testantur, in l. Quod Senatusconsultum, & l. Præ̨tor, §. 1. ff. de iniur. & §. Liberum. Instit. de leg. Aquil. Nam † inolitis iam olim stylo & consuetudine, parti aduersæ omnis adimitur criminaliter, in quáuis etiam materia, concludendi facultas. Porro† in manu fiscorum fuerit quoties ipsis visum fuerit, vel res deposcat, conclusionem, vel additione, vel detractione cõmutare. Veluti si quid asseruerint contigisse interdiu,

diu, post narrare poterunt, factũ esse noctu. Verùm hæc fieri oportet ante litis contestationem, teste Bart. eiusq; sequacibus, in l. Edita, C. de eden.

CAPVT XXXI.

De dilationibus in re criminaria.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 31

Super libello criminali, iura admittunt reo deliberationem. 1
Super libello criminali, & inquisitione facta per fiscum ex officio duntaxat, nequaquam admittitur reo deliberatio, & articulorum copia. 2
Reus nonnunquam cogitur respondere ilicò ad propria maleficia. 3
4 *Inducię, Dilationes. Triduanæ nonnullis in locis admittuntur.*
Reus in crimine ciuiliter instituto fruitur singulis dilationibus, sicuti in materia ciuili. 5

1 IVra† admittunt Reo (si quidem id voluerit) deliberationem & consultationẽ faciendam super libello seu petitione, ipsi criminaliter facta, intentata, & exhibita: tradũturque eidem criminum obiectorum articuli, vt ijs inspectis & cognitis, cum iustis dilationibus, & matura consultatione siue consilio, feliciùs semet ab ijs defendat & expurget: modò tamẽ hic sit pars aduersa conquerẽs: & inquisitio præcesserit ad instantiam & requisitionem partis. Huic quadrant l. 1. ff. de eden. & c. Inducię accusatis, §. Offeratur, 3. q. 3. & ibi scribentes. Quo 2 ties† autem libellus seu petitio, & inquisitio facta sunt per fiscum ex solo ipsius officio, absq; vlla partis aduersæ quærimonia, siue requisitione, nulla tum reo largienda erit articulorũ exemplaris copia, neque vlla dilatio ad deliberationem siue consultationem. Verùm† respondendum ei fuerit ilicò, & pede stante (vt aiunt) ad proprios excessus, propriáque maleficia. In nonnullis† tamen locis, vt Brugis, admittuntur inducię siue dilationes triduanæ, siue ad triduum, si quidem eas petierit: & proceditur de 5 triduo in triduum. Cæterùm† in crimine ciuiliter instituto ac intentato, fruitur Reus singulis dilationibus, sicuti in materia ciuili.

CAPVT XXXII.

De respondendo per exceptionem.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 32

Reo concessum est, aut per se, aut per caufidicos, suas exceptiones proponere. 1
Reus in ipso rerum principali cardine, oportet, personaliter respondeat. 2

Except-

Exceptionis { *Declinatoriæ,* / *Dilatoriæ,* / *Peremptoriæ,* } *Exempla.* 3 4 5

Somnus delictum excusat. 6

De crimine bifariam agi potest, { *Ciuiliter,* / *Criminaliter.* 7

1 IN quouis crimine, tam capitali, † quàm alio, conceſſum eſt Reo per ſe, & item per cauſidicos, aduocatos, & procuratores, in iudicio reſpondere, & proponere quaſlibet ſuas exceptiones declinatorias, dilatorias, & peremptorias, ſiue rectiùs, eliſorias, perinde atque in ciuilibus
2 negotijs. Verùm † in principali rerum cardine, planè oportet reum ipſum reſpondere, proprio ore pro
3 fiteri aut diffiteri Declinando † autem Iudicem ſibi ſuſpectum, audacter efferre ſuſpectioniſque cauſſam euidenter oſtendere, & citare poterit: Aut dicet ſe eiuſdem criminis gratia, coram alio tribunali conſtitutum & citatum, quò deliderabit mitti. Item † differendo, vel ad dilationis ac moræ productionem, poterit
4 reiectare executionem, aſſerens officiarium ſua commiſsione in citando aut prehendendo vſum fuiſſe citra authoritatem & mandatum iudicis, aut præter omnem informationem (vt vocant) præuiam. Aut apprehenſionem deſtruet, dicendo ipſum fuiſſe immunẽ à tali apprehendẽdi authoritate: Aut extra ſuę iuriſdictionis terminos cõtigiſſe. Vel certè parti ſuę aduerſæ cõtradicere ac refutare eam poterit, dicẽs: ipſam accuſationib⁹ ineptam & inhabilẽ, eóque in iudicio minùs audiendã: quippe, ob vitæ ipſius
5 infamiam, quam illi intenſurũ prædicabit. † Peremptoriè affirmare poterit, ſibi crimen eſſe remiſſum, & 7 condonatum: aut exilium reuocatum: aut ſeſe priùs ob idem maleficium tuliſſe ſupplicium: aut certè compoſitione placaſſe animum Iudicis vel officiarij, aut his ſimilia præſtruet: vel citabit, ALIBI: nempe ſe tempore patrati criminis, nõ fuiſſe eodem loco. Itẽ licebit ipſum factum inficiari: nihilq; eſſe rei ſibi obiectæ, aut ſi quid eius rei tandem inueniretur, id neutiquam deſtinata malicia, aut nocendi libidine, ſed vis illatæ repellendæ gratia factum eſſe, aut infortunio, aut ſimili caſu fortuito,
6 aut quod fecerit dormiens: iure † namque ſomnus factum excuſat & diluit, D. Hippo. de Marſil. teſte in l. 1. ad exordium, ff. ad l. Cornel. de ſica num. 46. atque tex. in Clemẽt. vnica, de homicid. niſi ex conſuetudine ſæpius conſueſſet cædere, quo caſu, non excuſaretur, quum ita meritò confugeret cum alijs concumbere, vt inquit Bart. in l. pe. de parricid. & Ang in ſuo tract. maleficiorum, in gloſ. in verb. Et ad hoc colloquium, in verſic. Sed quid ſi quis propter ebrietatem deliquerit, &c. quos videte: Affirmare item licebit, ſibi crimen eſſe remiſſum: & interemptum, ipſi tum mortem, tum quamlibet iniuriarum actionem, benigno elementique animo condonaſſe & ignouiſſe. Verùm ne plus æquo hoc nomine ſibi placeat, quòd ipſi cum parte aduerſa bene conueniat, & iniuriã remiſerit: quaſi tunc ab omni crimine purgatus exiſteret. Nam etiam ſi † ita ſeſe res habeant, bifariam tamen adhuc de crimine

ipso poterit agi: quippe ciuiliter in gratiam partis, & criminaliter ex officio fisci. Nunquã enim pars plenariè potest remittere, cũ detrimento fisci: nec cõtra fiscus vnquam remittet, cũ detrimento partis. Porrò in singulis his exceptionibus, Iudici summariè, atque ordine faciundum & ius dicendum est, non secùs, atque in rebus ciuilibus agere consueuit.

CAPVT XXXIII.

De remissione in materia criminali.

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 33

Remissio in criminalibus nullum habet locum, 1
Præuentio remissionem excludit. 2
Præuentio priuat Iudicem, etiam competentem, iurisdictione. 3
Nemo tenetur litigare & comparere pro eadẽ caussa corã duobus iudicibus, 4
Præuentio fit variis modis, quandoque per { *Citationem* { *Verbalem,* / *Realem,* } / *Litis contestationem.* / *Libellum,* / *Sententiam,* } 5
Præuentio citationis realis, præfertur citationi verbali 6
Remissionem suorum ciuiũ non consueuerunt facere ciuitates priuilegiatæ. 7
Domini de Consilio, nulla vtuntur remissione in priuilegiatis. 8
Vagabundorum nulla fit remissio. 9
Vagabundi vbilibet possunt conuenirí, & puniri. 10
Crimina vbicunque claruerint, punienda sunt. 11
Delicta non debent remanere impunita. 12
Reipub. interest, vt animaduertatur in maleficos, 13
Vbi te inuenero, ibi te iudicabo, 14
Vagabundus quis dicatur? 15
Tribunalibus contendentibus, quis vsus dominij de Consilio. 16
Remissio, an vlla consuetudine tollatur? 17

HAC de remissionis materia varij varia scripsere. Sunt qui contendant, de Iure cõmuni remissioni in criminalibus locũ esse, iuxta §. Si verò quis, in Authent. Vt nulli iudicum, Colla. 9. ponderantes text. ibi. Iubemus prouinciæ illius Iudicem, &c. & ibi Bart. cum sequacibus: quod verbum (Iubemus) est verbum necessitatis, l. 1. & 2. ff. Quod iussu. & notatur in Authẽt. Qua in prouincia, C. Vbi de criminibus agi opor. Alij autẽ, nempe Bald. eiusq; imitatores secùs censent, dicentes, se nusquam legisse legem vllam, in criminalibus remissionem admittentem: vide eundem Bald. in Addit. Specu. de accusatore. versic. Sed quid si offensus. Anto. Frãcis. in addit. ad D. Abba. Panor. in c. fin. ext. de fo. cõpet. His altercationib⁹ hoc loco nõ decreui prolixiùs insistere, vtique rẽ istã (quò ordinis decorum aptè seruetur) vel tantula citatione attigisse có-

tentus. Quare omissis hic innumeris
1 opinionibus, statui † propriam sententiam aperire, qua censeo, remissionem in criminalibus nullum habere
2 locum: nempe, quòd † præuentio omnem huiuscemodi remissionem ex-
3 cludat. Præuentio† enim isthæc priuat alium Iudicem, etiam competen-
4 tem, iurisdictione: ne quis † teneatur litigare, & comparere pro eadē causa coram duobus Iudicibus, vt habe-
7 tur, in c. Proposuisti, ext. de fo. compet. & in c. Vt debitus, ext. de appella. & per Specu. in tit. de rescripti præsentia, in §. Ratione autem causæ, in
8 verſic. Item quod sublatum est, & in verſic. Item quod impetrans. Hippo. de Marsil. in l. fin. ff. de iurisdic. omnium Iudicum. Et præfatam præuen-
5 tionem † variis contingere modis, indubitatum est: nempe, quandoque per citationem, quandoque per litis contestationem: quandoque per libellum: quandoque per sententiam: quandoque per arrestum, aut per personalem comprehensionem seu capturam, quam vulgò vocant,
6 citationem realem. Et † præuentio citationis realis præfertur citationi verbali, quòd crimen comitetur ipsam personā: in quam is Iudex suam executionē exercet, qui ipsam prior captura constrinxerat, secundum
9 Bart. in l. 3. ff. decusto. reo. & in l. 1. ff. de pœnis, & in l. Diuisim, ff. ad Turpil. & Bald. in l. 1. C. Vbi de criminib. agi oport. & in Auth. Sed nouo iure, C.
10 de seruis fugit. Cuius præuentionis amplè meminerunt Bart. & Alex. in l. Si pluribus, ff. de leg. 1. Idem Alex. in l. Si Titius, ff. de verb. obli. Doct. in c. Capitulum sanctæ crucis, ext. de rescript. & in c. Si duo. de procurato. lib. 6. Idem Alex. post alios, in l. Sepulchri, ff. de sepul. violat. Cyn. & Bald. in l. 1. C. de his qui accusa. non possunt: Idem Alex. post Bart. in l. Denunciasse, §. Quæritur, ff. de adul. Hippo. de Marsil. in d. l. fin. ff. de iurisd. omnium iudic. l. Si quis postea, ff. de iudic. Angel. Aret. in tract. maleficiorū, verſic. Citentur. Attamen si malefi-
7 cus alibi, quam suæ habitationis seu domicilij, aut criminis patrati loco, fuisset apprehēsus: posset tunc Iudex domicilij siue loci habitationis male-
7 fici, reposcere remissionem. † Neque Brugensibus, neque alijs priuilegiatis Ciuitatibus vnquam consuetum est, suorum ciuium remissionem facere.
8 Domini † de consilio nulla vtuntur remissione in priuilegiatis causis, ve luti ob Saluegardiæ Principis infractionem: ob violationem pacis Principum: ob temporum irruptiones & violentias: ob crimen læsæ Maiestatis: ob enormia facinora, semel atque iterum aucta & conduplicata (vulgò **faict bouen faict**) ob vim, officiarijs officiantibus, suaq; adhuc officia exercentibus, illatam. Neque item ob alia similia facinora, potissimùm quo
9 ties ipsi de his præuentionem habēt. Neque similiter remissionem faciunt ob annua admissa, id est, ob facinora plus anno commissa, aut vltrà, atque adeò quæ ob iustitiariorū, aut officiariorum negligentiam impunita relicta sunt, & c. Porrò de † vagis siue vagabundis maleficis, nempe, quibus
10 nulla est in Flandria certa habitationis sedes, nulla fit similiter remissio: quod vbilibet locorum, † vbi reperiuntur, conueniantur, & punitioni subiaceant, l. 1. & ibi glos. in verb. reperiuntur, in fi. C. Vbi de criminib. agi oport. §. Si verò quis comprehensorum, in Authent. vt nulli iudic. Crimina enim, vbi † vbi claruerint, ibi sunt
11 puniendā, vt in c. Ecce, 24. q. 3. & in c. Si quid, 86. distinct. & in c. 1. & ibi Doct. de colluſio. detegen. & voluit

glos. in verb. Præteribat, in c. 2. eo tit.
12 Et delicta † non debent remanere impunita, l. Ita vulneratus, 1. respon so, in fin. ff. ad l. Aquil. c. Vt fame, ext. de sen
13 ten. excommuni. Reipublicæ † etiam interest, (quemadmodum superioribus locis frequenter recensuimus) vt prouincia purgetur maleficis, vt in l. Congruit, ff. de offic. præsid. Et de eo potest intelligi illa authoritas: Vbi te
14 † inuenero, ibi te iudicabo, teste Panor. in c. fin. num. 13. ibi, Tertiò glos. dicit, ext. de for. competen. vbi dicit:
15 Quòd vagabundus † dicitur ille, qui non habet domicilium certum, vel habitationem, quotidiéque per varias ciuitates vagus oberrat, glos. in l. Eius qui manumisit, §. fin. ff. ad municip. & Barto. in l. Dies cautioni, §. Prætor ait, ff. de dam. infecto. Hippo. de marsil. suis in consilijs, consilio 86.
16 Quando † autem inter duo tirbunalia de iurisdictione nascitur contentio ac controuersia, Domini Cõsilij Flandriæ ex authoritate superiori, sibi maleficum iubent adferri, formãdo processum, & punitionem exercendo, citra vllum præiudicium Quum huius remissionis vsum paulò antè dixerim varijs opinionum fluctibus iactari, eò que esse ambiguum, & infrequentem: haud absurda hîc nascitur quæstio:
17 An † remissio quopiam modo consuetudine posset tolli? Cui planè affirmatiuè respondendum erit, modò is Iudex, in cuius territorio remittendus degit, delinquentem ipse puniat. Hoc enum casu, non læditur vtilitas publica: quòd malefici crimina non maneant impunita. Hic mihi suffragantur Panor. & Felin. in c. fin. ext. de fo. competen. Quisquis hac de re plura desiderat, is legat D. Bertachinum in suo repertorio, in verb. Iurisdictio. Speculat. titu. de remissionibus, & D. Barto Iomæum à Chassenæo humanorum iuriu m Doctorem, ac Commentatorem Consuetudinum Ducatus Burgundiæ, in titu. *Des aduenz*, per aliquot columnas.

CAPVT XXXIIII.

De respondendo, pede ligato.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 34.

Vsus procedendi in magno Consilio contra respondentem pede ligato. 1
Vsus procedendi in Consilio Flandriæ. 2
Captus interrogatus, debet pertinenter respondere de veritate. 3
Causarum æquitas, vel iniquitas per Iudicem, non per reum discutienda. 4
In confessum nullæ partes Iudicis sunt, nisi in condemnando. 5
Homicidium confitenti, sed ad sui defensionem necessariam, paratum, incumbit onus probandi. 6
Homicidium prorsus negans, & quatenus probatum fuerit, se comisisse ad defensionem, dicens, non habetur pro confesso. 7

1 IN magno consilio, post † petitionem exhibitam, atq; post delictorum Rei informationem inspectam, vsu receptum est, citatum illicò per arrestum personaliter sistere Iudici, ipsúque vrgere ad respondendum articulis per procuratorem exhibitis, pede ligato, hoc est, vti captiuum, vbi si

si in respondendo nihil fateatur, nihilque affirmet sibi contrarium, causæve suæ damnosum, neque item admodum grauetur ipsa informatione præuia, recipitur tum ad processum ordinarium, in quo admittitur occupaturus per procuratorem, & vt defensiones suas peragat scripto. Deinde vt informatio recognoscatur, accuratius habeatur, ad onus ipsius citati. Tandem concludunt per omnia ordinarie procedendum esse in causa siue processu, vti æquum est, ac oportet. Verùm si idē citatus, interrogatus pede ligato, cœperit quippiam confiteri sibi damnosum ac onerosum: aut si inter respondendum quid variet, dubijsve sententijs fluctuet & hæsitet, præbens hac similive occasione sese suspectum, vndeque euidentia iudiciorum, aut suspitionum aduersus ipsum nascantur argumenta: decernit tum Curia, eundem citatum debere recipi in carceris custodiam, vt ibi processus ipsius agatur, & tractetur. † In consilio Flandriæ consuetum est, interrogare officiarios citatos ob sua ipsius commissa personaliter, non per commissarios, neque priuatim, sed publicè, & palàm in consistorio, verbis & rationibus: cæteri autem non officiarij, interrogantur seorsum & priuatim, Quod nihilominus etiam fit in officiarijs, quoties admissum non concernit ipsorum officia. Captus † autem interrogatus, debet id, quod Rei est, respondere, nudamque fateri veritatem: non per (credit) aut (non credit) sed per veritatis confessionem aut negationem. Vbi si adstruat se delicti patrati esse immunem & expertem: aut dicat, nego me illius criminis Reum, insufficiens est illa responsio: quum ipsius responsionem conueniat aperte factum, aut non factum crimen prodere ijs scilicet verbis quibus affirmet & dicat, se feciſſe, aut non feciſſe: Non autem, † vt dicat, se crimini de iure esse, aut non esse obnoxium. quandoquidem causarum æquitas vel iniquitas per ipsum Iudicem discutienda proponitur: non per Reum. Si verò interrogatus, vniuersum crimen libens apertè, & non coactè fatetur, ab omni vlteriori quæstione, & disceptatione prorsus supersedendum fuerit. Nam in causis per se lubenter, apertè, planéque vniuersim confessis, sola opus est Iudicis condemnatione, & sententia. hinc vulgò dicimus, † Quod in confessum nullæ partes Iudicis sunt, nisi in condemnando, l. Proinde ff. Ad l. Aquil. l. fina. prim. respon. ff. de custo. reo. & l. Cum Reis, C. de pœnis. Ita tenuit D. Bald. de Periglis Perusinus in suo insigni tract. De quæstionib. & tormentis, Ca. 2. & num. 2. atque D. Angel. Aret. in tract. suo maleficiorum, in gloss. in verb. Fama publica præcedente, in versic. Et primò, quando sponte confitetur, &c. notant. gloss. & Bart. in l. 1. §. Diuus, in princip. ff. de quæstionib. Si verò interrogatus crimen omne constanter negauerit, Iudex vlteriùs procedit ad criminis probationem explorandam, & examinandam: vbi si omnia certa, vera, probatáque deprehenderit, properantur procedit ad ferendam sententiam. Si autem probationem reperet minus claram parumque euidentem, adeò vt præter magna indicia, suspiciones, aut semiplenam probationem, nihil habeat: tum animum intendit ad personæ, ac criminis qualitatem, nec non ad

criminis quantitatem: secum expendens, an istiusmodi indicia, & suspiciones habitæ ex personæ, criminisq; tum qualitate, tum quantitate, torturæ sufficiant, & ad rem propiùs acriusque tormentorum generibus explorandam, conueniant. Cæterùm si captus interrogatum delictum partim fatetur, partim inficiatur: ita vt fateatur se fuisse eodem loco, & tempore patrati homicidij, cæterũ homicidiũ à se admissum negauerit: Iudex huiumosdi responsionẽ nõ secus quã totam negatiuã, accipit, & ad probationem procedit. Verum si captus agnouerit se commisisse illud homicidium, sed non eodem loco, eodemq; tempore, accipit Iudex rem tanquam vniuersim vel planè confessam, proceditq; ad condemnationem. Porrò
6 si † confitetur de commisso homicidio: sed id defendendi sui corporis caussa, necessariò fecisse prætexuerit, homicidium quidem confessum sibi reseruat Iudex, & ad illũ prætextum probandũ, necessitatémque demonstrandam, Reum procedere iubet. Ita expressè tenuit D. Lanfrancus ab Ariadno V. I. Doctor excellentissimus, in suo tract. Confessionũ. ad finem, num. 17. & 20. Quocirca † prudentissi
7 mè, tutissiméq; responderit Reus, si ad hanc formam, responsionẽ suam composuerit: Ego homicidium illud prorsus à me patratũ nego: & si quid postea quorundam testimonio contra me secùs inuentum fuerit, & cognitum, id omne nunc dico propriæ vitæ defendendæ fecisse gratia. Nã hac responsione nihil habet Iudex, quod sibi deberi putet, seu teneat pro confesso. Ad postrema hæc, si lubet, videbitis scripta Bart. ad l. Aurelius, §. Idẽ quæsijt, num. 2. ff. de libera. lega. Nec non Bald. in addit. Spec. in titu. de Cõfessionib. in versic. Confiteor hominẽ occidisse, Atque D. Hippo, de Marsi. nostræ memoriæ in criminalibus practici summi, in §. Postquã, & num. 23. & 24. in §, Secunda. num. 14. in sua praxi caussarum criminalium.

CAPVT. XXXV.

De criminoso tradendo torturæ.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 35.

Maleficus quæstioni nunquam traditur, cùm pars formalis probationem offert. 1
Maleficus torturæ non traditur, quum delictum percipi potest probatione ordinaria. 2
Iudex, ad quæstionem non facilè, nec repentè prosiliat. 3
Quæstio ob crimina leuia nequaquam fit. 4
Crimina leuia quæ sint? 5
Non interrogatus pede ligato nequaquam torturæ subijcitur. 6
Ad quæstionem non proceditur, quum de crimine commisso non satis constitit. 7
Quæstioni non est tradendus, confitens & agnoscens. 8
Quando Reus de socijs posset interrogari? 9
Quæstioni siue torturæ nullus adiudicandus est, nisi ex iudicis mandato. 10
Criminosus appellans, auditur. 11

Quæsti-

Quæstionibus nullus damnandus est, nisi crimen patratum sufficientibus indicijs liqueat. 12

Redargutio in nonnullos Iudices & Prætores, tyrannidem in maleficos exercentes. 13

Fama, contraria fama elidit. 14

Fama, præsumptiones, & indicia præcedentia, per contraria subsequentia elidun tur. 15

1 NVnquam maleficus traditur† quæstioni, cùm pars formalis & aduersa offert criminis manifestam probationem, aut
2 † quum res percipi potest per probationem ordinariam. Ita probant l. Edictum, & l. Diuus Pius, & ibi. Doct. ff. De quæstionib. & l. Quoties, C. eod. titul. & hoc firmat Gandi. in suo tract. maleficorum, sub rubri. de quæstionib. & torment. ad exord. vbi inquit, dominum Iudicem, quæstionem de aliquo habere intendentem, ante omnia habere debere & iuris & humanitatis considerationem, hanc nempe
3 vt non facilè, † nec repentè ad quæstionem prosiliat, si aliqua alia via leuiori, vel veriori potest obiecti criminis veritas inueniri ac haberi, quantumcunque etiam adsint indicia, vel verisimilia argumenta. Cui nec dissentit Angel. Aret. in tract. suo maleficiorum, in verb. fama publica, in 15. char. in versi. Secundò quæro, &c. cui seruit d. l. Edictum. & ibi Bart. & hãc esse communem doctorum opinionem aiunt: Quòd probato delicto, Iudex nequeat Reum quæstioni tradere, testatur Hippol. de Marsil. in sua praxi causarum criminalium, in §. Nunc videndum, num. 25. & in l. 1. in princip. in versic. Quartò requiritur, ff. de quæstionib. & in sua repetitione l. fin. C. De probat. Nec non latissimè in suis consilijs, consilio 51. incipiente: Licèt nedum planè &c. Neque
4 item fiet† huiusmodi quæstio ob crimina leuia, quę nec vitam nec membri mutilationem, aut abscissionem
5 concernunt. Sunt autem† leuiuscula crimina, quempiam capillis conuellere, pessundare pedibus, impingere colaphos, conuicia ingerere, iniuriam verbis inferre, hisque similia, d. l. Edictum. Neque item †
6 quæstioni committitur quisquam, nisi is priùs fuerit interrogatus, pede ligato.
7 Neque etiam, † quu de crimine commisso non satis euidenter constitit. Veluti necessum est priùs Iudicem esse conscium, incendio cum coniuncto latrocinio, & non casu interijsse, & vi illata, & latrocinio absumptum
8 esse, non naturali morte. Non† tradendus est etiam quæstioni, quoties crimen impositum liberè fatetur, & agnoscit, aut profiteri promittit † citra
9 cruciatum: nisi intentati criminis cum ipso & alij fuissent participes: ad quos prodendos, quæstione cogendus est, si aliter prodere nolit, l. Sicuti, C. de quæstionib. iuncta ibidem glos. in verb. Conscientia. Amplè D. Franciscus Brunus in suo excellenti tract. De indicijs & tortura, q. 3, primæ partis, versic. Quæro an mendacium &c. Nul
10 lus† adiudicandus est torturæ, nisi ex mandato & consensu Iudicis: principio enim pronunciandum est per Iudicem, deueniendum esse ad torturam, priusquam deueniatur, ita tenet D. Hippo. de Marsil. in sua praxi causarum criminalium, sub §. Nunc videndum, num. 2. D. Franciscus Brunus in tract. suo, de indic. & tortu. in 9. char. colum. 4. huius dicti expressè meminit D. Bart. (qui iure primò fuerat citandus) in suis consilijs, consilio inci-

piente, Punctus quæstionis &c. Vbi† si maleficus à tali mandato & commissione appellauerit, audiẽdus est: non procedendum vlterius, donec de appellatione, sententia quid fuerit definitum, idq; ex iure, l. Vnica, ff. nil noua. appellat. interposita, l. 2. ff. de appel la. recip. & c. Cùm sit Romana, §. Præ-
12 tereà, ext. de appella. Nullus itẽ† quæstionib. dãnandus est, nisi crimen patratũ, sufficientibus indicijs, digniscq; liquerit præsumptionibus: atq; hoc item ex iure, l. Cùm cognitionaliter, C. de quęstionib. l. Vnius, in principio, ff. eod. tit. Sunt tamen† nonnulli
13 prætores, & Iudices sãguine fraterno adeò inexaturabiles, vt ilicò quemuis malæ famæ virum, citra vlla certa argumenta aut indicia, corripiant ad sæuissimã torturam, inclementer dicentes, cruciatum facilè ab illis extorturum rerum omnium confessionem. Verùm hanc tyrannidem, & sęuitiam acriter domini de consilio puniunt, quum ad ipsorum notitiam isthæc se
14 ueritas per aliquẽ defertur. † Si quãdo inquisitio (vulgò informatio) facta est ex sparsa fama, & post hanc informationem spargatur fama contraria: nulla ratione tum ex priori fama Reus adiudicandus est torturę, nisi alia noua dignàq; eiusdem criminis sibi pararit Iudex indicia aut præsumptio-
15 nes. Fama† enim, præsumptiones, & indicia præcedentia, per contraria sub sequentia eliduntur. Huic seruiunt & suffragantur notata Iaco. But. & Bart. in l. Si ita, §. fin. ff. de fund. instruc. ac D. Francis. Bruni in suo vtili & practicabili tractatu, de indicijs & tortura, q. 5. primæ partis, num. 1.

CAPVT XXXVI.

De indicijs tortura condignis, hoc est, ad torturam sufficientibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 36

Indicia quando dicantur esse ad torturã legitima, Iudicis arbitrio cõmittitur. 1
Indiciorum sufficientiam iudicare, solius est Iudicis. 2
Iudicis arbitrium, discretio, & conscientia, debent esse iuri & æquitati consona. 3
Conscientia publica, dicitur conscientia legis aut canonis. 4
Iudex debet sequi regulas legum, & non conscientiam suam legibus aduersantem. 5
Iudicium hominis propriæ suæ innitentis sententiæ, plerumque fallit, & fallitur. 6
Legi magnam facit iniuriam, qui vult videri lege prudentior. 7

In Iudice debent esse duo sales: Scilicet { *Sal sapientiæ, vt* { *Intellectus legum,* / *Et canonum.* } / *Sal securæ conscientiæ.* } 8

Iudex, quando veram & rectam habet conscientiam. 9
Iudicis arbitrio relinquitur, quicquid à iure non determinatur. 10

11 Indicia trifaria { *A veritate remota* / *Veritati propinqua,* / *Veritati propinquissima.* } *Aliàs* { *Generalia,* / *Semiplena, & dubitata,* / *Plena & indubitata.* }

Remo-

Indiciorum { Remotorum ac propinquorum, } quis effectus. 12
{ Plenorum & indubitatorum, } 13

Indicium ad torturam { Efficiunt duo testes fide digni. &c. 14
{ Efficit vnicus testis fide dignus, de veritate deponens. 15

Exempla indiciorum in { Latrocinio. Furto. Adulterio. } 16

Indicium ad torturam efficit vnus testis, de visu deponens, quando aliæ circunstantiæ non obsistunt. 17
Fuga, an faciat indicium ad torturam? 18
Fugiens fractis carceribus, habetur pro confesso. 19
Fuga facit indicium contra fugientem. 20
Confessio diffamati extraiudicialis, an præbeat indicium ad torturam? 21
Fama sola, an faciat indicium ad torturam? 22
Fama, res est fragilis & perniciosa. 23
Fama iuncta alijs adminiculis, facit indicium sufficiens ad torturam. 24
Fama vehemens, efficit sufficiens indicium ad torturam. 25

26 { Inconstantia, Mendacium, Variatio seu, Vacillatio, Pauor, Trepidatio, } An faciant indicium ad torturam?

Cautela pro Iudicibus examinaturis. 27
Indicium ne vnum, an plura requirantur ad torturam? 28
Pluralis locutio, singulari non acquiescit. 29
Communis doctorum opinio. 30
Pluralitas nonnunquam in singularitatem resoluitur. 31
Indicium vnum, an plura requirantur ad torturam, Iudicis arbitrio relinquitur. 32
Indicium varijs nominatur modis apud Iurisperitos. 33
Iudici vero & prudenti quid considerandum, quum res ad torturæ quæstionem exigitur. 34
Quæstio, siue tortura, non est omnibus ex æquo, nec vniformiter inferenda. 35

1 AN indicia, suspicionesq; † vllæ sufficiant quæstioni siue torturæ, nullis certis documentis, nullaq; doctrina id comprobari poterit, neque ea vllis innitũtur regulis: sed vniuersum † id negotium 2 geritur penes arbitrium, discretionem, ac conscientiam Iudicis, cuius solius est, iudicare suspiciones probabilia q; argumẽta, aut digna, aut indigna, esse tormentorũ discussione. Et in hoc conueniunt oẽs doctorum sententiæ. His quã optime seruit insignis & vtilissima l. 3. §. Eiusdẽ quoq; ff. de testib. Ita constituerunt Alberic. Paul. de Eleaza. Odof. Cy. & Bart. in l.

in l.fi.ff.de quęstionib.dicit tamẽ ibidẽ Bart. In nonnullis criminibus posse dari aliquam viam,ad cognoscendum indicia ad torturam sufficientia.Idem etiam notarunt(teste Bart. in d.l.fin.) doctores in l.vlt.C.eod.tit de quęstionib.Bald. in l.2.in 1.col.nu.8. C.Quor. appel.non recip.Io.And.in c. Cùm in contemplatione,De reg.iur.Alexand. in suis consilijs,consilio 77. incipiente,In caussa accusationis,in 1. volu. et ibi in consilio 65.incipiente,Habita super contentis, in fine. Et licèt hoc verum sit quòd,an indicia sint sufficiẽtia ad torturam,an non,relinquatur arbitrio, discretioni, & cõscientię Iudicis: tamen tale eius arbitrium, discretio, & conscientia debent esse iuri & æquitati cõsona, aliàs robore proculdubio carerent: ita notabiliter ait Ludoui. Roma.in consilijs suis,consilio 376. incipiente,Quæstio est, nunquid, &c. in penul.colum.& consilio 451. incipiente,Quædam mulier,&c.Huic congruit, Quòd qui habet potestatem disponendi secundum arbitrium,discretionem,ac conscientiam, nequaquam debet sequi proprium arbitrium,vel propriam discretionem atque conscientiam, sed publicã, quæ est regulata & reformata secundum leges & canones. Et illa dicitur† conscientia publica,scilicet conscia legis & canonis: textus est insignis, iuncta glos. in c. Iudicet,3.q. 7. & Bald.in l.1.C. Qui accus. non possunt . Ideóque dixit idem Bald.in l.fin. C.Depœna iud.qui mal. iudica.Iudicem† debere sequi regulas legum,& non conscientiam suam legibus aduersantem. †Iudicium verò hominis sequentis suum sensum, & suam phantasiam,siue suam† præsumptam æquitatem,fallit,& fallitur,c.Anobis,2.De sentent.excommuni.Vnde magnam facit iniuriam legi, qui vult videri lege prudentior,§. Oportet,in Authent. de iudicib.colla. 6. & per Bald.in l.2. C.de senten.ex bre. recitan.& in c.1.De offic.ordina. Et dicit Bald.in d .l.2. Quòd† in mente Iudicis debent esse duo sales,c.Cùm cõtingat, De rescript. scilicet sal sapientiæ,vt intellectus legum & canonum, aliàs insipida:et sal securæ conscientiæ,aliàs est diabolica, c. Cùm æterni, de re iudica.Tunc† enim veram & rectam habet conscientiam , si est bene instructa sale iurium,& secundum bonos & probos mores reformata : Ita egregiè meminit D. Henning . in suo solenni & perutili ordinis iudiciarij processu,in Procœmio : Idem quoque cõfirmat Bald.in l.2.in 4. notabili C . De fidei cõmiss.latissimè per D . Hippo.de Marsi.§.Diligenter, numeris 23. 24.25.& 26.Horum recordatus est D. Paulus Grillandus in suo insigni tractatu,De quæstionib.& tortura,vers. Tertio quæro,numero 17. qui allegat D.Azonem in sua summa, De quæstionib.Idem tenuit D.Guido de Suzaria in suo perutili & quotidiano tractatu,De tormentis,vers. Quæ & qualia indicia requirãtur. Idem scribit D. Albertus de Gandino in suo opere Maleficiorum,titulo. De quæstionib. & torment.versic.Sed quæro, quæ & qualia esse debeãt ista indicia,&c.His congruit illa vulgaris ac generalis iuris theorica:† Omne quod non determinatur à iure, relinquitur arbitrio Iudicis, per doctrinam, c. De caussis, ext .de officio delegati, l. 1. ff .de iure deliber.l.Hodie,& l.Sãctio.ff . de pœnis,l.1. §. Quibus nulla, ff. de effract. Indicia autem† sunt trifaria. Alia nanque à veritate sunt remota ,siue genealia . Alia verò veritati propinqua , hoc est iuxta doctores , semiplena & dubitata. Alia autem veritati quidem proxima, & propinquissima , quæq; vocari solent indicia plena, & indubitata,

12 tata, Porrò tam remota † quam propinqua indicia, Iudicis quidem animũ mouent, & indicium qualècũque præbent, Bald. & Scri. in l. Cùm probatio, ff. de probat. & Gandinus in suo tract. præsumptionum. Verùm ex
13 † seseindigna sunt, illegitima, & insufficientia, vt ex sola ipsorum consideratione, quis torturæ adiudicetur, nisi accesserint euidentiora signa &
14 indicia. Verùm † indicia plena, irrefragabilia, siue indubitata, duorũ fide dignorum, idemq; testantium testimonio comprobata, prorsus sufficiunt ad inquisitionem per torturam, l. Milites, §. Oportet, C. de quæstionib.
15 Imò † vnicus testis fide dignus, omni q; exceptione maior, déque veritate delicti constanter deponens, facit indicium sufficiens ad torturam: quod (teste D. Bar. in l. Obseruare, 1. colum. num. 5. C. Quor. appella. non recipi.) intelligendum est, dummodo aliæ circunstantię non obsistant, quod est no
16 tabile: verbi gratia: In † latrocinio remota indicia sunt: hic diffamatus est, alterius homicidij reus est. Propinqua autem sunt indicia: hic interempti perpetuus hostis fuit, illi sępe mortem interminatus est, & minis suis frequenter respondere solet. Sed hæc indicia sola, etiam probata, non sufficiunt ad torturam. Verum ist hæc plena, certa, irrefragabilia, & indubitata sunt indicia: hic visus est prodire ex nemore, vbi interfecti cadauer humi prostratum iacuit, districtum cruentumque in manu gladium etiam habuit, facies ipsius commotione deformata fuit, celeri cursu properabat ad cœmeterium, aut templum. Hæc nanque signa & indicia duobus dignis, non suspectis testibus, comprobata, sufficiunt ad torturã, Glos. in verb. Vel indicijs, reputata singularis, in l. fin. C. Famil. herciſc. ita tenẽt Bart. & doct. in l. fin. ff. de quæstionib. nec dissimile voluit Innoc. in c. Sicut de simonia. Idem quoque efficiet vnius testis, omnis suspicionis immunis, seu (vt vulgò) fide dignus, non suspectus, & omni exceptione maior, si affirmet, quòd viderit ipsum vulnus plagamque inferentem, is nanq; de veritate deponit, l. Si quis. & ibi Bart. Cy. & Scri. C. ad l. Iuli. Maiesta. D. Guido à Suzaria in suo perutili & quotidiano tract. De indic. & tortu. num. 90. D. Franciscus Brunus in suo practicabili tractatu, De indicijs & tortura, q. 2. primæ partis, num. 1. notat glos. in l. Si quis, C. Ad l. Iuliam Maiesta l. Maritus, ff. de quæstionib. Vbi etiam per Bart. & per eundẽ, & Bald. in l. fin. C. Famil. herciſc. & in l. Bonæ fidei, C. De iureiuran. & l. Admonendi, ff. eo. tit. Quod verum censet Bald. in d. l. 2. C. Quor. appel. non recip. & Io. Andreæ in c. Cum in contemplacione, De reg. iur. † Nẽpe, quòd vnus
17 testis ex vilis, indicium ad torturam faciat, quando aliæ circunstantię non obsistunt, quod aiunt esse notatu dignum. Simili ratione in materia furti, signa aut indicia remota sunt, si suspectum, molitorem asseras, si pauperem, si illum elegantiori vestium cultui semper studere confirmes. Viciniora autem indicia aut propinqua, sunt, si res furto ablata in ipsius deprehensa fuerit manibus. Omnium verò proximum, certissimum, indubitatissimum, atque adeo omnium sufficientissimum indicium fuerit, si cum ablata præda ipsum aufugiẽtem à loco furti conspexeris. In materia adulterij, indicium remotum est, si asseras ipsos mutuo amore inuicẽ prosequutos. Vicinius & propinquius, quum marito absente, visus est ædes frequentare. Proximum autem & indubitatum indicium esto, si cum alterius

alterius vxore eodem toro, eodemq; lecto deprehensus fuerit. Pari ratione indiciorum varietatem colligere
18 licebit in cæteris. Fuga † omnis certò comprobata, indicium culpæ est certissimum, quum fugitiuus post diffamationem & à fama sparsa, & non accusatus, malè tamen sibi metuens, fugit, ficuti habetur in l. si. ff. de quæstionibus, & per Scrib. in l. lege Cornelia, ff. ad Sylla. & per Ang. Aret. in tract. malificiorum, in verb. fama publica, in versi. An fuga sit sufficiens indicium, &c. D. Hippo. de Marsi. in sua practica caussarum criminalium · §. Diligenter, versic. Quæro modò vlteriùs, an fuga faciat indicium ad torturam, &c. & in sua repetitione, super rubro, de probat. vers. Nam tu scias,
19 quòd fuga &c. Aut † si constrictus carceris angustia, carcerem effringat, fugam arripiat, ad templa, cœmeteria, aliáque tuta (sui seruandi gratia) loca confugiat: talis enim
20 fuga efficit indicium sufficiens, † contra fugientem, ad torturam, adeò vt habeatur pro confesso, secundum glos. & Bart. in l. Eos: per illum textum, ff. de custo. reo. Ita tenet D. Hippo. de Marsil. in d. sua solenni Repet. de probat. vers. Item alius est etiam casus, &c. Attamen non infaustum fuerit, illum, aduersus quem inquisitione proceditur in criminibus enormibus & capitalibus, ad tempus viquam delitescere, seseque ex citationis aut apprehensionis metu, publico hominumq; abstinere conspectu, donec cognouerit quid sibi imponendum iudex statuerit. Ita singulariter censuit Bart. in l. 1. ff. de his qui sibi mort. consci. Verùm si in ius accersitus, tandem sese fuga quoquam subripiat, incidit in suspicionem, ob quam torturæ etiam tradi poterit, lo-
21 cis superiùs allegatis. Confessio † diffamati extraordinaria siue extraiudicialis, bene probata, vnicóque teste idoneo cõfirmata, efficax & validum satis præbet indiciu m ad quæstionem siue torturam, glos. est notabilis in l. Capite quinto, ff. ad l Iuliam de adulte. & ibi Bart. quam sequitur Angel. Aret. in tractat. maleficiorum, in verb. fama publica, in versic. Quæro, an vnum &c. Prolixissimè D. Hippo. de Marsil. in §. Diligenter, numer. 76. versic. Quæro vlteriùs, an confessio, &c. & idem Hippo, in §. Quoniam, numeris 18. & 19. in sua praxi caussarum criminalium, quibus in locis plurima huic materiæ conuenientia allegat, quæ videre, vbi vacauerit, non te pigu erit. Magnum item parit indicium, si quispiam visus sit cum factore profugere. Aut si criminis authorem, post factum, hospitio exceperit. Aut si authorem defenderit, quò minùs in sibi propensum inciderit dispendium: aut obstiterit, quò minùs fuerit captus. Aut si antè iactasset, se tale aliquando patraturum facinus. Vel certè, si suo consilio persuasisset interempto, vt illac iter faceret, vbi cognouisset ipsi paratas structasque, vt interimeretur, insidias. Præterea, ne præpropero pede videar pertransisse præsentem materiam, accuratiùs discutienda fuerint cætera his
22 affinia. Quæritur ergo, † fama sola an faciat indicium sufficiens ad torturam, necne? Huic interrogationi faciunt satis docti ac præcipui nostræ lectionis & memoriæ practici in materijs criminalibus: Nempe, Angel. Areti. in tractat. maleficiorum, in verb. fama publica, in versic. An fama, &c, D. Franciscus Brunus in suo

quo

quotidiano tractat. de indicijs, & tortura, quæstione 3. primæ partis. numero 32. D. Hippoly. de Marsil. in §. Diligenter, num. 18. in sua praxi caus. crimin. adducentes multos ac varios passus præsenti qnæstioni congruentes: quos loco & tempore opportunis, videbitis. Intrepidè autem † sustinent partem negati-
23 uam, scilicet, famam solam nequaquam efficere indiciũ ad torturam. ratiunculam assignat. D Hippo. loco statim allegato, quia fama est † res
24 fragilis & pernicioſa transmissa ab his, qui desiderant de hoc famam esse. Ita ait Bart. in tract. de torturia quem refert & sequitur D. Paris de Puteo, in tractat. syndica. in cx^a char. in. 3. column. Nisi ea fuerit coniuncta cum alijs adminiculis siue indicijs. In hoc item quiescit & consentit Bart. in d. l. fin. ff. de quæstionib. & in l De minore, §. Tormenta, eod. titu. & Salice. in l. Ea quidem, C. De accusat. Cyn. in l. fin. C. De quæstionibus: Prætereà † nihil
25 agit sola fama, nisi ea esset multùm fortis & vehemens: tũ enim ad torturam sufficeret. Ita sentit constanter Baldus in c. 1. §. Iniuria, versic. Sed nunquid ex tali cõfessione, De pace iura. firma, & Bart. in quodam suo consilio cxcij. incipiente, Domi. Paci de Burgo sancti sepulchri. Deindesubit & alia quæstio, † An inconstan-
26 tia, mendacium, variatio, seu vacillatio, pauor, & trepidatio, indicium faciant ad torturam, alijs indicijs extrinsecis deficientibus, necne? Huic quæstioni procul dubio faciens satis, affirmatiuam partem amplexandam clare censuit Bartolus in d. l. De minore, §. Tormenta, versic. Plurimùm quoque, ff. de quæstionib vbi ait text. Iudicem debere animaduertere, qua constantia, & qua trepidatione examinandus loquatur: ista namque Iudici multùm conferunt indicij, adeò vt si trepidè, inconstanter, & vacillanter loquatur, abundè satis indicij colligat Iudex ad torturã. Quocirca operæ
27 precium est, † Iudicem esse cautum & sedulum, vt faciat ipsius responsa ita varia & diuersa excipi scripto ne post Iudici obijciatur, quod Reum ad quæstionem tradiderit sine iustis indicijs, secundum eum allegat Innoc, in c. Quoniam contra falsam, De probat. vbi ait: Ille qui examinat testem, curare debet, vt idipsum in actis scribatur, scilicet quòd in respondendo se tam trepidum, hæsitabundum, & vacillantem gesserit, & similia. Idem quoque placuit Bald. in l. Presbyteri, C. De Epi copis & cleric. qui subit hoc insuper relinquendum Iudicis arbitrio, cuius est, ex indicijs alia colligere indicia fortiora: non autem ex solo pallore faciei, vel trepidatione. De his latè etiam D. Franciscus. Brunus in suo quotidiano tractatu De indicijs & tortura, quæstione 3. primæ partis, numero. 30. Et amplè D. Hippolytus de Marsilijs in §. Diligenter versic. Quæro vlteriùs, an mendacium, numer. 74. & 98. & §. Quoniam, versic. Sed Variatio, numer. 4. in sua insigni praxi causarum criminalium, plurima suo more allegans, quem consulite. Nam isthæc commonefeciſſe hic sufficiat. Nec obliuiscendum censui, antequam extremam manum huic indiciorum materiæ imponam,
28 Vtrùm † vnum duntaxat indicium sufficiat ad torturam inferendam, an verò requirantur plura? Præsentis quæstionis memnerunt Bartol. in l. fin. numre. 6. ff. de quæstionib. Et Guido à Suzaria in suo tractat:

singula-

singularissimo, indiciorum & torturæ, num .90. Necnon D. Hippo. de Marsil. in §. Diligenter, versic. Quæro modò vlteriùs, num. 177. in sua praxi caussarum criminalium, atque eorum sequaces, in vtramque partem disputantes. Principiò, pluribus indicijs opus esse ad torturam: quãdoquidem omnes leges, omniaq; Iura de indicijs tractantia & loquentia, quæ requirantur ad quæstionem hahendam, pluraliter loquuntur: veluti indicia debere præcedere, non indiciũ, l. 1. respons. 2. ff. de quæstionib. ibi, & alijs argumentis, & l. vnius, §. 1. & l. fin. ff. eo. titu. l. Cùm cognitionaliter &. l. Milites, C. eo. tit. de quęstionib. l. Sicut, C.
29 de fals. Et pluralis † loquutio, singulari non acquiescit, l. Libertas quam, §. vlt. ff. de manu. testa. Sed his nequa-
30 quam obstantibus, † haud dubie vnicum indicium ad torturam sufficere, Doct. ad vnum omnes asserunt, in locis paulò priùs citatis: facit glos. in d. l. Maritus, ff. de quæstionib. quæ loquitur in singulari, dũ dicit: Sed præcedente suspicione, &c. & tacit etiã glos. in d. l. Si quis, C. Ad l. Iuliam Maiesta. dum
31 dicit: indicium domini, &c. nec † obstant iura in contrarium allegata, in quibus de pluribus indicijs habetur mentio: quia illa pluralitas, si commu nem vsum spectes loquendi, in singularitatem resoluitur, l. Non est sine liberis, ff. de verb. signific. l. Ait prætor, §. 1. ff. de nego. gest. l. 2. §. Exactis, ff. de origine iur. l. Demonstratio falsa, §. fin. & l. Qui cõcubinam, §. Si Stichus ff. de condit, & demonstra. Quicquid diximus testibus Bart, & Hippo. in lo
32 cis paulò antè memoratis, scilicet: † An sufficiat vnum indiciũ, an plura requirantur, vt quis torqueri possit: relinquitur profectò id omne arbitrio Iudicis, argumẽto l. 3. §. Eiusdem quoq;, ff. de testib. quod sustinere longè tuti⁹
33 securiusq; fuerit. † Animaduertẽdum, Iurisperitos varijs subinde nominibus nominare indicium. Quandoque nominant argumẽtum, l. 1. in princip. ff. de quæstio. & l. Militem, §. Oportet, C. eo. tit. Interdum appellant simpliciter indicia, vt communiter nuncupamus, l. 1. §. Antoninus, & §. Diu⁹ Adrianus, & l. Diuus, §. Ex quibus, ff. de quęstio. Nonnũquã vocãt suspiciones, vt l. fin. ff. de quæstio. & l. Absentẽ, in princ. ff. de pœnis, Postremò nominãt probationes, vt l. 1. C. de quæstio. & l. 1. §. Di-
34 uus Seuer⁹, ff. eo. tit. Bonus † itaque & discret⁹ Iudex cuncta circũspiciet, & iuxta criminis qualitatẽ, facti cõtingentiam, conditionẽ personæ, & abũdantiam indiciorum considerabit, an ad torturam ipsam deueniendum sit: & casu quo ad illam deueniri contingat, iterum maturè cõsiderare debet, qua grauitate, leuitate, vel moderamine fuerit inferenda, iuxta notata D. Azo. in summa, de quæstio. scilicet, quantum moderatæ rationis temperamenta deside
35 rant. Aliter † enim sunt torquendi iuuenes robusti: & alio modo debiles, delicati, vel senes: alio modo rusticus, vel miles: & alio modo ciuis: alio modo nobilis: & alio modo ignobilis, & plebeius, l. De minore, §. Tormẽta. ff. de quęstio. & l. 1. §. fi. eo. tit. Bart. in d. l. fin. eo. tit. Bald. in d. l. 2 C. Quorũ appella. non recip. & idem Bald. in l. Milites, & l. fin. C. de quæstio. Abbas in c. Cùm in contemplatione, de reg. iuris, in antiquis. Et hæc omnia tanquam pulchra, singularia, vtilia, & quotidiana, memoriæ commendanda sunt, quòd indiciorum & quæstionis materia admodum sit frequens, & in iudicijs practicabilis, potissimum in caussis criminalibus: & quæ (vti dictum est) in Iudicis arbitrio plurimùm consistat. Deinde quòd Iudices, maximè iuniores, & parum experti sępe soleant in istis aut necessaria

quæpiam

quæpiam prætermittere: aut certè vlterius, quam iuris sit, procedere. Quare hanc materiam prolixius & clarius, ad communem praxim, & vtilitatem publicam deduximus.

CAPVT XXXVII.

De quæstione, siue tortura.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 37

Torquendi ratio consistit in arbitrio Iudicis. 1
Tortura, pij commouentur Iudices, 2
In tortura, quæ nam Iudici sint expendenda. 3

Tortura affectorum clamores, non magnificiendi. 4
Tortura infligenda citra corporis grauem læsionem. 5
In tortura spectandus Patientis respondendi modus & ordo. 6
Ante quæstionis actum, interrogationes habendæ in promptu. 7
Specificatio ab ipso patiente nascatur. 8
Torquendi, nec minis, nec persuasionibus ad confessionem adigendi sunt. 9
Interrogationes tantum faciendæ de delatis. 10
Torquendus nemo sine indicijs præuijs. 11
Interrogationes non formandæ de aliorum delictis, nisi, &c. 12
Quo casu patiens ad confessionem sit inducendus. 13
Quis ordo seruandus, cùm multi sunt torquendi, per exempla. 14
Patre & filio } *Extorquendis, quis ordo habendus.* 15
Vxore & marito } 16
Tormentorum genera ex iure per sc'os funes. 17
Tormentorum genera pleraque inusitata, varia. 18
Torturæ ex ordinatione, & mandato Iudicis inferuntur. 19
Tormenta nostra ætate passim ferè recepta, minusque pernicioſa. 20
Maleficæ cuiusdam exemplum Brugis pro sancta habitæ. 21
Maleficis crimes in tortura abradendi. 22
In tortura omnia prudenter admonenda, ne quod hinc oriatur periculum. 23
Tortura etiam virgis felicissimè exercebitur. 24
Clericus an torqueri possit à Iudice seculari comprehensus. 25
Clericus criminis alicuius reus, quod mortem mereatur citra degradationē an morte puniri possit? 26

1 QVæstionandi, † torquendíque ratio tota consistit in Iudicis arbitrio, prudentia, & pietate, vt eam scilicet, pro suo arbitratu & iudicio, adhibeat, aut durius, intensius, aut remissius, l. Quæstionis, & l. De minore, ff. de quæstionib. l. Item apud Labeonem, ff. de iniurijs & famosis libel. & eleganti ac philosophica, l. Respiciendum, ff. de pœnis. 2 Verùm pij † clementíque Iudicis fuerit hic erga patientem semper commiseratione moueri, & 3 prudenter expendere † canitiem, senectutem, confectam ætatem, aut iuuentutem, virile robur, valetudinem, tum imbecillem, tum validam: denique inspicere quid ipsius perferre valeant vires, vt hac in re verum, prudentémque Iudicem agat, non tyrannum referat: ita vt lenius, & gradatim, & leniter pœnam irroget: mox fortius torqueat. deinde iterum plectat pressius, atque iterum durius mox cruciatum intendat, pœnamq; omnem inflictet pro qualitate & quantitate criminis & delicti, próque indicijs, argumentis, præsumptionibus & suspicionibus, quas de patrato crimine nouit: denique pro qualitate, id est, constantia aut vacillatione sui responsi, d l. De minore, §. Tormenta, Parui faciens quam 4 supplicier † queratur, lamentetur, aut quam altùm sublata voce inclamet. Attamen isthæc omnia cum tali prudentia, & † animi moderatione temperet, & peragat: ne patien-

5 tis

tis corpori vllam grauem læsionem,
6 aut mutilationem infligat. † Iudicis
item (vt dixi) fuerit, diligenter animum intendere ad patientis fermonem & responsum : nempe, quem modum, ordinem, & mores in respondendo, & inter supplicia habeat: vt obseruet, num variet, aut vacillet, num. dictis constet: eáque omnia per Graphiarium aut Scribam calamis excipienda curet, d.l. De minore, §. Tormenta. Porrò conue-
7 niret, † interrogationes & quæstiones suas priùs habere promptas & expeditas, easque generales : nempe, vbi sabbato vesperè egerit : quibuscum eo tempore versatus fuerit, quid ibidem egerit aut patrarit, qui
8 plures cum eo ibi adfuerint. Ita † vt specificatio perpetuò ab ipso patiente nascatur : vt quam optimè docet Iacobus de Bellouisu in sua practica iudiciaria in crimina ibus, tit. de quæstionibus, numer. 50. l. 1. §. In caussa tributorum, versic. Qui quæstionem, ff. de, quæstionib.
9 Non † est boni Iudicis, neque in ipsius potestate, siue authoritate, maleficum aut Reum in tormentis eò conari inducere & persuadere, vt quippiam sibi aduersum confiteatur : neque item minis ipsum huc sollicitare, aut terrere, aut interminari maiora supplicia, si fateri nolit: sed æquo libramine, animó-
10 que sedato pergat exercere cruciatum, donec ipsius prudentiæ & iustitiæ ex animo verè christiano ad summum videbitur pœnam in ensam fuisse, adeò vt grauiora perpe-
11 ti nequierit. † Neque iure Reum interrogare potest de alijs delictis, quã quorum accusatus, & grauatus fuerat, cuius hæc se offert † ratio, quòd citra vlla indicia nullus sit tortura examinandus, l. Vnus, ff. de quæstionib. & l. Cùm cognitionaliter. C. eo. tit. de quæstionib. Neque † etiam ipsum interrogare potest de aliorum delictis, neque de ipsorum vita & moribus, & conuersatione, l. Repeti. ff. de quæstio. l. fin. C. de Accus. & inscript. l. Sicuti C. eo. tit. de quæstio. & c. 1. ext de confes. ibi est casus expressus, iuncta ibidem insigni glos. in verb. Confessi: nisi fuerint ij insignes publicique latrones & insidiatores, l. Prouinciarum, & ibi Paulus Castrens. C. De ferijs. Adulterinæ monetæ authores, l. 1. C. de falsa mone. hisque similes : in quibus casibus, tales interrogandi sunt in genere, nulla adhibita specificatione, l. Qui vltimo, in fine, ff. de pœnis, vti antè dictum est. Eáque interrogatio fiat in tortura de alijs conscijs, & super conscientia aliena, d. l. final. ad finem, C. de accusat. & inscript. Quod tamen sanè intelligendum est, nempè, si contra alios præcedant indicia : alias verò minimè : quia sicuti sæpiusculè allegatum est, Nemo sine indicijs præcedentibus torquendus est, d. l. Vnius, & d. l. Cùm cognitionaliter, cũ sine numero similibus. Verùm (quod prorsus improbandum est) conspicimus complures Iudices huius inferioris Germaniæ, ex consuetudine quandam, his legibus & formis contraire, & secùs quo
13 tidie facere † Verùm enimuerò in crimine læsæ Maestatis, atque alijs enormibus criminibus, vnde periculum summum, & pernicies maxima oriri posset, deberet Iudex Reum ipsum, ante aliquam pœnam, inducere & persuadere huc totis viribus omnique animi dexteritate, vt si crimen vltro lubensque fateri voluerit citra vllũ cruciatũ, & illius veritatẽ apertè reuelare, quòd ipsi crimen condonabitur, eiusque remissio & absolutio

14 impetrabitur. Sin† id profiteri recusarit, quòd tormentis varijs ad veritatis confessionem extorquendam procedetur. Quoties autē plures malefici, eiusdem criminis Rei, quæstionibus sunt examinandi, hunc ordinem obseruet Iudex, vt semper in illum prius torturam exerceat, à quo putat, se omnium optimè veritatem exquisiturum, testibus Bart. in l.1.in prin. ff de quæstionib. Angel. Aret.in suo tract. maleficiorum,in gloss. in verb.fama publica præcedēte, versic. Nunc videamus de tortura. Gandino in tract.suo ma malef ciorum,sub rubr. De quæstionib.& tortura, *in 2.colum. in versic.* Nunc videndum: & Hippol.de Marsil.in §.Expedita, versic. Quæri etiam potest de notabili dubio, num. 49. in sua practica causarum criminalium. Aut qui sibi maximè suspectus est criminis, l.1. in exordio, ff. de quæstionib. Aut certè quæstionem intentabit primùm ab omnium debilissimo, d.l.1 coniuncta l.Vnius, ff. de
15 quæstionib.† Veluti si & pater & filius sint extorquendi, priùs cruciatum admouebit filio, præsente aut absente sed sciente patre, quod naturale sit patrem magis metuere pœnam filij, quàm proprij sui corporis: Ideóque grauiùs filij, quàm sui ipsius, pœna affectus, facilius ad veritatis confessionem compungitur, vt in l.Isti quidem, ff. de eo quod met.cauf. iuncta memorabili gloss. ibidem in verb. magis, & in §. final. Institu. de noxalib.
16 actionib. Si verò † vxor & maritus torquendi fuerint, priùs lud x vxori tormentum infligat, ceu debilissimæ & cruciatui ferendo maximè impari. Maritus enim, quòd sit pectoris & naturæ robustioris, tardiùs ad confessionem pertrahitur. Vxor verò ceu vasculum fragile, & flexibile, & molle citiùs ad veritatis confessionem, tum persuasionibus, tum tormentis inducitur, & inflectitur, l. Filia in orbitate, C. de inoffic. testa. & c. Forus, in fin. ext. de verb. significa. l. Deferre, in princip. ff. de iure fisci, ita ait Dynus in suo tract. de quæstionib. versic. Quo ordine sit habenda tortura, &c. Ita etiam firmat ad literam, D. Paris de Puteo in suo tractat. syndica. in 102. char. in 1. colum. & Guido de Suzaria in suo tractat. maleficiorum, in 5. colum. in versic. Quo ordine. Et idem in effectu videtur firmare D. Franciscus Brunus in suo etiam tractat. maleficiorum, De indicijs & tortura, in 12 char. in 3. colum. atque hæc omnia pro suo arbitratu & 17 prudentia. Tormentorum † autem genera agi conuenit fumibus: neque v-18 spiam iuris reperitur, alia ad torturam esse adhibenda, l. Nullus, C. ad l. Iuliam Maiesta. Verū ex inolita consuetudine, varijs instrumentis, diuersáque materia hanc torturam exerceri cognouimus per latrunculatores, & maleficiorū Iudices, nunc chordis & restib⁹, nūc aqua, nūc aceto, aliàs oleo ipsius gutturi infuso: pice deniq; ardenti, aut alio simili cruciatu, corpori ipsi⁹ adhibito. Quin & inedia durissimáque siti, aut intollerabili frigore, aut cibo salsissimo citra vllam potus remedij exhibito. Alij immissis inter digitos bacilis ligneis, atque item arctissimè funiculis digitos constringentes, aut taxillo, aut alea inter cutem & carnem torquendi perducta. Item crabronibus, muribus, similibusq; infestis animalculis, quæ malefici ventri, & vmbilico viua adhiberi sueuerunt, ipsis super impositio vitreo poculo, ne euadendi pateat exitus: sed vt cruciatum acriùs vrgeant in patientis corpus. Rursum torturam exercere solent capra

capra quapiam: hoc modo: torquendum primò ſcamno illigant: mox illius pedes diligenter aqua ſalſa proluunt: deinde capram ipſam ſalis auidiſsimam, ipſius plantis admouent lambituram. qui ſanè cruciatus fertur atrociſsimus, maximéque intolerabilis, citra vllum corporis periculum. Sunt qui Patientibus ſcamno innixis, per nares aquam cum calce viua immittunt, & os ipſius concludunt, verum hoc periculoſum eſt. Quidam Patientem nudum tabulæ duræ implanæque injciunt, cùius pedibus ac manibus grauia ſaxa appẽdunt, quæ corporis partes extremas, magno cum cruciatu deprimunt. Sunt quidam impuriores qui Reorum teſticulos fune conſtringãt. eoſdemque teſticulos virgis acriter cedunt. Verum hoc Turcicum eſt, aut Scyticum. Noui qui maleficos excarnificaturi, verius quam torturi, eos in aëre ſuſpẽderint brachijs in diuerſum protenſis, ipſorumque axillis ardentes ſuppoſuerint candelas donec cutem vtcunque inurerent, aut pedum plantis viuas prunas, aut carbones ſubiecerint. Quidam patientem calceant nouis calceis bene pinguibus atque ita adhibent obiectis plantis ad ignem. Aut ardentiſsimo foco inſtituunt, donec arctiſsime pedes conſtringantur, & duram pœnam percipiant. Alij verò, malefici ſcamno illigati pedes multo lardo perungunt, eoſque feruenti igni admouent, donec hac pœna victus ad confeſsionem (ſi fieri poteſt) pertrahatur. Alij verò alijs, hiſque ſimilibus inueſtigandi modis vtuntur: D. Franciſcus Brun. in ſuo excellenti tract. de indic. & tortura, quæſtione 2. ſecundæ partis, num. 6. Necnon D. Paulus Grillãdus in ſuo tract. de quæſtionib. & tortura, verſic. Secundò quæro, & verſic. Quartò nunc videndum, & Iacobus de Bellouiſu in ſua practica iudiciaria in criminalibus, tit. de quæſtionib. numer. 48. Verum quòd iſthæc pleràque tormentorum genera ſint ſua exquiſitione tyrannica potiùs, quàm humana, Idcirco vel tandem ſua ſponte deſierunt, & paſsim exoleuerunt, vti & Bald. ipſe quoque meminit in parte in l. 1. C. de emendat. ſeruo. & Doctores maximè practici in ſuis tract. Gandinus in opere ſuo maleficiorum, in tit. de quæſtionib. & tormentis. Angel. Aret. in ſuo opuſculo maleficiorum, in gloſſ. Fama publica præcedente. in verſic. Tortura. At ille inſignis Doctor modernus Bonoñ. D. Hippol. de Marſil. clariùs cæteris hæc aperuit in egregijs commentarijs ſuis, quæ edidit ſuper notabili tit. ff. de quæſtionib. in l. 1. in exordio, Vbi ponit quatuordecim ſpecies tormentorum, omnes diuerſas: quas vide. † Sed ea omnia ex ordinatione, & mandato Iudicis inferuntur, pro quantitate criminis, & qualitate perſonæ, vt inquit D. Hippol. de Marſil. in ſua practica cauſſarum criminalium. in §. Nunc videndum, num. 2. & num. 20. Maximus item omnium cruciatus, quem citra vllam corporis læſionem, detrimentum, aut mutilationem adhibueris, eſt, ſi patientem Reum inter anguſtas laminas ad ciſtulæ formam confectas, ſtrictè concluſeris, & compreſſeris: deinde maximos pedum digitos fune ligatos extraxeris. Hoc namque modo fune rotula intento, corpus concluſum altiùs intumeſcit, & intolerabili pœna illicò afficitur: quæ pœna mox laxato fune, remittitur, & perit, abſque corporis læſione. Quod nonnunquam accepi a latrunculatoribus ſiue quæſtoribus paricidia-

cidiarijs (quos Vulgò maleficiorum Iudices appellare solemus) qui id nõ rarò, sese exercuisse, mihi certò & frequẽter narrarunt: atque ipse idẽ non raro experientia comperi. Cæterùm enumeratis aliquot tormentorum generibus in iure expressis: deinde refutatis ijs, quę aut tyrannis, aut vesania quorundam Iudicũ stultè excogitauit quæque sua sponte iam nuper apud nostrates de-
20 sierunt, non putaui † vllo silentio hic prætereundas esse eas torquendi species, & modos, quos passim hac nostra ætate vsurpari, & exerceri conspeximus: potissimùm in inclyta ciuitate Brugensi: cuius Senatui ad torturam & quæstionem sæpenumerò (licet indignus) assessor & consultor interfui. Principio igitur omnibus suis exuitur vestibus, nisi quòd verendis (quibus ipsa natura pudorem induit) amictus lineus reuerentiæ humanæ gratia, connectitur. Deinde manibus ambabus in tergum reductis, ibique strictè ligatis, supinus implicatur & imponitur in arctũ scamnum, & corpore torquendi penè strictius: in quo, fune sub axillis, & per thoracem pectoris ducto, constringitur & colligatur: ne aut tortoris incuria, aut pœna mox infligẽda victus, periculosè in pauimentum corruat. Post vtriq; pedum digiti maximi separatim connectuntur funiculis, qui obuoluti rotularum axibus, aut alijs similibus in strumentis, corpus torquendi (dum rotantur aut intenduntur) longissimè extendunt. Deinde funem (si opus fuerit) arctè impingunt ipsius femoribus aut tibijs: quem baculis subter scamno arctè constringunt carnifices. Aut simili forma, ossulis, aut bacillis funiculum contortum nexibus, aut globulis fronti patientis imprimũt, strictiùs, aut leuiùs, ad arbitriũ Iudicis. Aliàs verò oculis ipsius implicito pãno vuido, cõpressisq; naribus, tortor nõnihil altiùs angusti oris gutto frigidam fundit aquam in pectus ipsius, in tibias, pedes, aliáque maximè affecta membra, Prætereà ori ipsius immittitur frænum, siue capistrum, ad hoc commode aptatum, ac mox ori tortor infundit aquam frigidam, donec venter intumuerit in eam crassitudinem, quæ Iudici, ipsiusq; consiliarijs videbitur corporis viribus citra graue periculum, sufficere. Quibusdam verò ad torturam applicandis, non temere, priusquam dicta tormenta aut partim, aut collectim omnia intentarentur, omnes capillos, crinesq; oẽs nouacula abrasos cõspexi, factoscilicet per hoc periculo nũ qua adminicula haberent pro impassibilitate, qua nulla tormẽtorũ genera persentiscẽt: id enim magicis artibus sortilegijs, incãtationibus, aut execranda dirarũ deuotione, plerunq; efficere solent, vti sępe ipse vidi quũ
21 Ciuitati † Brugẽsi fuerã à consilijs, potissimũ in muliercula admodũ anu, quæ tum habitu, tum victu, tum incessu, tum moribus, & fucata sanctimoniæ specie ab omnibus venerabatur, habebatur in precio, & plurimi fiebat, veluti vera Christi apostola, quòd multarũ matronarũ filios ac filias, quasi miraculosè curaret, gibbos liberaret, crura, tibiasq; cõfractas ilicò restitueret, idq; non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito. Verùm (vt olim Apostoli) pietatis aliquo exercitamento iniuncto: nempe, vt vno, duobus, aut tribus diebus ieiunarent in pane & aqua, vel vt ter legerent orationem dominicam, aut inuiserent Mariam Ardenburgensem, aut S. Arnoldum

noldum Audenburgenſem, aut S. Iodocum. aut S. Hubertum in Ardenna. Vel vt ſacrum vnum aut alterum religioſè audirent aut aliquot preculas perſoluerent ægri, his rebus iniunctis ritè expletis, ilicò aut certè intra pauculos dies, ab incommodis, & morbis liberabantur & firmę valetudini reſtituebantur, ob eam, quam in ipſam mulierculam ſpem conceperant. Quum iſtius mulierculæ ea facta in vulgus latius ſpargerentur, à Senatoribus (quibus mens, vt æquum erat, fuit altior & ſanior) intempeſta nocte iuſſa fuit ex lecto comprehendi, & carceri mancipari. Poſtridie quum ab ijſdem Senatoribus in carcere leni, preuióque examine perquireretur, quomodo, quibus medijs, quo fœdere, quáque fiducia freta ſuas Curas perageret. Ea intrepidè ſemper reſpondit ſe piè cuncta exercuiſſe, & bonis, pijſq; rationibus, atq; ideo ſeſe non debuiſſe tam ignominioſè comprehendi. His non obſtantibus ex certis manifeſtiſq; indicijs, per Senatum adiudicabitur torturæ, ad quam cum veniſſet, & verbis perſuaſorijs examinaretur conſtanti vultu, & animo ſemper perduraſſet in ea ſententia, qua aſſeuerabat ſe nihil eorum quæ fecerat, dæmonis alicuius ope peregiſſe: ſed omnia pio, & licito medio. Aderat hoc tempore ipſe quoq; Burgimagiſter (vt dicunt) miſerè tunc (nam podagricus fuit) afflictus, & cruciatus podagra, cuius gratia ſubinde inter examinandum triſtia edidit ſuſpiria, & ſingultus miſerabiles. Ad quem hæc anicula conuerſa ſic orſa eſt: Vis, inquit, mi. D. Burgimagiſter feliciter ab hoc podagræ cruciatu liberari? Ego hoc malum, ſi voles, ilicò & feliciter in te curauero. Ad quam ille: Curares, inquit? Optarem ab hoc morbo, ait, penitus curari poſſe duobus milibus ducatorum, quos tibi iamiam etiam numerauero, ſi quod verbis promittis, re præſtare poteris. Ad quem tum graphiarij, & conſiliarij præſentes: Domine (inquiunt) Burgimagiſter, etiam atq; etiam diſpice quid dicas, quidq; facturus ſis: Nobis quæſumus potius auſculta, & iſtam maleficam in aliam cameram ſeduci iube, nóſque patienter audi. Ea ita ſeorſum abducta rurſum dicti ijdem Conſiliarij in hunc modum Burgimagiſtrum alloquebantur: Ah, inquiunt, Burgi magiſter, vide diligenter quid dicas, aut quid facias, quanto q; periculo temet exponas, ex vana perſuaſione, qua arbitraris hanc, tanquam Chriſti quandam Apoſtolam, te ab hac tua podagra poſſe licitis modis curare, tametſi cuncta ſecundum ſpeciem videantur pia & diuina. Si enim penitiùs ipſius poteſtatem perſcrutari libeat, age, eandem denuo ad nos reuoca: modum curandi perquiramus (non eſt abbreuiata manus Domini) ſi Apoſtolico remedio te curaturum promiſerit: ipſorúmque vijs & medijs inſtiterit, non refragabimur. Sin alijs illicitis medijs vtatur, quibus fidat, omnia ipſius & tibi & nobis omnibus meritò ſuſpecta eſſe debent. Hæc itaq; reducta ab vno conſiliariorum rogabatur: Si, inquit, Burgimagiſtrum noſtrum morbo quo laborat, leuare, curaréque prę ſumas, quo, inquit, remedio adhibito & quibus rationibus id præſtabis? Tum illa: nullo (inquit) alio remedio, quam hoc: Credat Burgimagiſter, & ſibi perſuadeat me eam habere poteſtatem, vt ipſum curem ilicò ſanus, & valens curabitur. Quibus auditis, & intellectis iuſſa eſt denuo abduci, & in locũ priorem

seorsum recipi. Tum vno ore pariq; consensu dicti Consiliarij. Vides inquiunt & audis mi. D. Burgimagister vosque omnes Senatores præsentes quid ista malefica responderit. Ex cuius verbis apertè constat ipsam omnia peruersè atq; adeo diabolicè peragere teque Burgimagistrum illicite curare præsumpsisse. In sua enim cura Apostolorum vestigijs minime insistit. Illi enim in fide & virtute Dei sanabant dicentes Claudo: In nomine Domini nostri Iesu Christi surge, & ambula. Cæco dicebant: In nomine Domini nostri Iesu Christi suspice: ille ad gressum restitutus est, hic visum recepit: non quidem ope humana, sed potentia diuina in nomine & fide Christi. Hæc autem malefica se curaturã iactitat, si quis duntaxat ipsi fidat, ipsamque hoc facturam credat. Quæ quidem fides (imo perfidia) prorsus contraria est cum fide Apostolorum. Hac itaque responsione percepta & rebus melius pensiculatis Burgimagister pœnitudine ductus ab ea curari noluit, quẽ dum vixit ad supremũ vsq; spiritum tã facilis credulitatis non mediocriter pœnituit. Malefica interim isthæc ob constantem negationem eorum quæ ipsi imponebantur torturæ tradebatur, acriter autem contorta nonnulla delicta confitebatur eaque leuiuscula. Insignia vero maleficia fortiter negauit, ab hac itaque tortura leuabatur, & vtcũque purgata rursum in carcerem recepta est. Postea nouis indicijs grauata iterum torturæ addicitur. In qua (vt prius) paucula quędam eaque minutiora tantum confitebatur. Ob cruciatum tamen clamare cœpit. Abripite me ex hoc torturæ scamno aut permerdabo vos quotquot adestis omnes, quæ diutius naturæ pondus continere non possum. Erant autem iuxta torturæ locum latrinę ad quas adeundas quibusdam Senatorũ eam relaxari placuit. Alij quibus mens erat sagacior nullo modo relaxandam esse statuerunt, ne fortasis hinc grauius quoddam incommodũ oriri posset, verum vicit hic affirmantium maior numerus, quorum indicio è scamno relaxatur, & ad latrinas deducitur. Vbi postquam æquò diutius hæsisset, nempe ad semihoram, & amplius, neque bis, terue vocata rediret, tandem redire cogitur, scamno imponitur, nouęque torturæ destinatur, ligatur & ex iussu Prætoris, Consulis & Senatorum torqueri occipit. Illa non lamentationes, aut clamores edidit, sed horum loco sub ridere cœpit, & quamuis ligata, digitorum tamen complosionibus Iudicibus ipsis insultabat dicens: Vos Prętor, consul, cæterique Domini, & tu quoque nepharie tortor, agite, facite, posthac quod vobis libitũ fuerit, nihil nunc in mei tortura profeceritis, nihil in me valebit vestra crudelitas. His auditis senior Senatorum pars existimabat illam dęmonis ope factam impassibilem. Ex eo namque tempore nihil fere fateri voluit, ex ijsque secunda informatione producta fuerant, sed scamno patienter innixa aut risit, aut dormiuit. Hinc factum vt secundò è scamno, & tortura relaxaretur & iterum in carcerem reciperetur. Postea alij quoque testes auditi sunt, & noua indicia habita, ob quæ iam tertiò torturę adiudicatur. Verum priusquã scamno imponere
22 tur. † totius corporis pilos & crines abradi curauimus, postea scamno imponitur, acerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit. Tandem quibusdam astantibus succurrit eam non esse tonsam in pudendis sub axillis & in culo, vbi per tonstrices illi quo-

que

que crinea abrasi fuerunt, & inter radendum reperta fuit pergamena culo cunnóque inserta, cui inscripta fuerunt aliquot peregrina vocabula dæmonum, crucibus aliquod inter se distincta, hæc pergamena Senatoribus exhibita occasionem præbuit, vt rursum scamno torquenda traderetur, vbi facta plane passibilis, omnia nudè fatebatur, quæcunque tribus prioribus informationibus fuerant proposita. Cum autē rogaretur, cur prius fateri noluit, ait. Nisi à me, inquit, oēs crines, atq; etiam hanc schedulam abstulissetis, nunquam à me perquirere quicquam potuissetis, vt quæ per illa, ob maligni spiritus operam facta erā impassibilis: quod haud dubie verissimum fuerat. Postquam verò res eò peruenisset, vt inter Senatores discuteretur qua pœna hæc malefica plectēda foret, Alijs placuit eam igne plectendam & occidendam esse. Alij (quibus animus ad sexum mulie brem & ad ætatē tam prouectā fuit mitior) censuerunt eam non igne, nec morte conficiendam, sed puniendam pœna morti proxima: nempe vt in theatro consuetis vestibus omni populo ostenderetur, deinde caput commodaritijs capillis vestiretur, quos carnifex iniecta flamma exureret. Hoc signo indicas, magistratum eam non punire iuxta rigorem iuris, & pro cōsuetudine patriæ (iuxta quam deberet comburi viua) sed in eam vsum fuisse summa clementia. Hoc facto censebant eam exilio damnandam esse ad annos prepetuos, subpœna ignis, etiamsi nihil similiū postea perpetrasset: Et si Banno suo obediens, extra Flandriam similia perpetrare præsumeret, ob ea, & tūc etiam ob præcedentia omnia tanquam suam secum sententiam conferens, viua combureretur. Hæc itaq; posterior & etiam mitior sententia pluralitate vocum præualuit. Malefica igitur hæc, ita punita bannóque suo obedire se velle declarans, á duobus Senatoribus & Pensionario extra terminos territorij Brugensis producta fuit. Vnde statim conuolauit in Zelandiam & aliquot hebdomadibus resedit Middelburgi, vbi statim ad intermissa maleficia redire non destitit. Prætor autem ibi Florentius Dammæus à nobis de hac muliercula edoctus, per exemplaria omnia nostræ informationis Torturæ, & sententiæ ad ipsum in fauorem iustitiæ transmissa, eam obseruare incœpit, quam, vbi ad consueta maleficia redijsse certò cognouit, eam compræhendit, & ob confessionem, & sententiam præuiam viuam incendi curauit, & huius Iustitiæ executionem Senatui Brugensi ilico rescripsit, mihique fideliter narrauit. Sed de his plus satis. Et sicut mihi adstipulatur D. Paulus Grillandus, qui de eadem re meminit in suo tract. de quæstionib. & tortura, versic Quartò, nunc videndum. Similiter & de remedijs, numeris 12. 13. 14. 15. 16. cæteri ipsius posteri: quos, vbi tibi visum fuerit, ibidem consulere suaserim. Est aliud tormentorum genus, haud infrequens Italis quo maleficum constituunt in scamno aut sede ligatum, & duobus famulis adhibitis qui maleficum cohibeant à somno, his duobus succedant alij atque alij famuli, qui nulla ratione permittent maleficum in vllum soporem ac quietem, incidere. Et quoties continget ipsum reum ad somnum nutare, quietemque, optare, astantes famuli alapis acribusque vellicationibus somnum dispellent, donec reus inquietudine victus optet somnum & confessionem promittat: Atque hoc tormentum minimè omnium corpus-

culum lædet, éſtque maximæ efficatiæ in eos qui ad quæuis tormẽtorum genera videntur inuincibiles, eáque omnia reſpuunt & ridẽt. Imo etiam ad vincendas ipſas maleficas, vt citius ad confeſsionem compel-
23 lantur. Hi igitur† enumerati torquendi modi nobis ferè ſunt in vſu: & ad eos exercendos vnum quodque prætorium apta, accommodáque habet
26 inſtrumenta, ex cõſuetudine inolita, paſsim comprobata, & in iure ſtabilita, l. Nullus C. Ad l. Iuliam Maieſta. Attamen ſumma hic adhibenda eſt cautela, vt cuncta tormenta prudenter & moderatè intentẽtur, alioqui haud pauca iſthinc ſolent exoriri pericula. Quotiesverò patientes, vniuerſa iſthæc tormenta fortiter deuicerint (vti aliquando ipſe vidi) & pœnam omnem citra confeſsionem deuorarint, fas eſt eoſdem Reos (ſi noua, dignáque alia euenerint indicia) ad iterationem torturæ reuocare, eoſ
24 q̃† vegetis aſperiſq̃ virgis (ad quod identidem ipſe ſuaſi) acriter cædere. Imò hanc flagellationem, quæ corpori nocet minùs, priùs ante alia ſubinde experiri cupiam, quam adeò noui, ac expertus ſum plerunque ad confeſsionem plus effeciſſe, quàm dicta iam (quàmlibet atrocia) tormentorum omnia genera. Priuſquam huic capiti finem imponeremus, non inutilem hic quæſtionem referre placuit. An clericus ſcilicet torquere poſsit & debeat à Iudice ſeculari comprehenſus quum ipſos clericos ſatis raro viuere conſpiciamus iuxta ipſorum profeſsionem, ſed vt ſcelerati nebulones multa indigna mala perpetrantes. Verum ad hanc quæſtionẽ opus eſt diſtinctione. Is enim Clericus aut infamis eſt, aut non infamis. Si infamis eſt, profectò torqueri poteſt, ſecundum Doctores in c. Grauis de depoſit. Hyppol. de Marſil. in l. Edictum num. 9. ff. de quæſtionib. & admodũ latè. in ſingularib. ſuis ſingulari. 55. incipien. Animaduertas ad vnũ nonnullas ad hoc allegationes citantem. Aut eſt non infamis, & tunc nullo modo torqueri poterit. Cæterum vt clauus clauum pellit, ita quæſtio quæſtionem protrudit. Quæri enim po-
26 teſt. An† talis clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, tortus, & criminis alicuius reus, quod mortem mereatur, citra degradationem morte puniri poſsit? Sed & hic opus eſt diſtinctione. Si enim ipſius crimen enorme fuerit & atrociſsimum, veluti aſſaſinatus, aut parricidium, aut ſimile, poterit haud dubiè per Iudicem Seculare, aut per latrunculatorem morte puniri, abſque vlla præcedenti degradatione, teſte Iohan. Andreæ in. c. Cum non ab homine extra de Iudic. Et Gemini in c. finali de homicid. lib. 6. Et Pet. de Anchor. in ſuis conſil. conſil. 157. incipien. Ex narratis in facto, 5. colum. Et Hyppoli. de Marſil. in ſua practica cauſſa. criminalium. §. diligenter num. 160. Ipſo enim iure cenſetur degradatus, videturque cuique data poteſtas ipſum capiendi ac puniendi ſecundum lapſum in. c. pro humani. De homicid. lib. 6. c. Primo de ſciſma. eodem lib. 6. Et iure videtur ſpoliari omni clericali priuilegio, vt ibi per docto. Poteſtque Iudex contra aſſaſinum procedere ex mero ſuo officio iuriſq̃ ordine prætermiſſo ob eriminis ſeu aſſaſinamẽti (vt vocant) atrocitatem & immanitatem. Barto. in l. Non ſolum. §. ſi mandato. ff. de Iniur. Et. D. Paris de Puteo. in ſuo ſolenni tractatu Syndicatus. 51. charta. 2. colum. ad finem. idem intelligendum in ſimilibus atrocioribus delictis. Si verò talis clerici delictũ, quod commiſit, non atrox fuit, & enorme,

ſecus

secus censẽdũ est, & iuris ordine pro cedendũ est, cũ degradatione prẽuia.

Hic ergo sit huius capituli terminus, ne offendat vnius nimia longitudo.

CAPVT XXXVIII.

De repetitione quæstionis, siue torturæ.



Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 38

Tortus semel non est ob idem delictum retorquendus. 1
Tortus ad torturam repetitur, nouis emergentibus indicijs. 2
Tortura quando repetitur sine nouo indicio. 3
Summa aut sufficientia torturæ, in Iudicis prudentia consistit. 4
Indicia noua quæ? 5
Inuectio authoris in sanguinarios Iudices. 6
Reum inconfessum, Elandria non adiudicat morti. 7

In magno

In magno Consilio } *parui ducunt Rei responsa in certa probatione.* 8
In Flandriæ consilio } 9
Probatio quænam sufficiens. 10
Probatio ex visu omnium est fortissima. 11
Reus in tortura confessum delictum negans, retorqueri potest. 12
Reprobatio quorundam tormentorum. 13
In tortura confessus crimen sociale, ad sociorum proditionem retorqueri potest. 14
In tortura alterius, qui sunt proditi, comprehendi possunt: non autem ob id torqueri, nisi, &c. 15
Ad torturam liberi procedendum tardiùs: nisi, &c. 16
A tormentis non est auspicanda inquisitio. 17
Torturæ vehementia Reum interimens aut mutilans, homicidij aut mutilationis suspicionem incidit. 18
Authoris præmonitio ante torturam latronum. 19

1 REus† qui semel delicti vnius gratia, acriter & ad iustitiæ æquitatem & plenitudinem, quæstionis torturam subijt, & perpessus est, in qua nihil tamen confessus est, non est ob idem delictum ad ite-3 rationem torturæ denuò, aut secun-
2 dò reuocandus: †nisi certè noua, aliáque succresserent condigna iteratione torturæ indicia, l. Repeti. & l. Vnius, §. Reus. & ibi Bart. & sequaces, ff. De quęstionib. Bald. in l. Milites, C eodem titu. Cynus in l. De tormentis, C. eod. allegans Odofredum. D. Guid. à Suzaria in suo perutili & quotidiano tract. de indicijs & tortura, num. 57. 59. D. Angel. Aretin. in suo tractat. maleficiorum, in gloss. Fama publica præcedente, versic. Tertiò quæro, An semel tortus possit iterũ torqueri? Gandinus sub Rubrica de quæstionib. versic. An quæstio repeti. Angel. in l. 1. §. Si quis, ff. de S. C. Sylla. Bald. in l. 1. C. De Confess. D. Iacobus de Bellouisu in sua practica iudiciaria sub titu. de quæstionib. nu. 90. 91. 92. D. Frãciscꝰ Brunus in suo tract. De indicijs & tortura, q. 5. secundæ partis, num. 59. latè haud dubie distinguens, D. Hippol. de Marsil. in sua practica caussarum criminalium in §. Quoniam, num. 2. Fol. 90. Quãdoquidem priora indicia abunde satis per tormenta passa, sunt dilata & purgata. Aut† certè nisi priora indicia de facti veritate, clariora fuerit & euidentiora, quàm vt vllo modo Iudex ambigere posset, nempe duorũ aut plurium fide dignorum, & ex certa notitia & vsu testantium testimonio fuerint sufficienter comprobata: adeò vt Iudex plenè ita instructus de rei veritate, sentiat potiùs Rei esse duram pertinaciam, quàm synceram innocentiam, quòd in pœna nihil antè confessus fuerit. Quo casu posset Iudex ob sola prima indicia, maleficũ Reum, ita malignè pertinacẽ ad trocleam siue scamnum carnificarium
4 recipere, Bart. in d l. Vnius §. 1. An† autem patiens quispiam, sufficienter & ad extremum vsque satis excruciatus fuerit, totum id consistit, & situm est in iudicio, & prudentia Iudicis, l. Quæstionib. & l. De minore, ff. de Quæstio. l. Item apud Labeonem, ff. de iniurijs, & l. Respiciendum, ff. de pœnis, sicuti capite proximo memini-

nimus. Noua † recentiáque indicia, hic velim intelligas, quæ à prioribus ſpecie differunt, aut ſubſtantia. Verbi gratia, ſint prima indicia, quòd mala fama fuerit & vitæ, morúmque peſsimorum, conſuetus quoſuis etiam non laceſsitus, cædere: quibuſlibet atrocia ilicò minari conſuetus, perpetuus interfecti hoſtis, & vbiuis locorum infeſtus, cui non rarò etiam interminatus ſit & ſimilia. Noua recentiáque erunt indicia, ſi accedat teſtis fide dignus, qui audacter adſtruat, & deponat, ſe vidiſſe ipſum Reum interempto inſligere plagam, ictum, & verbera. Aut ſi dicat, quòd audierit ipſum Reum id factum apertè fatentem. Delationes & iſtiuſmodi depoſitiones teſtium gignunt noua indicia, à prioribus ſpecie planè diſtantia, eóque digna & ſufficientia, ob quæ Reus inconfeſſus denuo ad iterandum cruciatum reuocetur, nouamque retorturam ſubeat. A qua ſententia nequaquam abhorrent, Angel Aretin. in ſuo tractatu maleficiorum, in verb. fama publica præcedente, in verſic. Quæro, quæ dicantur noua indicia: D. Ludou. Bologninus in additione ad tractatum D. Guidonis à Suzaria, de indicijs & tortura, numer. 61. D. Hippo. de Marſil. in ſua practica cauſſarum criminalium. §. Quoniam, numer. 9. arg. no. in l. Per hanc, C. de temporib. appel. Bart. non inconuiniter idem tenet in d. l. Vnius, ad exordium, ff. de quæſtionib. atque in ſuo tract. de quæſtionib. In † quibuſdam locis Flandriæ ac aliarum regionum (neſcio quo ſpiritu afflati) vt videantur boni Iudices, Officiarij aut Aſſeſſores, neque Deum neque leges præoculis habentes, teſtib. Cyn, in d. l. De tormentis, Guidone à Suzaria, Angel. Aret. locis iamiam allegatis, ex vſu & conſuetudine habent: Quoties Reus legitimè, & multorum fide dignorum teſtimonio fuerit conuictus: toties, & tam diu Reum ad quæſtionariam torturam reuocare, crucemque toties, adeóque intendere, donec pœna exaturatus † & victus, ſingula fateatur: huic fundamento innitentes, quòd nullum Reum inconfeſſum, morti adiudicare ipſis liceat, nec non & alteri fundamento, cuius meminit §. Illud videlicet, verſic. Oportet enim eos, in Auth. vt Iudices ſine quoquo ſuffra. fiant, ibi torquebunt fures, & non priùs quieſcant, donec reddant furta, &c. A qua tamen torturæ liberali & immodica repetitione ſuaſerim abſtinendum, atque cauendum: maximè quum doctorum omnium theorica ſententia, contrarium huic ſecundo fundamento defendat: prout ſuprà commemoraui. Ita etiam in terminis voluit Bald. acutiſsimi ingenij doctor, in l. 2. C. quorum appella. non recip. & in d. l. Milites, C. de quæſtionib. D. Abbas in c. Cùm in contemplatione, in 2. colum. in verſic. Septimò quæritur, ext. de reg. iur. Ita nec diſsimiliter adſtruit D. Guido à Suzaria in locis priùs memoratis. † Nihil attamen in magno Conſilio, nihil in Conſilio † Flandriæ pendunt confeſsionem Rei: ſi quando legitima, dignáque ſatis condemnatione habuerint de facto teſtimonia, probationem & notitiam. Sufficientem autem † probationem in negotijs criminalibus dicunt eſſe, euidentem & claram depoſitionem, hoc eſt, duos omni ſuſpicione vacuos teſtes, qui † certò teſtabuntur ſe conſpexiſſe, Reum crimen patrantem: quam nonnulli probationem pleniſsimam vocant. Probatio enim

enim quæ fit per visum, & per inspectionem oculorum, est dignior & potentior omnibus alijs probationibus, teste glos. in verb. Requirit, in c. Ad nostram 3. de iurciuran. cuius meminit D. Hippo. de Marsil. in sua insigni practica causarum criminalium, §. Secunda, num. 22. Quisquis
12 †in tormentis semel delictum est confessus, moxque à pœna id iterum negauerit, potest denuò ad torturæ cruciatum recipi, quò in priori confessione constantiam seruet, Bald. in l. In bonæ fidei, versic. Item quæro, C. de reb. credi, & Alex. in l. Vnius, §. Reus, ff. de quæstionib. In quo tamen iterato cruciatu si nihil confessus fuerit, & negando perstiterit: non est tertiò retorquendus: quandoquidem indicia prioris confessionis per supplicium, & pœnam secundæ torturæ satis expiata sunt, quemadmodum meminit D. Hippol. de Marsil. in d. §. Nunc videndum, num. 26. in sua praxi causarum criminalium.
13 Sunt Iudices † qui ad extorquendam veritatem, inedia, siti, & fame grauissima Reum pertinaciter nihil profiteri volentem, excruciant: vt vel hoc modo delictum citra aliam torturam, & absque nouis indicijs confiteatur. Verùm istud ex iure prohibitum est, sicut & alij consimiles torquêdi modi veteres & inusitati, quorum aliquot suprà quoque meminimus.
14 Quum † Reus confessus semel fuerit crimen, quod solus patrare nequierit, sed quod socios ad complementum requirat, eundem Reum semel tortura afflictum, ad torturæ iterationem reposcere licet: vt vel hoc pacto eosdem cooperarios prodat, si alioqui eosdem apertè prodere nolit. Huic congruit l. final. coniuncta gloss. in verb. Conscientia, C. de accusat. & inscrip. c. 1. addita optima glos. in verb. Confessi, ext.
15 de confes. Si autem † in pœna quempiam accusatione grauet, & prodat, abundè magnum præbet ex eo indicium & argumentum, vt ex illius confessione idem illic delatus comprehendi mandetur. Verùm non efficax satis est ipsius confessio ad alterius delati supplicij torturam aggrediendam: nisi alia certioráque consequerentur indicia: quia, vti sæpenume-
16 ro † prælegatum est, ad quæstionem siue torturam liberi hominis procedi non debet, nisi præcesserint indicia sufficientia & verisimilia. Nam
17 à † tormentis incipiendum non est, sed oportet indicia præcedere, & Reum suspectum esse, sæpe allegatis l. 1. in princi. l. De minore, §. Tormenta, l. Maritus, iuncta ibi glos. in verb. à quæstionib. & l. final. ff. de quæstionib. l. Cùm cognitionaliter, & l. Milites, C. eod. titul. de quæstionib. & hanc opinor esse humaniorem ac tutiorem sententiam: & si nonnulli contrarium asserere nequaquam erubuerint, quos hic recense-
18 re breuitati gratia omitto. Si † Reus ex multiplici torturæ reiteratione & assiduis cruciatibus tandem succumbens moreretur in pœna, aut certè vllam corporis mutilationem incideret: homicidij aut mutilationis suspicione illicò notandus esset Iudex, etiamsi digna apertáque satis ad torturam habuisset indicia, nisi semet expurgare posset, & re declarare, quòd in torquendi mandato, & actu, iustas vitatá que leges, & moderationem, contra animi iudicium, & iurium & prudentiæ æquitatem, non excessisset: sed quòd zelo iustitiæ omnia ad veritatis inquisitionem, fideliter & prudenter fuisset consectatus: nihil autem tentarit dolo, malitiæ, aut odij gratia,

Angel.

Angel. Aret. in ſuo tract. maleficiorū, in gloſſ. in verb. Fama publica præcedēt. verſic. Octauò quæro, quid ſi tortus moritur &c. D. Franciſcus Brunus admodum liberaliter & prolixè in ſuo vtili & practicabili tractat. de indicijs & tortura, quæſtione. 5. ſecundæ partis, incipiente, Quintò principaliter quæritur, num, 18. ad finem, 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. D. Guido à Suzaria in ſuo perutili & quotidiano tract. de indicijs & tortura, nū 85. 86. 87. 88. 89. Cæterùm † hoc loco lictorem, Iudicem, aut alium quempiam, ad quē torturæ infligendæ ſpectabit ratio, ignorare nolim, quò feliciùs & æquiùs quæſtionariam torturam ex perſonarum qualitate exerceat, varia eſſe latronū, furū, incendiariorū, ſicariorum, idq; genus ſimilium maleficorum genera. Horum enim nonnullos reperias veteranos, qui admodum diu longóque vſu, omne facinorum genus tractare & patrare nō veriti ſunt, Alios verò non ita diu reperias maleficijs ſemet inquinaſſe. Poſtremò eorum aliquos cognoſces srecentes, qui pauculis aliquot mēſibus vitam ſuam vario maleficiorū genere commaculārunt. Atque inter huiuſcemodi ſubinde reperies (expertus & ex propria ipſorum cōfeſsione loquor) qui ſeſe mutuis ſupplicijs in nemoribus excarnificant, & ad omne tormentorum genus forti animo perferendum docent, exercent, & obdurant: ne quando capti, ſeriò que torturam ſubeuntes, tormentis cederent, ſed vti cuncta exercito corpore, & animo guſtatis pœnis edocto, & obfirmato conſtanter citra vllā confeſsionem, vllāſive proditionem perferrent, ac deuorarent. Ante vllam igitur quæſtionem operæprecium eſſe putaui, Iudicem iſthæc cognoſcere: & quamdiu ſeſe in latrocinijs exercuerint, deinde an aliquando in nemoribus à ſuis ſocijs torturam obijſſent: quòd ex rerum iſtarum notitia, aut remiſſiùs, aut intentiùs ſeu durius cruciatum abhibere mandauerit.

19

CAPVT XXXIX.

De confeſsione Rei in tortura.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 39

Reus in tortura crimen agnoſcens, à tortura laxandus eſt. 1
Reo in tortura non interrogata imprudenter confeſſo, nulla danda eſt fides. 2
De confeſſione criminum non rogatorum pòſt facienda eſt inquiſitio. 3
Rei ſæpe ex duriſſimo cruciatu contra ſe falſa fatentur, 4
Rei ſæpe maluntiniuſtam mortem occumbere, quam pœnarum torturæ ſæuitiam perpeti. 5
Rei confeſſio de alterius delicto, tantum ad alterius apprehenſionem valet non ad torturam. 6
Reus in tortura crimen confeſſus, poſtridie eandem confeſſionem, liber, & palam vniuerſo Senatui iterat. 7

Si quan-

1 SI quando Reus in † torturæ sup
plicio delictum, ob quod excru
ciatur fatebitur, ilicò relaxãdus
est à pœna, nec vlteriori tormento
stringendus est. In qua † pœna tamẽ,
2 si quid sponte præter interrogata
& imprudenter contra se effutiuisset,
aliáve delicta confessus fuerit, de qui
bus nulla Iudex certa habuerat indi-
cia: non est istis confessionis verbis
vlla à Iudice danda fides, neque ma-
gni statim facienda est huiuscemodi
confessio. Ita placuit D. Bald. de Peri
glis Perusino in suo tract. de quæsti
onib. & torment. sub secundo cap. Io
quente de effectu quæstionis num.
9. nec non D. Hippo. de Marsil. in sua
insigni practica causarum criminali-
um. §. Secũda quæstio. Et Iacobo de
Bellouisu in sua solenni practica iudi
ciaria in materijs criminalibus, tit. de
quæstionib. num. 59. Et D. Iasoni in
suis consilijs, consilio. 188. incipiente,
Spectabilis dominus Marcus Anto-
nius, in 2, volumine. Item D. Panor-
mitano in c. Cùm in cõtemplatione,
de reg. iuris. Idẽ confirmat D. Felinus
in c. At si clerici, de iudic. in ver. Sextò
limita. num. 5. qui hanc materiam lo-
cupletissimè ibi dictis locis tracta-
runt. Attamen post † torturam resci-
3 scet, quidnam sit quod de hac re vl-
tro non interrogatus confessus fue-
rat: verum ne scilicet fuerit, an fal-
sum. Quandoquidem † sæpenumerò
4 compertum est Reos ex torturæ into
lerabili cruciatu, & ex desperatione
sæpe audacter confessos quæ ne co-
gitarint quidem vnquã: nedum ope
re complessent: vtique vel quodlibet
5 † mortis genus alacriores subituri,
quam tam inhumanum cruciatum
diutius perpessuri, l. 1. §. In causa tri-
butorum, versic. Quæstioni fidem,
ff. de quæstionib. Pari ratione censen
dum est, quum Reus in tormentis
6 quempiam prodit & accusat. † Nam
isthæc accusatio solum coniecturam
præbet, qua accusatus capi & compre
hendi poterit, non ad torturam exigi
7 aut condemnari. Quum † autem Iu-
dex confessionem Rei cognouerit,
eamq; in scriptum redegerit, iubet
eundem postridie sisti suo tribunali,
ibíque rursum coram vniuerso sena-
torum cœtu ab ipso, iam ab omnibus
vinculis libero, & extra omnem pœ-
nam, eandem confessionem exigit:
quam liberam confessionem ilicò
graphiariorum, scribarum, ac nota-
riorum calamis, scriptóque excipien-
dam curat, & ad processus definitio-
nẽ progredi mandat. Ita pulchrè ad-
struit Hippo. de Marsil. in sua practi.
causarum criminalium, §. Quoniã.
Et D. Lanfrancus ab Ariadno in suo
excellentissimo tractatu confessio-
num, versic. Et quæro primò, num. 8.
Idem affirmat D. Ludouicus Bolo-
gninus, in additione ad perutilem &
quotidianum tractatũ de indicijs &
tortura, D. Guidonis à Suzaria, num.
69. & hæc praxis seruat.

CAPVT XL.

De negatione Patientis in tortura.

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 40

1 *Reus in tortura nihil confessus, liberatus à tortura, reducitur ad carcerem.*

Reus

2 *Reus in tortura nihil confessus, non emergentibus nouis indicijs.* { *Practicè absoluitur per Quousque. Iuridicè absoluitur plenariè*

3 *Tortura quæuis criminum purgat indicta.*

1 SI Reus in tormento † singula cõstanter negauerit, nullâque interrogatorum fateri voluerit, reducitur tum iterum ad carcerem. Vbi decem, viginti, aut triginta diebus, ampliusq; aut minùs, pro Iudicis prudentia seruatur, an forsitan alia noua indicia aliunde sint euentura. Quæ si non delata fuerint, è carce-
2 re † & ex omnibus vinculis liberatur, pristinæq; libertati (qua ante capturam fruebatur) restituitur, & dimittitur Quousq; : hoc est, donec denuò in iudicium accersatur: sine ampliori & plenaria absolutione, atque ita receptum est fieri in practica. Nam ex
3 iure † plenè absoluẽdus erit, quòd per exactam torturam ab omnibus indicijs & suspicionibus satis sit purgatus.



CAPVT XLI.

Qui à tortura sint excusandi.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 41

1 *Doctores.*
2 *Equites aurati,*
3 *Officiarij.*
4 *Pueri minorennes,*
5 *Senes deliri,*
6 *Mulieres grauidæ*
} *A tortura sunt excusabiles.*

7 *Crimen læsæ Ma.*
8 *Proditionis,*
9 *Simoniæ,*
10 *Malefici,*
11 *Falsi,*
12 *Priuati carceris*
} *Nulli à tortura patrocinium præbent.*

NEmo de crimine sufficientibus †plenisque indicijs suspectus, à tortura purgari potest: exceptis ijs, quos leges & iura ipsa excipiunt, quales sunt Doctores, quemadmodum sustinent Angel. Aret. in suo insigni tract. maleficiorum in gloss. in verb. Fama publica præcedente, versi. Sextò quæro. Amplè D. Franciscus Bru. in suo vtili & practicabili tract. De indicijs & tortura, quæstione tertia secundæ partis, num. 23. Et Hippol. de Marsil. in sua solenni practica criminali, in §. Expedita nu. 29. Equites aurati, †cæteriquesummates & proceres in magnis dignitatibus constituti, l. Milites, in exordio, C. de quæstio. l. Nullus, C. ad l. Iuli. Maiest. & l. Diuo Marco, C. de quæstionib. necnon præfati Doctores locis iamiam allegatis. Item †Principum officiarij, ciuitatum rectores, hisque similes, officiorũ suorum durante tempore, d. l. Diuo Marco, & l. Decuriones, C. de quæstionib. Angel. Aretin. in d. sua practica, in citato §. Expedita. Insuper & puerit ætatis infra decimumquartum annum, quique virgis ac ferulis etiamnum puniendi subiacent, l. De minore, ff. de quæstionib. l. 1. §. Impubes, & §. Impuberi, & l. Excipiũtur, ff. de S. C. Sylla. huic seruit l. 1. & quæ ibi habentur, C. Si aduersus delict. Præterea† senes penè delirantes, memoriæ vitijs multùm laborãtes, l. 1. §. Impubes, iũcta ibi glos. in verbo, ætas, & l. 3. §. Ignoscitur, ff. de S. C. Sylla. Postremò † mulieres impræg natæ, & grauidę (nihil refert à proprio ne marito, an ab adultero, l. Et seruorũ, §. penul. ff. de statu homi.) tutæ sunt à tortura, donec enixæ partum, validiores sint effectæ: Ita luculenter tenuit D. Bart. in l. Prægnantis. ff. de pœnis: D. Franciscus Brunus in suo tract. de indicijs & tortura, quæstione quarta secundæ partis, nu. 3. & D. Hippol. de Marsil. in d. sua praxi causſarum criminalium, §. Nunc videndum, num. 47. & 48. Sunt tamẽ crimina, in quibus istiusmodi exceptiones cessant, & ob quæ leges nulli à tortura patrocinantur: sed quosuis indiscriminatim ad quæstiones postulant: qualia sunt †crimen læsę Maiestatis, l. De minore, 2. responso, ff. de quæstionib. & l. Nullus, C. ad l. Iuliam Maiest. Aret. in tract. maleficiorũ, in gloss. in verb. *che hai tradita la tua patria*, in princ. Proditio †patriæ, Ciuitatum

uitatum, aut principum: hiſq; affinia l. Deſertorẽ, §. His qui ad hoſtes, & l. Proditores, ff. de re militari. †Idem videtur in crimine ſimonię, teſte gloſ in verb. Maieſtatis, in d. l. Nullus, per textum in l. Si quẽquã, C. de Epiſco. & cleri. ibi, ad inſtar publici criminis, & læſæ Maieſtatis accuſatione propoſita, à gradu ſacerdotij retrahatur. Nec abſimile †cenſetur dicendum in maleficis & mathematicis, atque alijs ſimi libus, de quibus loquitur l. Et ſi excepta, C. de maleſi. & mathema. Addet† idem dicendũ eſſe in crimine falſi, l. Si quis decurio, C. de falſ. Et idem† in priuato carcere, l. 1. C. de priuat. carcerib. Duorum poſtremorum memi nit gloſ. in verb. Demonſtrantur, in d. l. Et ſi excepta. Horũ nec oblit⁹ eſt D. Franciſcus Brunus in ſuo ſępe allegato tract. de indicijs & tortura, quæſtione quarta ſecundæ partis, nu. 24. necnon alij moderni practici in ſæpe allegatis eorum tract.



CAPVT XLII.

De purgatione vulgari, & principio de monomachia, siue duello.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 42

Intendens alteri crimen quod probare nequit, monomachiam indicere solet. 1
Ad monomachiam prouocato, agnoscendum crimen, aut concertandum fuerat 2
Monomachia apud Longobardos multùm recepta. 3
Duelli leges à Longobardis conscriptæ 4
Duelli duplex ratio. 5
Duellum Francorum. 6
Duella quare reiecta & abolita. 7
Fucus excusationis duelli. 8
Duellum à Comitibus Flandriæ ablatum. 9
Duella in Francia a Philippo Pulchro reuocata. 10
Duelli prorsus tollendi triplex ratio. 11
Casus de iure, duellum admittens. 12

OLim, si quando † actor quispiam intentatum alteri crimen & factum, condigno testimonio, aut alia quauis probatione ordinaria confirmare nequiuerat, probationis certitudinem addixit, & recepit corporis sui periculo: offerēs aduersario fatalem illam chirothecam, qua ipsum ad monomachiam prouocauerat: persuasum habens, veritatem, iustitiam, & innocentiam seipsum ab aduersarij iniustitia protecturam. Quam equidem† chirothecam aduersarius assumere cogebatur, aut intentati criminis veritatem agnoscere. Huiusmodi† autem duella multum recepta fuere apud Longobardos, quo tempore Italiam ipsi occuparunt: adeò vt† non paucas de his conscripserint leges, quas ipsi ius Longobardorum vocant. In quo octodecim aut viginti descripserunt capitula, partim criminalia, partim ciuilia: quorum vi aut dimicandum fuerat, aut crimine agnito, iuri concedendum. Ita vt si crimen fuisset capitale, concertandum erat ad alterius internetionem vsque. Si verò ciuile, ad alteri⁹ deditionē vsque in pugnastandū fuerat. Idē quoque receperūt †Franci, hinciura sua habentes, quas leges vocarūt Salicas: de quibus multa conscripta sunt. †Verùm quū isthæc duelli conflictatio rectè pugnet cum omnibus diuinis, humanis, naturæq; legibus: & beluina potiùs sit furia, quàm humana insania: deinde† quòd ipsa hæreseos fundamento ac huic basi innitebatur: qua sibi palpabantur, diuinam iustitiam nunquam sinere innocentē vlla in re pessū ire, quum verius tamē istud sit, diuinam tentare clementiam, & ex diffidentia omnipotentiæ diuinæ experimētum quærere, c. vltimo, ext. de purgat. vulga. Ideo tum iure Canonico, tum Ciuili vetitum fuit, ne quis ijs legibus ampliùs vteretur, vt ext. de purgat. vulga. per totum, 2. q. 4. c. Consuluisti, & c. Monomachiam, & ibi glos. c. 1. & 2. ext. de torneamen. ff. & C. ad l. Corneliam de sica. varijs in locis, & l. Vnica, de gladiatorib⁹ lib. 11. C. iuncta ibidem glos. in verb. Gladiatores

Earumque † immunitatem multis Flandriæ ciuitatibus Comites largiti

largiti sunt, sancientes, necubi huius Regionis diutius eæ pertraherentur in vsum: quod & in hunc vsque diem fideliter cautum est. Cæterùm in † Francia Rex Philippus Pulcher hanc duelli rationem, rursum ab inhumanis atque adeò Tartareis Erinnybus, in lucem & hominum vitam suis diplomatis reuocauit, anno ab orbe redempto, millesimo tricentesimo sexto, volens ea in quatuor potissimùm vtendum esse: Nempe cùm res fuerat criminalis aut capitalis: Cùm proditoriè patratum est crimen, & commissum adeò clàm. támque latenti Marte, vt alia via innotescere veritas nequeat: Deinde vbi prouocatus, patrati criminis ob vehementes suspiciones & certa indicia suspectus est: Et postremò, quoties de patrato crimine certa veritas habetur. Triplici †tamen ratione isthæc vulgaris purgatio meritò prohibita est. Prima scilicet, quòd cacodæmonum versuta calliditate & inuidia sit reperta: vti vel hoc modo miseranda nece sese conficerent homines, vnde non mediocre animarum tũ spectatorum, tum peragentium, tum consentientium subsequeretur detrimentum, d.c. Monomachiam, & Panor. in c. 1. ad finem, ext. de cleri. pugnan. in duello: Secunda, quòd per eam diuina potentia & iustitia apertè tentetur. d. c. Vltimo, ext. de purgat. vulga. Tertia, quòd per eam sæpe innocens ob alterius iniustam prouocationem condemnaretur: contigit enim multos sub iniusto clypeo perire, c. Significantibus, ext. de purgat. vulga. Reperio † tamen indubiè vulgarem purgationem siue duellum in casu sine scrupulo admittendum, quum publicæ salutis causa fiat: & istud est admodum laudabile: textus est, in l. 1. §. Sed si quis operas, ff. de postulan. Vbi licèt Iocans operas, vt cum bestijs pugnet, infamis sit, eadem l. §. Et qui operas, tamen non est infamis, qui locat operas, vt expugnet feram regioni nociuam. Horum plus satis. Interim tamen lector, vbi tibi videbitur, omnia ista & plenius & distinctius comperies apud Iohannem de Lignano Iurisconsultum non incelebrẽ pulchro suo tractatu de duello, multa admodũ de hac re memoria digna describentem, potissimùm pro gloriosis, ne dicã, inglorijs ac insensatis. Quare isthæc dixisse hic nobis sufficiat.

CAPVT XLIII.

De alia purgatione vulgari.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 43

Purgatio alia vulgaris, solita fieri per ferrum candens, aquam bullientem, &c. 1

Purgatio vulgaris, modo & forma prædicta, quare prohibita. 2

1 Eodem penè tempore, † & aliæ purgationes & vulgares fuêre receptæ, quibus à præsumptionibus & suspicionibus diffamati & delati purgabantur. Nempe: cùm candens ferrum vola manus compressa rant: aut cùm super ignito ferro nudis plantis incesserant: hisue similia: de quibus purgandi formis, multa donata sunt à principibus priuilegia

Flandriæ. Porrò Gandensibus ciuibus à Comite Flandriæ indultum priuilegio fuit, sese purgare aqua frigida, quod sanè interpretandum est de aqua frigida, & adhibitis consue-
2 tis funibus. Verùm quum † & istiusmodi purgationes nihil habeant humanitatis, sed tyrannico animo, diabolicóque instinctu inuentæ atq; excogitatæ, ad diuinæ potentiæ tentamenta rectè vergant: ideo non temerè Canonico iure prohibitæ sunt & abolitæ: ne ampliùs ijsdem vteremur, c. Ex tuarum, ext. de purgat. canoni. & ext. de purgat. vulga. per totum, c. Consuluisti, 2. q. 4. & D. Andreas Alciatus vir haud mediocris diligentiæ, in suo perutili iudiciarij processus compendio, atque iuris vtriusque praxi, titulo, Quid sit purgatio: cum sequenti.

CAPVT XLIIII.

De purgatione Canonica.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 44

Purgatio canonica iure Pontificio inuenta. 1
Forma purgationis canonicæ. 2
Infamatus se purgabit iuramento veritatis. 3
Compurgatores purgabunt causſam iurantis de veritate, iuramento credulitatis. 4
Numerus compurgatorum arbitrarius. 5
Canonica purgatio frequens ecclesiasticis. 6

1 IVra Pontificia, aliam † quoque suspicionum & præsumptionum purgandarum formam inuenerunt & statuerunt, quam vocant purgationem cano-
2 nicam. Quæ † fit, cùm Iudex diffamatum & criminis suspectum conceptis verbis ad iuramentum, adstante bonæ fidei virorum certo legitimóque numero, adigit & adstringit.
3 Ita† vt suspectus seu infamatus iuret se à crimine, super quo infamatur, immunem esse & innocentem, c, Constitutus, & c. Accepimus,
4 ext. de purga. canoni. † Cæteri verò instantes testes, dicti compurgatorij, iuramento se deuincient, & iurabunt, quòd credant & putent suspectum ac infamatum iurantem, vera iurasse, c. Quoties, & d. c. Constitutus, ext. de purga. canoni. Neque enim ad fortius iuramentum vrgeri possunt, quàm ad, ita credere, itaque sibi persuasum esse: alioqui procliues fieri possint, & vicini periurio, l. Videamus, ff. de in litem iu-
5 ran. Testium † autem huiusmodi coniurantium siue compurgatorum certus numerus planè consistit in arbitrio Iudicis: vt multos statuat, an paucos: ecclesiasticos, an seculares: pro personarum qualitate, & infamiæ & criminum quantitate, eóque & tempore & loco, quibus ipse Iudex velit, c. Cùm in iuuentute, ext. de purgat. canoni. c. fin. ext. de transactio. ibi text. & glos. Hac
6 † igitur forma vtuntur frequenter Curiæ

Curiæ ſpirituales: Et earum imitatione, ſubinde etiam tribunalia ſæcularia, ſeu prophana in Flandria, necnon alijs in locis.

CAPVT XLV.

De purgatione legali.

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 45

Legitimè purgandus, ſe vltro captiuum præbet 1
Legitimè purgandus, quando citabit partem aduerſam 2
Legitimæ purgationis priuilegio priuatur, puiſquis captura præuentus fuit 3
Legitima purgatio ſit ex ſumptibus purgaturi, niſi &c. 4

1 VVlgaris practica, & † legalis purgandi forma in legitimis Curijs eſt, vt ſuſpectus ſemetipſum in captiuitatem tradat. aut loco ſuæ habitationis: Aut vbi Iuſtitiæ ſubijcitur, ſeu forum ſortitur: Aut vbi crimen admiſſum fuerit: Aut certè ſeſe captum exhibeat dominis de Conſilio, veluti omnium Iuſtitiarum præſidentibus: † deinde 2 citandos curet ſingulos Officiarios, omnes aduerſarios ſuos, & quotquot ipſum de hoc crimine (cuius diffamatus & ſuſpectus fuerat) grauare velint. Si tamē factum tale fuerit, vt ab eo per proceſſum, aut per purgationem ordinariam ſe purgare poſſet: veluti ſi retorto telo, alibi commiſſum eſſe, aliumque criminis patrati authorem commonſtrare poterit: aut ſi conſimilibus exceptionibus probabilibus, ordinaria legitimáque probatione, & nequaquam præſumptionibus aut indicijs defenſionem 3 ſuam adſtruere valeat: alias verò minimè licebit contra ſe citare Officiarios, aut alios aduerſarios. † Porrò ſi diffamatus priùs captus fuerit ob crimen, à quo ſe expurgare concupiſcat, quam ſeſe purgandū vltro dediſſet, non eſſet is tum habilis, vt ſe purgationi traderet, ſed reſpondendū ipſi tunc fuerit Officiarijs loci, vbi captus 4 eſt. Cęterum † purgationes omnes oportet fieri & deduci ex ſumptibus impetrantis: niſi Officiarius quiſpiam aut alius aduerſarius purgationē reijceret, vnde nihil probare valens mox excideret. Hoc tum caſu, aduerſarius ille, aut Officiarius incideret in omnes expenſas, & ob illatam calumniam, in omnes ſumptus detrimentorū, & incommodorum condemnabilis fieret, arg. l. Si poſtulauerit, §. fin. ff. de adulter. cum ibi notatis & l. fin. C. de fructi. & lit. expen.

CAPVT XLVI.

De ſeſe præſentando torturæ contra partem aduerſam.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 46

Purgaturo ſeſe 1 *Non conceditur* 2 *Aliquando conceditur* } *Contortura cum aduerſario* { *Recuſante.* *Conſentiente.*

1 NEmo in† hoc audiendus est, neque acceptabilis, si semetipsum tortura purgandum contra partem suam aduersam, offerat. Verùm necessum est, legitima purgatione sese defendat, factáq; sua debitè probet: alioqui à caussa sua decide-
2 deret. †Attamen si pars aduersa eam torturæ probationem in se acceperit, sibíque placuerit ad maiorem veritatis contestationem, simul cum accusato scamni torturalis pœnam subire: Iudex hoc casu, processum per torturam perficere posset, ex consensu scilicet partis, & si aliter veritas haberi non posset, fa. l. Diuus Pius, ff. de quæstio. cum innumeris haud dissimilibus.

CAPVT XLVII.

De Confrontatione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 47

Concaptiuis in { *Mutuis accusationibus discordantibus, quid Iudici faciendum.* 1
Commentis suis persistentibus, confrontatione vtendum. 2
In testes constanter depositionibus discrepantes, subinde confrontatio exercenda. 3

1 QVum † duorum captiuorum alter alteri crimen imponit, & in delationibus discordant: iubet vtrunque Iudex sibi sisti, quos de discordantijs interrogat, priùs seperatim, mox
2 vtrunque coniunctim. In † quibus modis si Iudex ipsos quasi in subdolis commentis, siue fictionibus persistere comperiat, neque vllis alijs modis veritatem indagare potest, mandat simul vtrunque in alterius mutuo conspectu torqueri (quod nos receptò magis quàm Latino vocabulo vocamus Confrontationem, quasi fronte ad frontem) verùm hic summa Iudici adhibenda est prudentia.
3 Similem † quoque confrontationem exercet, quoties duo testes in materia criminali disconueniunt, ita vt alter suspectum accuset, alter excuset: maximè si aliter constare veritas nequeat: seruit huic textus in l. Diuus Pius, ff. de quæstionib. cum infinitis similibus iuribus.

CAPVT XLVIII.

De probatione ordinaria.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 48

In probatione ordinaria, officium {
1 *Actoris est, Reum præire,*
2 *Rei fuerit, defensionem probare.*
3 *Iudicis est, Informationem efficere: Nisi* {
4 *Testibus longè distatis,*
5 *Morbo,*
6 *Impedimẽto,*
} *Præpeditus sit.*

Testes

Teſtes citati, comparere recuſantes, vt corrupti & falſi habendi ſunt. 7
Inquiſitionem facturum, plenè de circunſtantijs edoctum oportet. 8
Circunſtantiæ cauſſas grauant aut eleuant. 9
In concluſione pecuniaria, Rei diffamati opulentia ſpectanda. 10

IN ordinaria probatione, Actoris † eſt Reum præire, quum tempus ipſi conſtitutum fuerit. 1
†Et quum productionem ſuam peregerit, mox conſequetur Reus, probaturus ſuam defenſionem: D. Bald. in l. Fruſtra, verſic. Modò quæro, C. de probat. & l. Si quidè, C. de excep- 2
tionib. & l. In pecuniarijs, ff. de re- 3
rijs. In † materia criminali, ipſius Iudicis fuerit informationem (vulgò Enqueſtam) efficere, niſi ſecùs rerum 4
ſtatus ſua ſerit: veluti ſi teſtes ab ipſo † longe ſint diſsiti, aut ſi morbo, aut ſimili aliquo impedimento præpedi- 5
tus fuerit. † Quibus caſibus licitū fuerit Iudici in hoc negotio alteri ſuas 6
delegare vices. Si verò teſtes † comparere detractēt, fortaſſe ex diſſuaſiõe, aut corruptione malefici, aut ex alterius timore, aut certè mala dehortatione, poteſt Iudex eoſdē præmio corruptos ad tribunal ſuū accerſere. Qui ſi ne † tunc quidem cõparuerint, habe- 7
bit eos Iudex vt falſos, & contra eos procedere poteſt. In probatione ordinaria criminali, Reus admittitur ad probationē negatiuarū: nēpe, quod rē ſibi impũtatā non fecerit: Bald. in l. 8
Actor, in fin. C. de probat. Iudex † aut Commiſſarius inquiſitionē aut informationem faciens, oportet, accuratè ſeipſum informet de rerum circunſtantijs: quòd ex † ijs facti cauſſæ plurimùm aut grauantur, aut eleuan- 9 10
tur. Si cõcluſio † Reum vrgeat ad pœnam pecuniariam, aut aliam frugiferam mulctam, oportet tum diligenter Iudex reſciſcat, & inquirat de Rei diffamati opulentia, & facultate: vt æquiori libramine ciuiles has pœnas & mulctas expenſurus, taxare & iudicare poſſet.

CAPVT XLIX.

De plena probatione in materia criminali.

Summæ rerum tractatarum in Comment. CAP. 49

1 *Duo vrreprobabiles teſtes*
2 *Vltronea Rei confeſſio,*
3 *Euidentia facti,*

} *Plenam probationem efficiunt, Non*

4 *Præſumptio,*
5 *Fama,*
6 *Opinio,*
7 *Fuga.*

8 *Probationes in criminalibus oportet eſſe clariſſimas.*

1 DVo ſufficientes† teſtes, haud reprobabiles, viuida de facto teſtimonia ferentes, hoc eſt, ex viſu, & certa notitia teſtantes, plenam atque abſolutam probationem in re criminaria efficiunt, tritiſſima l. 4 3. §. Item Diuus, iuncta ibidem gloſſ. 5 in verb. Speciem, & ibi Bart. ac ſequa 6 ces, & l. Vbi, ff. de teſtib⁹. huic quam- 7 optimè ſeruit c. Teſtes. 3. q. 9. Vbi expreſſè textus: Teſtes per quamcunque ſcripturam teſtimonium non ferant, ſed præſentes de his quæ nouerunt & viderunt, veraciter teſtimonium proferant, etc. coniunctis ibidem gloſſ. in verb. Sed præſentes, & in verb. Quæ nouerunt, c. 2. & c. Exliceris, ext. de probat. c. In omni, c. Licet & c. Cùm à nobis, extra de teſtib. & c. Nouit, ext. de iudicijs. Confeſsio 2 Rei † ſiue partis libera, vltronea, & extra omne vinculum ac pœnam in iudicio facta plenam etiam probationem efficit, l. Siconfeſſus, ff. de cuſto. reo. l. 1. §, Diuus Seuerus, & l. Si quis vltro, ff. de quæſtionibus, & l. Si ſine, ff. de interrogat. actionib. c. Cùm ad ſedem, extra de reſtitu. ſpolia. Euidentia† ipſius fa- 3 cti, qua Iudici ſcilicet factum clarè & apertè innoteſcit, plenam quoque probationem facit, vulgato c. Euidentia, ext. de accuſat. c. Ad noſtrã, 3. ext. de iureiurando, c. De manifeſta 2. q. 1. l. Ea quidem, C. de accuſat. D. Speculator, practicus ſui temporis haud mediocris, in tit. de probat. §. videndum reſtat, verſ. quartò per euidentiam. Nec diſsimiliter tenuit Ioannes à Graſsis, Doctor V. I. inſignis in ſuo tractat. in arborem iudiciorum, ſub tertio flore, nu. 1. De notorietate ſiue euidentia facti. Violenta † verò, validáque præſumptio, † fama, † opinio, † fuga, idque genus alia, nũquam plenam probationem efficere poſſunt in materia criminali ad condemnationem. Quòd ad criminis† materiam, omnes probationes oporteat eſſe clariſsimas, l. Sciant cuncti, C. de probat. cum ibi notatis, quam legem canonizatam verbotenus legimus in c. Sciant cuncti, 2. q. 8. cõcordat etiam c. Epiphaniũ, 5. q. 6. l. Singuli, C. de accuſat. l. Addictos, circa medium, C. de appellat. l. Cùm Reis, C. de pœnis, cum infinitis iurib. nequaquam diſſimilibus. Rationem rationis aſsignat gloſ. nequaquam incelebris in iamiã citata l. Sciant cuncti, in verb. vel indicijs, dicẽs, clariùs, diligentiùs. & perſpicaciùs fore agendũ, vbi de hominis ſalute agitur & tractatur: cuius inter multos meminit (etſi prolixiùs paululum) Iacobus de Belſouiſu, in ſua ſolenni practica iudic. ſub rubr. De cauſsis criminalibus, criminaliter intentandis, num. 4. Quæ omnia à Iudicibus criminum ſunt memoriæ ſcrinio commendanda, necnon præ oculis ſemper habenda, antequam ad ferendas ſententias capitales procedant.

CAPVT L.

De reprobatione.

Summæ rerum tractatarum in Commentarijs. CAP. 50

Legiſlatores ad eorum, quæ ſæpenumero eueniunt cognitionem, multò ſunt attentiores, quàm ad ea, quæ rarus contingere ſolent.

Minores

Minores 2 { 14 / 20 } annis.

3 { Aduersarij. / Inimici. / Hostes. } Familiares inimicis.

4 { Quis dicendus inimicus. / Quis aduersarius capitalis. / Nuper inimicus, nunc tamen amicus factus. } Nota

5 { Domestici, / Familiares. / Mercenarij. } Conuictores.

6 { Famuli, / Famulæ, / Mancipia, }

7 { Patres, / Matres, / Aui, } Auiæ.

8 { Amici, / Cognati, / Affines } 11 { Aduocati, / Procuratores, / Solicitatores. }

9 { Mariti / Vxores. } 12 { Tutores. / Curatores. }

10 { Fratres, / Sorores. } 13 Notati infamia. 14 Socij criminum.

15 { Furiosi, / Phrenetici. }

16 { Excommunicati, / Hæretici, }

17 Pauperes.

18 { Monachi, / Regulares canonici, / Conuersi, / Quicunque sub regulari obedientia constituti. }

A fideli testimonio ferendo reijciendi sunt. } Ad legitimæ testimonia non admittendi.

19 { Homicidæ. / Malefici, / Sacrilegi, / Fures, / Raptores, / Adulteri manifesti, / Venefici, / Sortilegi, / Periuri, / Lenones, (festi, / Concubinarij manifesti, / Incestuosi. }

20 { Conspiratores, / Coniuratores, }

21 Testimonij gratia qui precio corrupti sunt.

22 { Accusatores, / Fœminæ } admittendi non sunt ad testimonij fidem.

24 { Fœminæ in materia feudorum, / Fœminæ in testamentis. } Non sunt ad testimonium audiendæ.

26 Meretrices an dignæ testes sint in caussa criminali.

27 Probationes in criminalibus debent esse omni suspicione & exceptione immunes.

28 Qui reprobatæ sunt. { Vitæ / Opinionis, / Conuersationis, } Iure à testimonijs repelluntur.

Quum

QVum testimoniorũ vsus in iure & praxi admodũ frequens sit & necessari⁹ & res præterea sit periculo plena potissimũ in negotijs criminũ propterea quòd Iustitiarij & officiarij plerunq; aut ambitione turgidi aut ignorantia capti, hic soleant esse negligentiores & dormitabundi: Profecto † quum ad eorum quæ sæpenu 1
mero eueniunt cognitionem multò vigilantiores sint & attentiores, quã quæ rarò contingere solent: vt in Authent. vt sine prohibitione matr. debit. & credit, §. Quia verò, & l. Nam ad ea, ff. de legib. Ideo mei muneris hic esse duxi, nonnihil succisiui temporis huic rei impendere, & reprobandi materiam aggredi. In re igitur † crimìnali reprobandi sunt 2
minores quatuordecẽ annis, l. 3. §. Lege Iulia, ff. de testib. Similiter & iuuenes viginti annorũ ætate minores, l. in testimoniũ, ff. de testib. c. Si testes, vers. Item in testimonium, 4. q. 3. vel certè ipsorũ testimonia nõ tantũ habent ponderis, vt ad condemnationem vrgeant. Reijciendi † quoque 3
sunt aduersarij, Inimici, & hostes, scilicet capitales, & quotquot cum capitalibus inimicis siue hostibus familiarem aut domestic im conuersationem habent, c. Repellantur, & c. Quum oportet, & ibi Felinus. ext. de accusat. Innoc. in c. Inquisitionis, eod. tit. de accus. c. Licèt Hely. ext. de Simonia, l. 3. in exordio, & ibi Bart. ff. de testib. l. Si quis, C. eo. de testib. quam legem etiam reperimus canonizatam in c. Si quis, 4. q. 3. Quis autem dicatur † aut præsumatur inimi- 4
cus, & quæ dicantur inimicitiæ capitales, describit D. Felinus amplissimè, in d. c. Repellantur, & in c. Afferte, in 4 colum. in ver. datur aliud exemplum, circa finem vers. de præsumptionibus. Alxander in suis consilijs, consilio xcix. pri. volu. & not. in d. c. Repellantur, & in d. l. Si quis. Item re probatur is qui aliquando (etiam si nunc resarta gratia bene inter se conueniant,) capitalis hostis, aut inimicus fuit: nempe quòd nunquam is vindictæ suspicione careat, per id quod notat glos. in verb. Nam adsit. in Authent. de testib. §. Si vero quis dicat odiosum: multa de hoc per D. Felinum in d. c. Cùm oporteat, nu- 5
mero 4. Rursum † domestici, Familiares, Mercenarij, & Conuictores à testimonio repelluntur, l. penult. ff. de testib. & tritissima l. Etiam' & ibi notant Cynus & alij scribentes, C, eod. titu. c. In literis, ext. eod. Ita notat glos. in verb. Domestica, in l. Præsenti, in §. Sanè, C. de his qui ad eccles. con- 6
fug. Famuli, † famulæque, mãcipia, atque huiusce generis alij, à testimonio aut lato aut ferendo repellendi sunt, l. Seruos, & l. Quoniam, C. de testibus, l. Pridem, C. de quæstionib. c. Nullus, 3. q. 5. & c. Si testes vers. Item testes quos 4, q. 3. Ad hæc reprobatione † tolluntur pater, ma- 7
ter, auus, auia, ascendentes, & descendentes in infinitum, l. Parentes, & ibi glos. in verb. Parentes, C. de testib. & d. c. Si testes, vers. Item testes, 4. q. 3. Item † amici, cognati, & affines, c. Absens, 23. q. 9. Ita tenet Bartolus in l. Qui testamento, in §. Per contrarium, ff de testament. c. Similiter, 3. q. 5. Specula. titul. de teste. Re- 9
probatur † vxor pro marito, aut contrà. Probare namque pro marito, vetat affectionis suspicio. Contra verò maritum testari, reuerentiæ dispendium, & maritalis odij augmentum, glos. in verb. Parentes, in d. l. Parentes. Fel in. in d. c. In literis extr. de testib. Notatur etiam per Scribentes in d. l. Etiam. Huic seruit dictum Baldi, & Doct. in l. Si

cum

cum dotem, §. Si maritus, ff. ſolu matrimo. quòd vxor, vna caro & voluntas cũ marito cenſetur: ideo dicitur meritò ſuſpecta in cauſſa mariti, & è contrario. Frater† pro fratre, aut ſorore, vel ſoror pro ſorore teſtatura, repellitur, gloſ. et Doct. in d. l. Parentes, l. Lex Cornelia, ff. de iniurijs, l. Qui teſtamento, ff. de teſtamentis, D. Lanfrancus ab Ariadno in ſuo tractatu notabili, Depoſitionis teſtium, ſeu de teſtib. num. 6. Atque etiãquis aliæ perſonæ, quæ pro vllo amicitiæ aut neceſſitudinis vinculo iuncto (vulgò perſonæ coniunctæ) ſunt teſtaturæ, Bart. in l. Aut affinitate, ff. de procuratorib. Aduocati, † procuratores & ſolicitatores cauſſarum itidem repelluntur, l. fin. ff. de teſtib. & ibi gloſ. Gloſ. & Doct. in c. Ex literis, ext. de tranſactio. Egregiè D. Cyn. in l. Quoniam. num. 5. C. de teſtib. c. Statuendum 2. q. 6. & c. Romana, de teſtib. lib. 6. Item tutor, † curator, & ſimiles ſunt reprobandi, l. fin. & ibi gloſ. in verb. In executoribus, ff. de teſtib. iamiam allegata. † Reprobandi ſunt etiã, tanquã inteſtabiles, hi qui in iudicijs vllis notati & dãnati fuerunt alicuius famoſi criminis, aut de crimine vllo publica fama fuerunt infames, c. Ex parte, & c. Teſtimoniũ, ext. de teſtibus, l. 3. §. Lege Iulia. & l. Ob carnem, ff. eo. de teſtib. qui enim olim fuerunt criminoſi, adhuc præſumuntur criminoſi, l. Quiſquis, C. ad l. Iul. Maieſta. Itẽ † reprobãtur criminum ſocij, ſiue in eodem crimine irretiti, c. Veniens, 1. ext. de teſtib. c. Nullus. 3. q. 5. & l. Sicuti, C. de quæſtionib. Item † furioſi & phrenetici admittendi non ſunt ad teſtimonij fidem: Tales enim pro abſentibus & ignorantibus habẽtur, l. 1. § Si furioſus, ff. de acqui. poſſeſs. Item† excommunicati, & hæretici à teſtimonio reſpuũtur, c. Veniens, 2. ext. de teſtib. & l. Quoniam, C. de hæreti. Similiter † pauperes à teſtando tolluntur, quòd hi minus fidei præſtent quàm diuites, In Auth. de teſtib. §. 1. & §. Sancimus, colla. 7. Hoſtien. in ſumma, de teſtib. §. 2. in verſic. in fortuna, Specula. in titulo de teſte, §. 1. verſic. Item quòd eſt pauper. Altera ratio quia facilius corrumpitur pauper, l. 3 vbi bona gloſ. ſuper verb. Egenus, ff. de teſtib. Alexan. in conſilio. 15. incipiente: Viſo proceſſu, in, 3. vol. Socinus in tract. ſuo fallentiarum, in regula cclxxxix. incipiente, Pauper. † Reiectantur quoque monachi, regulares canonici, vel conuerſi, aut quiuis alij religioſi, ſubiecti ordinibus aut regulis, hoc eſt, ſub obedientia conſtituti, etiam cum prælati conſenſu impetrato. Attamen ſi aliter veritas indagari nequeat, Iudex depoſitionum ipſorum rationem & reſpectum habere ſolet. Item † homicidæ, malefici, ſacrilegi, fures, raptores, adulteri manifeſti, venefici, ſortilegi, periuri, lenones, concubinarij manifeſti, & inceſtuoſi, atque huiuſmodi produci teſtes nõ poſſunt, nec in teſtimonium admitti debent, c. Ex parte, & c. Super eo. ext. de teſtib. l. Non poteſt, ff. de furtis, c. Conſanguineorum, 3. q. 4. & c. Conſtituimus, 3. q. 5. Item † conſpiratores vel coniuratores, c. Conſpiratores, 3. q. 4. & d. c. Cùm oporteat, ext. de accuſatio. Similiter qui† precium receperunt, vel recepturi ſunt pro teſtimonio, vel dicẽdo, vel tacendo: vel quòd huc ſubornati & inſtructi fuerint, l. 3. §. Lege Iulia, ff. de teſtib. l. Eos. Et l. Si quis, in fin. C. eod. tit. & c. Licet, ext. de probat. Itẽ † Accuſatores à teſtimonio repelluntur: Nemo enim poteſt eſſe teſtis & accuſator, c. Forus, §. In omni, ext. de verb. ſignifica. & c. Accuſatores,

tores, 3.q.5. Hic tamen(quod acriter insectandum est) videas plerosque officiarios grauiter peccare (ab ipsorum nomenclaturis prudens abstineo) quos non pudet contra omnem æquitatem, eosdem ad testimonia contra miſellos ferenda producere, quos priùs habuerunt delatores: non alia (metuo) cauſſa, quàm vt vel hac ratione ex innocentium oppreſsione, pecuniariam condemnationem aſſecuti, ſuis conſulant marſupijs. Fœminæ† quoque repelluntur in criminalibus proceſsibus criminaliter inſtitutis: non verò in proceſsibus ciuilibus, ciuiliter inſtitutis, ſi Iura Pontificia ſectemur, c. Forus, cum ibi notatis, ext. de verbor. ſignifica. & c. Mulierem, 33. q. 5. Nam ex ratione iuris ciuilis, nihil vetat fœminam ſuum teſtimonium, tum in ciuilibus, tum in criminalibus deponere, l. Ex eo, ff. de teſtib. vbi I. C. à contrario argumentatur, ad hunc modum: Si publico iudicio damnata, à teſtimonio ferendo arcetur: non condemnata, ad teſtimonium ferendum admittetur, c. Ex eo, 15. q. 3. l. Qui teſtamento, §. Mulier, ff. de teſtamentis. Alexander Imolenſis in ſuis conſilijs, conſilio 11. 4. colum. Conſilio 64. 1. colum. & in conſilio 99. 3. colum. in primo conſiliorum volumine. Exceptis duabus duntaxat cauſsis. Nempe, In † materia feudorum, c. 1. qui teſt. ſunt neceſſa. ad nouam inueſtit. probandam, in vſib. feudo. & ibi Bald. in fin. † Et in teſtamentis, l. Qui teſtamento, §. Eum qui, verſic. Mulier. & ibi Bart. & ſequaces, ff. de teſtament. & §. Teſtes, Inſtitu. de teſtament. ordinandis, c. Forus, & ibi gloſ. & Doct. ext. de verb. ſignifica. Attamen in depoſitione fœminarum iudicis fuerit diligenter conſiderare ipſarum qualitatem, loquendi affectus & mores, cum reliquis circunſtantijs, ſa. d. c. Forus, cum ibi notatis, extr. de verb. ſignifica. † De meretricibus autem hic dubium oriri poſſet: ſint ne condignæ teſtes in materia criminali, an indignæ? Verùm dubium omne pellit D. Alex. Imolenſis, reſpondens planè negatiuè in ſuis conſilijs, conſilio 11. numer. 2. 1. volum. †Nam in criminalibus (vti ſæpe dictum eſt) oportet probationes omni ſuſpicione & exceptione eſſe immunes, l. Sciant cuncti. C. de probat. l. Abſentem, ff. de pœnis, l 3. §. Lege Iulia, ff. de teſtib. c. Sciant cuncti, 2. q. vltim. & c. Epiphanium, 5. q. 6. † Poſtremò (vt ſummatim dicam) reprobantur omnes, qui non ſunt probatæ vitæ, opinionis, & honeſtæ ac bonæ conuerſationis, c. Super eo. & c. Teſtimoniū, ext. de teſtibus &, c. Licèt. ext. de foro cõpetenti. Quiſquis autem in hac materia plura deſiderat, is conſulat, D. Speculatorem, lib. 1. in Rubr. de teſte, particula 4. necnon poſt eum, D. Andream Alciatum in ſuo iudiciarij proceſſus compendio, atque iuris vtriuſq; praxi, ſub Rubr. Quæ poſsint contra teſtes opponi, D. Stephanum Aufreri in ſuo inſigni tractat. de teſtib. & eorum reprobatione. D. Lanfrancum ab Ariadno in tracta. ſuo celebri, de teſtib. D. Franciſcum Curtium, in ſuo vtili tractat. de teſtib. D. Albericum à Roſate in ſuo ſingulari tracta. de teſtib. D. Tyndarum, I. V. Doctorem introducentem Bartolum. & Baldum colloquutores, & ad inuicem diſputantes, & Ludouicum Romanum altercationes eorum decidentem, in ſuo tractat. de teſtib. D. Andream Barbatiam ad c. Teſti-

adc. Teſtimonium, de Teſtib. D. Maſſuerium in ſuo aureo ac perutili tracta. ſiue iudiciorum praxi, ſub rubro, de teſtib. quos de hac re comperiet locupletiſsimè & exactiſsimè diſſeruiſſe.

CAPVT LI.

De Saluatione.

Summæ rerum tractatarum in Comment. CAP. 51

1 *Saluandi materiam præbet reprobatio prior.*
2 *Saluatio reprobatione non minus neceſſaria.*
3 *Saluandi teſtes, non calumniandi.*

Saluantur duo.
- 4 *Teſtes, ſcilicet negando reprobatos eſſe*
  - *Inimicos.*
  - *Fautores,*
  - *Domeſticos,*
  - *Concubinarios,*
  - *Adulteros,*
  - *Infames, etc.*
- 6 *Teſtimonia, ſcilicet à*
  - 7 *Loco, quod ſcilicet contigerit*
    - *Publico,*
      - *Secreto: etiam per domeſticos.*
      - *Per quoſlibet irreprobabiles.*
    - *Honeſto,*
      - *Inhoneſto: etiam per infames*
  - 8 *Tempore depoſitionis, quo negabis eos fuiſſe*
    - *Famulos tuos,*
    - *Meretrices,*
    - *Concubinarios,*
    - *Adulteros,*
    - *Infames, etc.*

5 *Allegantis, non negantis, eſt probare.*
9 *Depoſitionum tempus in ſaluatione obſeruandum.*

10 *Saluantur teſtimonia*
- *Infamium, de rebus infami loco patratis,*
- *Famulorum,*
- *Ancillarum,*
- *Domeſticorum,*

} *de rebus domi & priuatim peractis,*

1 ETſi ſaluationis materia appoſitè vna cũ ſuperiori capitulo †tractari potuiſſet, nẽpe quòd & reprobatio & ſaluatio ita ſeſe habeant ad inuicẽ, vt ex vno facilè colle geris alterũ, & auditis teſtium repro bationibus

bationibus, ſtatim ſaluationis formã ſatis agnoſcas. Ne hic tamen prorſus mutus hanc materiam præterijſſe iudicer, haud alienum ab hac materia noſtróque munere eſſe putaui, ſi paucis aliquot exemplis commonſtratis, ſaluationis vſum & modum imperitis oſtendero: potiſsimùm † quum
2 iſthæc ſaluatio ſit in quauis materia non minùs neceſſaria, quàm antè dicta reprobatio. Deinde quòd non minori ſtudio teſtes, & ipſorum teſtimo
8 nia (quatenus id fieri poteſt) ſaluanda
3 ſunt, † quam priùs fuerant ab aduerſario reprobata: eóque neutiquam calumnianda, argumento c. Cũ tu fili, & ibi gloſ. ext. de teſt. Quare noueris Lector hunc primum eſſe vſum ſaluationis, vt quoſcunque teſtes tuos, aduerſarius tuus exceptione repperit, qua dixit † eos eſſe aut amicos, aut
4 inimicos, fratres, ſorores, conuictores, famulos, ancillas, infames, &c. tu contrà (iſthæc omnia negando) eoſdem ſalues, & teſtimonio ferendo dignos affirmes, oportet: alioqui niſi huiuſcemodi negationibus tuos ſaluaris, per tuum tacitum conſenſum iudici vt reprobati habebuntur. Vbi ergo tuos teſtes, negando reprobationem aduerſarij, ſaluaueris, illius tum fuerit allegata probare, iuxta vulgatam & frequenter ab aduocatis allegatam legem 2. ff. de probat. necnon optimam gloſ. ibidem: Ei incumbit †
5 probatio, qui dicit: non ei, qui negat, l. Actor, C. eod. titu. de probat. §. Quod autẽ diximus, iuncta ibi gloſ. in verb. Et verius eſt, inſtitu. de legat. triſsima l. Qui accuſare, C. de edendo, aurea & ſingulari l. Res, C. de rei vendica. cum ſexcentis ſimilibus iuri-
6 bus. Vbi is igitur † allegata teſtibus cõprobare conabitur, tuum erit, vt viciſsim ipſius teſtes quà potes reſellas: atque hac tua reprobatione, teſtes tuos priores ſaluaueris: & ad hunc modum iuxta ſaluationem & reprobationẽ vtrobique procedetur vlteriùs. Proximus ſaluandi vſus eſto: ſi teſtes tuos ſaluare nequeas (vtpote conſcius, teſtes reprobatos tales eſſe, quales aduerſarius prædicauit) vt aliò, tuos teſtes ſaluaturus, confugias: nempe, ad loci aut temporis rationem. De loc
7 cis autem † diſpicies, an res contigerit locis ſecretis, an publicis: honeſtis,
8 an infamibus. De † temporis verò ratione vide, an tempore famulatus, an ante famulatum: tempore amicitiæ, an inimicitiæ, &c. Hinc enim Iudici noſcendi via aperitur, & partibus litigantibus ſaluationũ & reprobationũ materia confertur: verbi gratia, ſi aſſerat teſtẽ abs te productum, tuũ eſſe conuictorẽ, dices: hũc eſſe, aut aliquando fuiſſe in conuictu meo non inficia
9 mur: verùm † tẽpore depoſitionis ſiue teſtificationis ſuæ, conuictor aut famulus meus non fuerat: haud graue erit ad hæc videre D. Specu. in tit. de teſte, in §. 1. in verſi. Quid ſi olim, argum. l. 3. §. Affinitates, ff. de poſtul. Ioannem de Fantu. in c. Conſanguinei, 4. q. 5. Abbatem in c. In literis, num. 2. & 6. ext. de teſtib. Cynum, Baldum, & alios in l. 2. C. de teſtib. Bart. in l. 1. §. Si ſeruos, per illum textum, ff. de quæſtio. Baldũ in l. Qui teſtamento, ff. de teſtament. & in l. 2. nu. 3. C. de teſtib. & Felinũ in d. c. In literis, colum. penult. ergo hic audiendus, & non reprobandus. Si meretricem affirmet, aut homicidam, infamem, aut concubinarium: negabis eandẽ perſonam tunc, cùm iſta deponeret, fuiſſe meretricẽ, homicidam, infamem, aut concubinariũ, eòque non reijciendam à teſtimonio, ſed admittendam, audiendam, & credendam. huiuſmodi de
10 tempore. De loco † autẽ ſic tuos defendes, vel ſaltèm ipſorum teſtimonia

nia ita ſaluabis, ſi aliter perſonarum tuarum qualitatem reprobatam tutari nequeas. Nam ſi defloratio, ſtuprum, aut homicidium commiſſum ac perpetratum in lupanari fuerit, tuque pro verificatione facti tui in teſtimonium produxeris meretrices, lęnas, lęnones, alióſque nebulones, & infames ibi per te repertos, quos ille, iuxta præcedens caput, vt meretrices & infames, à teſtimonio remouerit: coſdem denuò, eorúmque teſtimonia ſaluaueris, ſi aſſeruerit, alia ratione veritatem conſtare non poſſe, niti per perſonas ibidem (quales quales ſunt) conuerſantes. Illiſq; licèt ſint refutabiles, dices eandem neceſſariò habendam eſſe fidem in locis ſecretis & infamibus, quam haberet Iudex probis teſtibus, in locis illis publicis & honeſtis. Itidem tuos ſaluabis, ſi crimẽ in Xenodochio ſeu hoſpitali patratũ fuerit, quod per ibidem præſentes pauperes, mendicos, viles, humiles, & id genus nõ diſſimiles probaueris: quos ſi alter reprobarit, dices eos de tali loco patratis non eſſe à teſtimonijs arcendos. Idem quoque (ſaluo tamen aliorum rectiùs ſentientium iudicio) aliàs percenſuimus in noſtro Patrocinio pupillorum, tit. de tutorum, & curatorum munere, Tomo 6. num. 60. 61. Poſtremò, vt vel hoc exemplo ab vlteriori ſuperſedeam, quum ſcelus domi tuæ contigerit, negabis tuos domeſticos, aut famulos, & ſimiles à veritate teſtanda, vlla ratione mouendos: quòd de his, quæ ſecretè fiunt in domibus, poſſunt ſerui, ancillæ, & alij domeſtici eſſe teſtes, iuxta gloſſam notabilẽ in l. 3. C. de adul. Ita habet excellentiſsimi V. I. profeſſoris D. Nicaſij lectura inſignis ſuper 4. Inſtitutionum lib. in tit. de hæredib. inſtituen. ad mediũ, 3. colum. vulgata l. Conſenſu, in §. Seruus, C. de repud. quòd ea quæ fiunt in domo, poſſunt probari per eos qui habitant in domo, c. Veniens 2. ext. de teſtib. Abbas in c. In literis, crebrò præallegato, num. 2. & 6. ext. eod. tit. D. Vdalricus Zaſius in ſuis conſilijs, conſilio 3. incipiente, Caſus talis eſt, nobilis quidam adoleſcens, &c. pagina 83. numero 53. Ex his nunc facilè collegeris reliquas omnes ſaluandi formas.

CAPVT LII.

De concludendo in cauſſa, ſiue malis, de ipſa cauſſa dedenda Iuſtitiæ.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 52

In materia criminali proceditur

1 *Extraordinariè: ſcilicet capitaliter, idque ſine vllis ſolennitatibus, quibus cauſæ in iuſtitiam concluderentur.*

2 *Ordinariè, non capitaliter, tamen criminaliter, tum cauſſarum in iuſtitiam concludendarum ſolennitates adhibentur.*



1 IN materia criminali capitali, † scilicet vbi res agitur de capite, & in qua Iudex extraordinarè procedi tex suo officio nullæ solēt adhiberi solēnitates de concludēdo in causſa. Verùm constanter procedit ad con-
2 demnationem aut absolutionē. † In materia verò criminali, non capitali, criminaliter tamen intentata, in qua ordinarie proceditur partes ab vlteriori allegatione & probatione supersedētes causſas & productiones suas concludunt vtrobiq; in iustitiā.
3 Reo † etiam post cōclusionem in causſa, ad suam innocentiam tuendam, conceditur plures alios producere testes: insuper instrumenta, munimenta, literas, aliàsque probationes suæ innocentię patrocinantes, vsque ad finem exclusiuè, l. Videamus, §. penult. in verb. Probationibus, ff. de in litem iuran. D. Bart. in l. 1. in fin. num. 4. ff. de quæstionib. Istius autē hæc est ratio, secundum additionem ad Bart. in d. l. 1. §. Si quis vltro, ff. eo. tit. de quęstionib. quòd conclusio in causſa, & renunciatio probationum idem sint, iuxta not. in Authent. Iubemus, C. de iudic. & gloss. inc. Cùm dilectus, ext. de fide instrumento. Et ideo sicut non licet in criminalibus expressè renunciare probationibus & defensionibus, secundum glos. in l. Pactum inter hæredem, ff. de pactis. Ita, nec per conclusionem in causſa, d. l. 1. §. Si quis vltro, D. Bald. in l. Admonendi, ff. de iureiurand. l. 1. in 4. quæstio. num. 9. C. de condict. indebi. D. Iason de Mayno in sua solenni repet. d. l. Admodendi, num. 56. 59. notat Bart. in l. Diui fratres, ff. de pœnis, Bald. in l. Si accusatoribus, columna vlt. C. de Accusat. signanter D. Panor. in c. Cùm dilectus, num. 3. iamiam prælegato. Neq; istud rationi aut equitati repugnat, quum
4 ibidem de ipsius † agatur capite: cui nō temerè cuncta sint posthabenda. argum. l. Addictos, ad medium, C. de appella. & l. fin. cum gloss. in verb. vel iudicijs, ac ibidē per Doct. notatis, C. de probat. & l. Singuli, C. de accusati
5 onib. Pari † ratione fisco admittitur post suā conclusionē in causſa, alios quoq; producere testes, aliásq; probationes, ad grauandā malefici causſā quum

quum nouæ probationes sibi innotuerint. Porrò † si contingat malefi cum mori post definitam sententiam, tempus pœnæ irrogandæ iam desijt. Verùm confiscationes, & latæ pœnæ ratæ perdurant: pro quibus ipsius hæredes executioni subiacent. In crimine læsæ Maiestatis, atque alijs criminibus, cum malefici morte non cessantibus, non licet Iudici in cadauer mortui sæuire: sed conceditur in famam, honorem, memoriam, atque in bona ipsius relicta procedere, & ea omnia fisco adiudicare, l. fin. C. ad l. Iuliam Maiesta. & l. fin. in princ. ff. eod. tit. gloss. in verbo. non intercidit, in l. Ex testamento, C. de testament. manu. Gloss. in verb. Sit extinctum, in l. 1. C. si Reus vel accusat. mort. fuerit. Huic seruit, l. Ex iudiciorum, ff. de accusatio. Ex iure itaque non proceditur contra præmortuum, ad suspendium, incendium, aut decollationem, l. 1. & 2. & per vniuersum tit. C. Si Reus vel accusat. mort. fuerit, Atque istud confirmat D. Angel. in §. Interdum, Institut. de hæred. quæ ab intesta. defer. dicens, quòd post mortem delinquentis, negatum sit Iudici vlla damnatione sæuire in corpus mortui, sed tantùm in ipsius memoriam. Quare plurimùm aberrant Iudices, qui maleficiorum mortua corpora ad publicã executionem postulant, aut ad crucem, rotam flammámve abripiunt. c. Quorundam, 23. distinct. Idem videtur sentire D. Cynus, secundum Iaco. & Petrum in l. 2. C. qui testamenta facere possunt. Idem quoque in eadem l. 2. num. 2. refert Baldus subtilis. Verùm in hac sententia tandem persistit, qua dicit hæc in arbitrio Iudicis consistere, quòd videlicet corpus illud, semper corpus pœnæ permaneat: fa. quod nota. in c. 1. de pœni. & remissio. in Clement. Ista igitur sententia ex iure tantùm nascitur. Nam fieri potest, vt ex magna causa vrgente, deinde ob enormia quædam delicta, vsus & consuetudo secùs admittant, hoc est, in corpus mortui executionem exerceant, per ea quæ notantur in argumentum in Canone, Mulier, 15. q. 1. & in l. 1 C. ad l. Iuliam repetunda. Quod hac ratione defendunt, vt delinquentibus hoc exemplo maiorem scilicet pœnam incutiant, hoc est, vt vnius pœna, metus possit esse multorum, glos. in verb. pertimescat, in c. Sicut, ext. de iureiuran. deinde, quòd tali spectaculo & simili conspectu deterreantur alij ab ijsdem facinoribus, vulgatal. Capitalium, §. Famosos, ff. de pœnis. Ita placuit D. Alexandro in additione ad Bart. ad l. fin. ff. ad l. Iul. Maiest. præallegatam.

CAPVT LIII.

De causa sua committenda in gratiam Iudicis, vel De imploranda gratia Iudicis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 53

Gratia Iudicis semper imploranda. 1
Gratia promissa, vniuersim, aut particulatim conferenda. 2

1 QVum Rei ſeſe ſuámque cauſſam dedunt & ſubmittunt in gratiam Principis, Domini, aut Iudicis, in cuius quidem manu fuerit optatam gratiam concedere, (quod ego, vt ſemper id faciant Rei, modis omnibus ſuaſerim) faciunt id tutiſsimè, & citra vllum ſui, ſuæque cauſſæ præiudicium aut periculum, etiam ſi æquiſsimam cauſſam habuerint, & vitæ inculpatiſsimæ fuerint. † Poſtquam autem Princeps is, Dominus, aut Iudex Reum in gratiam ſuam recepit, oportet ipſi eandem plenam aut particularem conferat.

CAPVT LIIII.

De proceſſus viſitatione, & examine.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 54.

Officium Iudicis, priuſquam in cauſsis criminalibus procedat ad ſententiam. 1
Error in proceſſu criminali deprehenſus, proceſſum reddit ad condemnationem inualidum. 2
Iudicem correctionis errorum ſuorum pœnitere aut pudere, non conuenit. 3
Malum conſilium, melius conſilium pellat, 4
Probationes in cauſsis criminalib. oportet eſſe luce clariores. 5
In cauſsis criminalibus { *Perſpicacius conſilium adhibendum.* / *Maius detrimentum & periculum ineſt.* 6
Iudex probationes inapertas, curabit ante condemnationem explanandas, 7
Condemnatio non profertur ex { *Indicijs.* / *Præſumptionibus.* / *Mendicatis ſuffragijs.* 8
Ex indicijs indubitatis, fas eſt Iudicem ad ſententiam ferendam accedere. 9
Nullus ex vllis indicijs quámlibet claris, definitiuè condemnandus. 10
In criminalib. cauſsis periculum animæ ſubeſt. 11
In dubijs & incertis, æquius eſt & ſanctius, nocentis facinus relinqui impunitum, quàm innocentem damnare. 12
In dubio pœnæ ſunt potius molliendæ, quàm exaſperandæ. 13
Iudicem oportet diligenter attendere confeſsionis cauſſam & modum. 14
Confeſsio ex metu facta ſupplicij, nulla eſt. 15
{ *Nihil prorſus confiteri, &* / *Confiteri ſine perſeueratione* } *paribus paſsibus ambulant.* 16
Quanto tempore, quòve loco, iteranda ſit malefico confeſsio. 17
Confeſsio ex ſupplicij metu facta, quatenus intelligitur. 18
Pariæ ſunt, hominem ferire gladio, & ſtricto gladio cædem minari. 19
{ *Confeſsionem factam in ipſis tormentis* / *Et extortam formidine tormentorum* } *lex æquiparat,* 20

Leuiculus

Leuiculus timor non inualidam facit confessionem maleficî 21
Confessio orta extra torturæ locum ex minis Iudicis, habetur valida. 22
Leuis territio, nunquam habenda est pro tormento. 23
Leuis territio & extra torturæ locum facta, elusoria est. 24
Acre duntaxat tormentum, arguit maleficum ex metu pœnæ confessum. 25
Confessio erronea & falsa nemini præiudicat. 26
Errantis de facto confessio nulla 27
Confessio in tortura facta, absque vllis præuijs indicijs, est nulla, etiam si in confessione perseueret. 28
Indicia præuia requiruntur ad torturæ quæstionariæ substantiam 29
Confessio facta in tormentis absque indicijs, non conualidatur, etiam si postea superueniant indicia. 30
Confessio criminis, quod confitentis excedit pœnitentiam, nulli obesse potest. 31
Delictum omne cadit in puerum, excepto delicto carnis 32
Confessio rerum impossibilium, aut naturæ apertè repugnantiũ, nulli præiudicat. 33
Confessio facta de rebus incertis, officit nemini. 34
In rebus dubijs propensiorem esse conuenit ad absolutionem, quam condemnationem. 35

Confessio { *Furiosorum & amentium* } *Nulla.* 36
{ *Non coram Iudice facta* } 37
{ *Extra iudicium facta* } 38
{ *Per procuratorem facta* } 39

Confessio spontanea criminis patrati, ad condemnationem efficax est. 40

PRiusquam Iudex in † materia criminali capitali procedat ad sententiæ declarationem, modis omnibus oportet diligenter examinet, an processus ritè & debitè à capite ad imum vsque productus sit. Nam † si quid erroris in eo commissum deprehenderet, vniuersus litis processus inualidus esset, & nullius momenti ad condemnationem. Nec æquum† est, vt correctionis suorum errorum ipsum aliquando pœniteat, aut pudeat, quum præstet eos restituere & corrigere, quàm eorum gratia publicam subire infamiam. Et sit† subinde, vt malum consilium, melius consilium pellat, argu. c. Cùm cessante, ext. de appel. Si verò cognoscat processum dignè & sufficienter productum: vlteriùs tunc probationum vi (siquidem eæ probationes sufficientes fuerint) ad condẽnationis sententiam procedat † quia in materia criminali oportet ẽsse probationes soleant luce clariores, sæpenumero hac in praxi allegata l. Sciant cuncti, C. de probat. Cui verbotenus concordat c. Sciant cuncti, 2. q. vlt. l. Singuli, C. de accusat. & l. Qui sententiam, C. de pœnis. Idque ex hac† causa nascitur, quòd in causis criminalibus perspicacius semper sit consilium adhibẽdum, quum ibi maius † detrimentum & periculum insit, & contingere soleat, arg. l. Addictos, circa medium, C. de appel. & l. 9. §. 1. ff. de vent. inspicien. Si verò compererit probationes parum solidas & inapertas, licitũ est, imò oportet, vt ex suo officio probationes eas tenebricosas, curet explanandas, & recollectione & iteratione denuò clariùs elucidandas, antequam condemnationem vllam intentet † Non enim conuenit, vt vllam condemnationem quis proferat ex indicijs,

præſumptionibus, & mendicatis ſuffragijs & inapertis, l. Abſentem, in exordio, ff. de pœnis, d. l. Singuli, l. 1. in fine, ff. de quæſtionib. & Bart. 9 in l. fin. ff. eod. tit. † Niſi ea indicia ſint eiuſmodi, vt indubitata ſint, & è quibus Iudex certum indicium colligat, & veritatem rerum, tanquam ob oculos certiſimè cognoſcat: quo caſu (quorundam iudicio) fas eſt Iudicem ad ſententiam ferendam accedere: & iſta indicia ſunt à lege approbata, ſicut etiam quando ſimul plura collecta & conſona indubitanter veritatem indicant (vt nonnullis viſum eſt) l. Milites. §. Oportet, C. de quæſtionib. Veluti ſi cuipiam intendatur homicidij crimen, multa indicia coniuncta erunt: ſi occiſi fuerit inimicus, ſi de illo occidendo præſumpſerit, ſi potens talis homicidij fuerit, ſi occiſorem hoſpitio exceperit, ſi domeſticus fuerit, aut familiaris occiſoris. Vnde colligitur, quòd per hunc, alterius internecionem procurauerit: de his D. Ioannes Milleus in ſua praxi criminis perſequendi, in fine, ſub tract. indiciorum, folio (libro meo) 68. Alij ve- 10 rò ſecùs ſentiunt, † nullum ex vllis indicijs quàmlibet claris, definitiuè condemnandum eſſe, dicta l. Sciant cuncti, & dicta l. Singuli. Ideo, 11 quia in † criminalibus cauſsis maius periculum, videlicet animæ ſubeſt, vt in Auth. vt Iudices ſine quoquo ſuffra. fi. §. Cogitatio, colla. 2. Vnde maior requirenda eſt tutela, dicta l. Addictos, & l. Vbi, C. ad l. Cornel. de fal. Ideoque etiam Gandinus in opere ſuo maleficiorum, apertè ſentit & vult (vt in practica obſeruari conſpexit,) quòd nullus poſsit capitaliter condemnari ex indicio, quantumcunque indubitato: ſecùs tamen ſi veniret imponenda pœna pecuniaria: & huic Gandini opinioni conſentiunt & adſtipulantur omnes Doctores Bononiēſes: Sicuti etiā meminit D. Franciſcus Brunus in ſuo tract. de indic. & tortu. q. 4. primæ partis, num. 16 Et 12 in caſibus † dubijs & incertis probationibus ſanctius eſt facinus nocentis relinqui impunitum, quàm innocentem damnare, l. Abſentem, ff. de pœnis, & l. 2. C. quorum. appella. non 13 recip. & in dubio, pœnæ † ſunt potiùs molliendæ, quàm exaſperandæ, l. Si Preſes, & l. Interpretatione, ff. de pœ- 14 nis. † Et Iudex ex ipſius malefici ore & confeſſione condemnationis ſententiam proferre volens, oportet diligenter attendat confeſsionis cauſ- 15 ſam & modum. Quandoquidem † confeſsio ex metu facta ſupplicij, nulla eſt, l. 1. §. Diuus, ff. de quæſtionib. & d. l. 2. C. quor. appel. non 16 recipi. quoniam † nullo modo confiteri, vel confiteri ſine perſeueratione, vt comites paribus paſsibus am- 17 bulant: niſi † certè maleficus intra ſpacium 20. aut 24, horarum, aut (vt alijs placet) poſt diem & noctem, liber ab omni vinculo & ferro, eandem palàm & apertè coram tribunali, & in prætorio ſiue conſiſtorio profeſſus iteraret: hoc eſt, in ſua confeſsione facta ſine formidine tormentorum perſeueraret, d. l. 1. §. Quæſtio, & §. Si quis vltro, & d. l. 2. C. quorum appel. nō recipiuntur. 18 Confeſsionem † autem ex ſupplicij metu factam intellige, non tantùm quam tortorio ſcamno impoſitus & extortus fatetur, ſed etiam quam ex ſola & nuda ſcamni commonſtratione: vel quam ex ſolo conſpecti ſcamni metu confeſſus fuerit, aut quā algidæ aquæ aut fumo impoſitus: aut quam inediæ, famis, ſitiſve cruciatu contortus fatebitur, d. l. 2. ibi. aut formidine

midine tormentorum &c. C. quorum appella. non recipi & nota quod text. dicit (formidine) non autem dicit (tormentis) & nequaquam dissimile ibi sentit glos. & l. Item apud Labeonem, §. Adijcitur, versic. Nuda ergo interrogatio, ibi, vel leuis territio, ff. de iniurijs: ergo à contrario sensu, non leuis territio habetur pro ipsa tortura: & accedat quod legitur sufficit terror armorum, & si quis eis vsus non sit, l. Idem est, §. Qui armati, ff. de vi & vi armata. † Paria ita que hic sunt & afinia, hominem ferire gladio, & gladio cædem minari, l. 1. §. Diuus, ff. ad l. Cornel. de sicar. l. 3. ff. ex quib. causis maio. & l. Metum, ff. de his quæ vi met. causa gest, sunt: & ita † lex æquiparat confessionem factam in ipsis tormentis, & ex tortam formidine tormentorum, Bart. in d. l. 1. §. Diuus Seuerus, ff. de quæstion. Adde quod voluit idem Bart. in l. Nouissimè, per illum textum, ff. quod falsò tuto. autho. Ita tenent. D. Guido à Suzaria in suo tract. de indic. & tortu. num. 72. & Ludouicus Bolog. ibidem in additione D. Guidonis, num. 73. horum meminit D. Franciscus Bru. in suo etiam tract. de indicijs & tortu. q. 2. secundæ partis, num 3. 4. 5. & D. Bald. de Periglis in suo tract. de quæstionib. & torment. sub 3. cap. circa confessiones in tormentis, nu. 1. Leuiculus † verò timor, vt pote ex re leui & nihili, ex nullo cruciatu ortus, non est censendus timor, ex quo, vel cuius gratia iudicaremus malefici confessionem inualidam: veluti si Iudex sciscitaturus veritatem, maleficio extra torturæ locum dicat: Age, fateberis † hic mihi veritatem aut ilico scamni torturam passurus subibis, aut diris cruciatibus te corripiam. Non esset quidem hic terror tanti momenti, vt confessionem ex eo elicitam, quis iure negaret validã. Oportet igitur maleficus pœnam perpessus sit acrem, priusquàm ex pœnæ timore dicamus maleficum quicquam confessum esse. Leuis † enim territio nunquam habenda est pro tormento, d. l. Item apud Labeonem, §. Quæstionem, & d. l. metum. Et leuis † territio. & extra locum torturæ facta, elusoria est, argu. l. Hæc autem satisdatio, ff. Si cui plus quàm per l. Falcid. & hoc pacto tenet D. Angel. de Aret. in addit. ad tract. maleficiorum Aretini in gloss. in verb. fama publica præcedente, in antepenult. colum. Sed acre † quidem tormentum maleficus perpetiatur, oportet, priusquàm, ex pœnæ timore dicamus maleficum quicquam confessum esse. Nam si tantùm ex solo supplicij inferendi terrore, & ex pusillanimitate confessus fuerit, expende quid faciendum, si dixerit se timore pœnæ cõfessum, consulite hic Bartolum, Guidonem, Ludouicum, Franciscum & Baldum, locis superioribus allegatos. Confessio † erronea & falsa id est, ex errore & falsa opinione facta nemini præiudicat. † Non enim videtur fateri, qui in facto errat, l. 2. in princip. ff. de confess. Confessio item † in scamno tortorio siue in tortura facta absque vllis præuijs indicijs, hoc est, non præcedentibus indicijs, nulla est, nunquam enim potest ex illa confessione confitens damnari, glos. mirabilis & singularis in l. pe. ff. de quæstionib. Hoc ideo, quia confessiones reorũ pro exploratis facinoribus haberi non oportet si nulla probatio religionẽ cognoscẽtis instruat d. l. 1. §. Diuus Seuerus. Nulla (inquã) est, etiã si ipse confitẽs in cõfessione cõstãter peristeret, argu. l. 2. 3. & 4. C. Si ex falsi instr. vel test. iudic. sit, l. Maritus, & seq. secundũ vnã

19 20 21 22 23 24 25 26 27 28

lecturam, ff. de quæstionib. & l. Diuus, 35 bijs, † propensiorem esse conueni-
uersic. ex quibus, eod. tit. De substan-
29 tialibus † enim quæstionis habendæ
est, vt legitima præcedant indicia: alias nemo torquendus est, cùm ab ipsis tormentis non sit incipiendum, l. 1. ff. de quæstionib. & d. l. Maritus, l. Cognitionaliter, & l. Milites, C. eod. 36
tit. quibus indicijs deficiẽtibus, quicquid sequitur, ipso iure non valet, l. Non dubium, C. de legib. l. 1. de fid. instrumento. & iure hast. fisca. lib. 37
10. C. l. Diuus, ff. de restitutio. in integrum, & l. Nominationes, C.
30 de appella. At hic † quispiam quæstionem mouerit: an confessio facta in 38
tormentis absque indicijs, non conualidetur ex superuenientibus post confessionem indicijs? Cui negatiuè respondet gloss. ad hoc singularis & vnica, quam Bart. ibi multùm commendat, in d. l. Maritus, & sequitur Bald. in l. fin. C. de accusa. & D. 39
Ludouicus Rom. in suis consilijs, consilio 167. Confessio criminis, cu-
31 ius † confitens fuerit impotens, nulli 40
obesse potest: veluti si puer impubes fateatur de vitio aut stupro muliercu læ illato. argum. c. 1. & ibi gloss. & scribent. ext. de delictis puero. quia,
32 vt ibidem notatur, † omne delictum cadit in puerum doli capacem, præter delictum carnis, l. 1. §. Impuberi, & l. Excipiuntur, ff. de Senatusconsul.
33 Sylla. Confessio † itidem rerum impossibilium, aut naturæ apertè repugnantium, nulli præiudicat: vt si quis Brugis existens, fateatur se hesterno die Romæ aut Parisijs commisisse ho-
34 micidium. † Confessio similiter facta de rebus incertis, & de quibus non immeritò quis dubitare potest, officit nemini: Quód in rebus du-

at ad absolutionem, quám condemnationem, communi l. Arrianus, ff. actionib. & obligationib. c. Veniam nunc, & ibi est bona gloss. in verb. Si faciendum, multas concordantias continens, 35. q. 9. Confessio † furiosorum & amentium prorsus est nulla, l. In negotijs, ff. de reg. iur. l. 2. §. Furiosus, ff. de iure codicil. c. fin. ext. de successio. ab intestat. Confessio † quoque nõ coram Iudice facta, nulli dam nosa esse potest, c. At si clerici, cum ibidem nota. ext. de iudic. Confessio † item extra iudicium facta, inefficax est, quòd veras legitimasq; confessiones, & acta cuncta iudicialia, vnde sententiam Iudices proferunt, oportet fieri coram Iudice, & loco iustitiæ consueto, d. c. At si clerici, l. 2. C. de custod. reo. Confessio † per procuratorem facta in rebus criminalibus capitalibus, vbi procuratori occupare non licet, nulli damnum præstruere potest. † Verũ enimuero libera, aperta, & spontanea criminis patrati confessio, valida est, & ad condemnationẽ efficax: nec opus tunc est frequenti eiusdem confessionis iteratione, quum eam vel semel iteralse sufficiat. Sed quum ea confessio coacta est, & pœnæ metu extorta, ad sententiam ferendam inualida est: quare eam denuo liber ab omni vinculo & ferro reiteret, oportet, vt antè diximus. Optarim in hoc capite Iudices, Assessores, & Consiliarios excusso animi torpore, esse multò diligentissimos, quòd hinc sententiæ ferendæ æquitatis aut iniquitatis summa consistat.

CAPVT LV.

De condem-

De condemnatione & punitione in re criminali.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 55

1 Pœnarum: Alia { Ordinaria, / Extraordinaria,

Pœna { 2 Ordinaria. / 3 Extraordinaria. } quæ sit.

Iudex in ferenda sententia perpetuò sequi debet pœnas ordinarias, & in legib. constitutas. 4

In extraordinarijs pœnis ferendis, oportet eas Iudex expendat, non ex animi sui religione, sed ad ea, quæ ipsi, non tanquam Petro, sed tanquam Iudici, innotuerunt & probata sunt. 5

Iudicem semper commendat clementia. 6

In leuibus potissimum causis, æquum est Iudicem esse moderatum & facilem. 7

Vbi materiæ obscuræ sunt & ancipites, conuenit Iudicem ad absoluendum, quam ad damnandum esse procliuiorem. 8

In enormibus delictis, singulas vniuersasque legum constitutiones ad amussim obseruet Iudex. 9

Iudex in omni condemnatione criminali, condemnationis causam articulatim exprimat, necessum est. 10

Sententia definitiua ciuilis, causæ expressionem non requirit. 11

In Flandria quid passim receptum. 12

In magno Consilio quid consuetum. 13

1 POEnarum alia † est ordinaria, 2 alia est extraordinaria. Ordinariam † pœnam dicimus, quã leges sanxerunt, quam Principes constituerunt, aut certè quæ longa patriáque consuetudine introducta est, l. 1. § 2. ff. ad S.C. Turpilia. Extra- 3 ordinariam † verò pœnam appellare licebit, quam Iudex ipse, non ex Legum Principúmve constitutione, aut ex inolita consuetudine, sed ex proprio arbitrio infert & imponit, c. De causis, §. Illis, ext. de offic. delegat. c. Super his, ext. de accusat. l. 1. ad medium, ff. de effracto. & expilato. l. 1. in fin. ff. de iure deliberan. l. Hodie, & l. Sanctio legũ, ff. de pœnis, quorum etiam meminimus supra c. 1. titul. de criminib. & maleficijs, num. 4. 5. 6. 7. 4 8. Quocirca isthæc libens explicui, † vti commonstrarem Iudicem in ferenda sententia perpetuò sequi debere pœnas ordinarias, & in legibus cõstitutas: neque illas temere posse suo arbitratu augere, minuere, variare, inflectere aut infringere, sine euidenti maximáq; ratione secùs vrgente. Euidentes autem constitutionum rigorem inflectendi & minuendi rationes sint: Si delictum fuisset commissum ex ignorantia, imprudentia, casu fortuito, ebrietate, furore, phre-

netica paſsione, in neceſſaria defenſione corporis, ex inductione & perſuaſione alterius, aut ſimili quapiam occaſione: Si nulla præmeditatione, nullo ſtudio crimen fuiſſet excogitatum. Euidens verò conſtitutionum legalium formam intendendi augendique ratio fuerit, frequens eiuſdem delicti iteratio, aut plurium multorúmque criminum admiſsio. Aut ſi is veluti multorum criminum & criminoſorum caput & author plures ad ſimile facinus patrandum ſuaſu ſuo pertraxiſſet: aut minis coëgiſſet. † In extraordinarijs pœnis ferendis(quas diximus ex Iudicis dependere arbitrio)oportet eas Iudex expẽdat, non ex animi ſui religione& conſcientia, ſed ad ea, quæ ipſi non tanquam Petro aut Paulo, ſed tanquam Iudici innotuerunt,& probata ſunt, vulgata atque ſemper ad id allegata, l. Illicitas, §. Veritas, ff. de offici. præſid.c. Summopere,11.q.3 c.Iudicet,3.q 7.c. Iudicantem,30.q.5.c.1.cum gloſſ. in verb. Secundum quod Canones cenſent cũ multis concord. tam LL.quã cano,.ext.de offic. ordina Bald.in l. 2.C.de ſentẽ.ex breui.recitan. huius nec ineleganter meminit practicus inſignis & V.I.Doctor D.Henningus Goden,ſub procem. ſolennis & perutilis ordinis iudiciarij proceſſus. Cognouit enim Chriſtus adulteram mulierculam, ſibíque oblatam, ex lege, capitali punitioni fuiſſe obnoxiam. Cuius tamen damnare refugerat, quòd eiuſdem adulterij coram ipſo, vt Iudice conuicta non fuerat. † Iudicem ſemper commendat clementia. Ideóque † in leuibus potiſsimùm cauſsis, æquum eſt ipſum eſſe moderatum, facilem, & ab omni tyrannide alienum. Et vbi † partes ſiue materiæ obſcuræ ſunt & ancipites, conuenit eum ad abſoluendum, quam ad condemnandum eſſe procliuiorem, l. Arrianus, ff. de actio. & obliga. c. Veniam nunc, iuncta ibidem ſingulari gloſſ. in verb. Si faciendum, multas concord. continente, 35.q.9. In † enormibus verò delictis, ſingulas vniuerſaſq; legum conſtitutiones ad amuſſim obſeruet, oportet: Ita tamen, ne cubi ſibi, bonóque Iudici diſsimilis ſit, ſemper ſententiæ ferendæ clementiam, compaſsionemque commiſceat, argum. c. Diſciplina, & c. Omnis, 45. diſtinct. Atque in † omni condemnatione criminali, condemnationis cauſſam articulatim exprimat, neceſſum eſt: quod non † requirit ſententia defiuitiua ciuilis, teſtib. Bart, & Bald. in l. In ſumma, in princip. ff. de re iudica. necnon D. Lanfranco de Ariadno iuris vtriuſque interprete celeberrimo, in ſuo tract. Interlocutionum & appellationum, num. 77. quos occaſione emergente lubebit videre. Quinimò (vt multi autumãt) condemnandum ſuo conſpectui & præſentiæ priùs ſiſtat, oportet, quàm ſententiam pronuncier. Atque † ita paſsim receptum eſt in Flandria, excepto magno conſilio, in quo † conſuetum eſt, vt procuratorem generalem cum vno ſcribarum in carcerem ad maleficum tranſmittant, denunciaturos malefico ſuam ipſius condemnationẽ: quò is ſententiæ ſuper ſe latæ conſcius ſemetipſum paret, ad dignè chriſtianéque tempore & loco conſtitutis obeundum ſupplicium.

CAPVT LVI.

De

De ordinaria capitali punitione in Flandria.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 56

Punitiones capitales ordinariæ habent in Flandria 6. aut 7. 1

1 IN Flandria 6. aut 7. † habent punitiones capitales ordinarias. Prima & maxima harũ est, quæ simul & vitam, & opes vniuersas aufert. Proxima vitam duntaxat, non opes tollit. Tertia nec vita, nec opibus orbat: sed mutilationem, aut alicuius membri, vt pugni, auris, aut digiti decisionẽ præstat. Quarta est, quę publica fustigatione, flagellatione, & publico exilio plectit. Quinta est, perpetuum exilium cum confiscatione bonorum. Sexta fit installatione theatrali, aut simili publica exhibitione malefici in locis editis, quò is palàm omnibus exhibitus, saltem pudore recipiscat, & alijs incautis suæ vitãdæ nocentiæ testimonium ferat. Gandaui præterea vsurpare consueuerunt punitionem priuationis Iustitiæ siue legum immunitatis.

CAPVT LVII.

De ordinaria criminali punitione ciuili.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 57

Ordinariæ criminales punitiones ciuiles quæ dicantur. 1
Mulctæ, commoda iurisdictionis sunt. 2

1 ORdinariæ criminales † punitiones ciuiles, sunt mulctæ & pœnæ pecuniariæ, quas Principes ipsi instituerunt. Pœnæ
2 enim † & mulctæ sunt commoda iurisdictionis, not. Bart. in l. fin. ff. solu. matrimo. & Ludouicus Rom. consil. suo 70. incipiente: Visis themate & quæstione, in 4. colum. in vltimo dubio. Aut certè sunt peregrinationes & ablegationes breues & longinquę quæ scriptæ narrãtur in lib. Rubro.

CAPVT LVIII.

De exilijs siue bannis.

Summæ

Summæ rerum tractatarum in Commenta, CAP. 58

Exilium passim est vsitatissimum. 1
Exilio plectimus { *Extra ciuitatem,* / *Intra ciuitatem.* / *In constitutis locis,* } 2
Exilium cum confiscatione bonorum, par est morti ciuili. 3
Mors ciuilis, morti naturali similis. 4
Exilio damnamus { *Temporali,* / *Non temporali.* } 5
Exilia & emissiones, nomine sunt diuersa, re verò eadem. 6
Exilij tempus violans, iterato exilio damnandus. 7

1 VSitatissimum est † in Flandria puniri exilio. Est au-
2 tem † triplex exilij ratio. Alia, quæ extra ciuitatem pellit. Altera, quæ intra ciuitatem coarctat. Tertia, quæ in certo & constituto loco hominem adstringit. Intra ciuitatē exilio continemus eos, quorum præsentia Rei publicæ profuerit magis, quā absentia: quíve absentes officere magis, quam proficere possent. Pari ratione eos extra ciuitatem exilio damnamus, quos absentes cognoscimus fore magis vtiles foris, quàm in ciuitatibus. In constitutis verò locis, exilio arctamus eos (quod item vocari solent confinitionem) quos nolumus errabundos per diuersas regiones vagari, eóque lex siue magistratus ipsis exilij locum designat, veluti in Cypro, in Rhodo, Hungaria, alijsq; locis, volens, vt ibi permaneant, neque limites transiliant, Bart. in l. Relegatorū, §. Est quoddam genus, ff. de interd. & relegat. & deport. Bald. in l. Executorem, 8. colum num. 33. C. de execut. rei iudica. D. Abbas in c. Postulasti, 3. colum. nu. 10. ext. de foro compet. Necessum item fuerit, vt relegatus is sese cautè ab vlteriori malefício temperet, alioqui enim grauio
7 ri punitioni aut perpetuę pœnæ se deuinciret, l. Relegati in princip. ff. de
3 pœnis. Perpetuum † exilium cum bonorum confiscatione, in iure par & æquale habendū est cum ciuili morte, † quæque proxima est morti naturali siue corporali, §. Cùm autem, iuncta gloss. in verb. mortuo, & ibi
4 D. Angel. Aret. Institu. Quib. mod. ius patri. potest. soluit. & l. 1. §. Quidam filium, in fin. ff. de bono. poss. contra tabu. Cynus, & Bald. in l. Deo nobis, C. de episco. & cleri. Iustitiæ Flandriæ interdum plectunt exilio
5 temporali: † Interdum non temporali. Vbi notabis Gandensibus morem hunc esse, vt damnent exilio quinquagenario, & infrà. Brugēsibus verò consuetum est, exilium decernere ad certum temporis terminum: aliquando sine vllo temporis termino: quod idem faciunt & alia pleraque regionum multarum tribunalia, nullam confiscationem pronunciantia. In
6 magno † quoque consilio, nunc temporali exilio, nunc non temporali damnant, sed vbi nullum statuitur tempus, consequitur bonorum confiscatio. Quędam Iustitiæ Flandriæ vtuntur emissionibus siue ablegationibus, nullis exilijs: hæc tamē in eundem finem recidunt. Quisquis semel † certò tempore exilio damnatur, idque præmaturè violauerit, is iterato exilio remittitur ad aliud simi

le

le tempus: In quibuſdam verò locis tales perpetuò exilio relegantur, hoc eſt, deportantur. Et quicunque ita perpetuò exulant, ipſis conſtituitur exilij locus, Cyprus, Rhodus, Portugallia, aut ſimilis definitus locus, l. Relegati, l. Exilium, et l. Relegatorum ff. de interd. & relegat. et deport. hæc tantum de bannis & exilijs. Meruit tamen iſthæc exiliorum materia tum accuratiùs tum fuſiùs explicari: vtpote, quæ cunctis regionibus vſitatiſſima ſit, & pœna communis: verùm negotiorum vndæ, quibus conſtanter immerſus ſupra vires præmebar, tam dignо tractatui vlteriorem operam noſtram inuidebant. Quare hinc neceſſariò abſtractus ſuaſerim pio lectori, conſulat D. Nellum de ſancto Geminiano in tract. ſuo de Bannitis, vbi hanc materiam latiſsimè & digniſsimè perſequitur.

CAPVT LIX.

Qui excuſandi, non puniendi, ob delicta commiſſa.

Summæ rerum tractatarum in Comment. CAP. 59

1 *Regulariter delicta plectenda ſunt pœna delictis condigna.*

Huic regulæ non ſubſunt:

2 *Quibus caſus iuris patrocinantur,*
3 *Qui caſu, non meditata occaſione peccant,*
4 *Qui Phreneſi percitus maleficia committit,*
5 *Dormiendo lædentes,*
6 *Pupilli, & pueri impotentes,*
7 *Ebrietate planè ſepulti,*
8 *Ignoranter malè facientes,*
9 *Neceſsitate ſumma*
10 *Diuinis relationibus*
11 *Rerum ipſa æquitate*
12 *Graui metu periculi*
13 *AEqua, & rationabili defenſione*

} *Peccantes.*

PEractis hactenus formis, quibus nocentes legum conſtitutionibus grauamus, non ab re me facturum eſſe putaui, ſi maleficorum legitimas expurgationes adij cerem: quibus meritò lex, vſus, ratio, & neceſsitas patrocinari debent. Regulæ † itaque iuris ad pœnam quem 1 libet adſtringunt delictis condebitam, & conſtitutam: Fallit tamen iſthæc regula in omnibus caſibus, quibus † iura diſsimulât alterũ alteri licere offenſionẽ inferre, de quibus infrà ſuo loco dicetur: Fallit præterea in illis, quos † caſu delinquere contigit, quod itẽ mox infrà erit cernere. Rurſum fallit in † furioſis, phreneticis, aut amẽtib⁹, ſi quãdo tẽpore phreneſeos aut amẽtiæ peccaſſe eos compereris. Præterea à † regula tolluntur, qui dormientes

mientes, aut in somnis peccant: quòd id citra omne voluntatis arbitrium fiat, absque vlla facti noticia. Ad hæc 6 † excusandi sunt pupilli & pueri minorennes, & à delinquendi voluntaria malicia adhuc vacui. Adde ebrios, 7 † qui vino potúve alio adeò sepulti fuerint, vt quid fecerint, nesciant: nisi certè hanc ebrietatem astutia & studio quodam affectassent. Ignorantia quoque 8 † à regula & delictis excusat. Veluti si vxor cum viro in lecto suo reperto, quē germanum putauit esse maritum, mœchata fuerit. Excusat 9 † etiam extrema rerum necessitas: vtì post explicabitur in cap. de defensione coacta. Insuper ex 10 cusant † diuinæ reuelationes, quas tamen rarò contingere cernimus. Item 11 † res iustæ, siue ipsamet Iustitia, quæ Iudicis animum flectere possunt. Item † excusat grauis metus sibi infe- 12 rendi periculi. Postremò † excusat æ- 13 qua defensio, qua omne periculum strenue à proprio capite pellere, aut ab amicis arcere, aut à bonis suis, amicorumque suorum propulsare quis conatur, vti infra clarè doceberis. Hæc tantùm de maleficorum legitima expurgatione obiter dicta sufficiant.

CAPVT LX.

De capitalium & publicorum criminum multiplicitate.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 60

1 *Capitalium & publicorum criminum; Aliud*
- *Crimen læsæ Maiestatis* { *Diuinæ,* / *Humanæ.*
- *Homicidium.*
- *Latrocinium.*
- *Parricidium.*
- *Stuprum.*
- *Adulterium.*
- *Raptus.*
- *Zodomia.*
- *Vis publica.*
- *Prædatio.*
- *Incendium.*
- *Furtum.*

QVũ hactenus de criminosis (quatenus ad ipsorum accusationē, comprehensionē, torturam, aut expurgationem spectare, videbatur) nonnulla peregerimus, libuit hic ipsorum criminum varietatem paucis interserere, priusquam ad reliqua huius materiæ transeundum esset. Est 1 igitur † criminum, aliud crimen læsæ Maiestatis, aliud homicidium, latrocinium, parricidium, stuprum, adulterium, raptus, zodomia, vis publica, præda-

prædatio, incendium, furtum, atque huius generis penè crimina infinita: à quorum nomenclatura (quum sacræ Theologiæ & Iuris literæ, hæc copiosè & passim explicent) supersedeo. Cæterùm † crimen læsæ Maiestatis bifariàm finditur. Aliud est crimen læsę Maiestatis diuinæ: Aliud crimen læsę Maiestatis humanæ siue temporalis.

CAPVT LXI.

De crimine læsæ Maiestatis diuinæ.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 61

Crimen læsæ Maiestatis diuinæ, omnium criminum est grauissimum. 1

Parenti, Domino, Senatori, grauiùs peccatur, quàm *ignoto. ignoto. priuato.* 2

Pœnam conuenit delicto condignam esse. 3
Iudicem non æquum est esse mitiorem lege. 4
Clementiores multò leges sunt, quàm homines. 5
Diuina Maiestas alias occultè alias manifestè offenditur. 6
Occultorum solus Deus & cognitor & Iudex est. 7
Secretorum cognitio ad forum non pertinet humanum. 8

9 *Crimina læsæ Maiestatis diuinæ*
- *Blasphemia.*
- *Prævaricatio.*
- *Apostasia.*
- *Hæresis.*
- *Simonia.*
- *Sortilegium.*
- *Diuinatio.*
- *Incantatio &c.*

Blasphemia Deum obiectum habet: ideo peccatorum grauissimum. 10
Blasphemiæ discriptio ac eiusdem tres species. 11
Blasphemia in Deum, de iure ciuili capitalis est. 12
Blasphemia non dissimulanda. 13
Blasphemiæ altera descriptio, 14
Vltimum supplicium mortem interpretamur. 15
Clausula in fine posita, ad singula refertur præcedentia. 16
Blasphemantes quomodo de consuetudine puniantur. 17
Blasphemantes quomodo à iure canonico arceantur: remissiuè. 18
Blasphemia est mixti fori. 19
Iudices ambo (ecclesiasticus scilicet & secularis) ad eiusdem delicti punitionem aliquando concurrunt, 20
Blasphemantem non deferens, puniendus est. 21

Iracun-

{Iracundiæ / Ebrietatis} {prætextus an excusent? 22

Iracundia lacessita minuit, non tollit delictum. 23

Blasphemia tam factis, quàm verbis committitur. 24

Imagines serio malè tractantes, morti sunt obnoxij. 25

Non minus facta, quam verba loquuntur. 26

In blasphemantibus assuefactio imprimis attendenda. 27

Blasphemi antiquitus non opprimebantur. 28

Blasphemia quando dicatur publica? 29

Blasphemia ne maledicti quidem sunt incessendi. 30

Blasphemia idem cum maledicto secundum nonnullos. 31

Blasphemiæ pœna irrogatur remissior in Francia, atque in nostratibus regionibus. 32

Blasphemi quomodo puniti ex edicto Regis Philippi de Valloys. 33

Blasphemiæ In {Burgundia, Francia, Curijs magnatum,} admodum frequentes. 34

Prævaricatio Adamum protoparentem exegit paradiso. 35

Prævaricatores qui dicantur? 36

Prævaricator à quo dictus. 37

Prævaricator teste Vlpiano Iurisconsulto, quis dicatur. 38

Prævaricator secundum Marcellum Iurisconsultum, quis dicatur. 39

Prævaricatio qualiter probetur? remissiuè. 40

41 Apostasia {Elongatio, Defectio, Rebellio, Retrostatio, Retrocessio} Nuncupatur.

42 Apostasia trifaria {Perfidiæ, Inobedientiæ, Irregularitatis.}

Apostasia perfidiæ est. 43

Apostasia perfidiæ, vt hæresis puniendæ. 44

Apostasia inobedientiæ est. 45

Apostasia irregularitatis est. 46

Apostata irregularis quomodo puniendus? 47

Ecclesia non claudit gremium resipiscentibus. 48

Apostata, testis aut accusator esse nequit. 49

Hæresis quare cæteris criminibus grauior, & detestabilior. 50

Hæresis non immeritò crimen læsæ Maiestatis diuinæ appellatur. 51

Maiestatem æternam offendere grauius est, quàm temporalem. 52

Hæresi qui notandi sunt. 53

Hæreticæ prauitatis crimen plectendum est, non solum in plebeis &c. Verum etiam in Principibus, &c. 54

Hæresis crimen, habet duo extrema substantialia. 55
Hæretici quibus pœnis afficiendi? 56
Immisericors est misericordia, uni parcere, & omnes in discrimen adducere. 57
Hæretici puniuntur pœna ignis. 58
Consuetudo optima legum interpres. 59
Vbi maior est culpa, ibi grauior debet esse vindicta. 60
In hæreseos crimen non solùm verbo, verum & facto quis incidit. 61
Simonia est. 62
In simoniacos variè, idque arbitrariè animaduertitur per Iudicem ecclesiasticum: remissiuè. 63
Simoniacus quis sit? 64
Simoniæ vitio nostris temporibus multi illaqueati. 65
Et temporalia & spiritualia hodie exponuntur vænalia. 66
Simoniam non dicitur committere Papa, beneficia vel dignitates accepta pecunia conferens. 67
Papatus, apostolatus est. 68
Papæ licitum est quadrata æquare rotundis 69
Simonia, vnde nominis originem traxit. 70
Simoniacorum exitus terribiles: remissiuè. 71
Simonia & iure diuino & humano damnata. 72
Simonia triplex: remissiuè. 73
Simoniacè adeptorum beneficiorum fructus, cui restituendi? 74
Simoniacus, nullam potest in ea ecclesia offerre victimam Deo gratam. 75
Beneficium simoniacè adeptum vacare censetur. 76
Restitutio fructuum beneficij simoniacè obtenti, non est facienda canonicis. 77
Capitulum tantum administrare potest fructus, eósque in vsum pium conuertere. 78
Bonorum vsurariorum administratio reseruatur Episcopo, distribuenda pijs vsibus. 79
Sortilegium quid sit, generaliter sumpto vocabulo. 80
Sortilegi, Diuinatores, Malefici. } *Hostes humanæ salutis, & humani generis inimici credendi sunt.* 81
Sortilegus proprie quis dicatur? 82
Sortilegia plerunque sub falsa religionis imagine fieri sueuerunt. 83
Sortilegium vnde vocabulum duxit? 84
Sortilegia per quos fuerint prius inuenta? 85
86 *Sortilegiorum diuersæ species* { *Diuinatoria, Amatoria, Venefica.*
Diuinationis species sunt variæ. 87
Qua pœna plectendus, qui poculo amatorio porrecto, aut malè compositio, aut malè temperato, alterius bibentis sustulerit vitam? 88
Pœna vltimi supplicij punitur quis quandoque pro homicidio, sine dolo ac intentione aliqua occidendi commisso, contra dispositionem iuris communis. 89
Qua pœna afficiendus, quando non fuit subsecuta mors, sed alius turpis affectus? 90
Malefici sola carminis potentia homines nonnunquam interimunt. 91

Cuius est condere eiusdem est & soluere. 92
Cuius est condemnandi facultas, eius est absoluendi libertas. 93
Nihil tam naturaliter connexum, quod eodem genere dissolui non possit. 94
Sanare hic & morbos inferre, eiusdem sunt artificij. 95
Dæmon secretorum morborum, ac rerum naturalium peritissimus. 96
Remedia aduersum maleficia, iure ciuili nequaquam reprobata. 97
Iure Pontificio non licet maleficiatum contrarijs maleficijs liberare 98
Diuinatio inter cæteras obtinet principatum. 99
Sortilegi & Necromantici suis superstitionibus fidem asserturi, futura pronunciant. 100

101 *Diuinationum 4. sunt species* { *Geomantia* / *Hydromantia.* / *Pyromantia,* / *Aëromantia,* } *Hinc dicti* { *Geomanti.* / *Hydromanti.* / *Pyromanti.* / *Aëromanti.* }

102 *Professorum, Alij* { *Diuini* / *Incantatores* / *Harioli* / *Haruspices* / *Augures* / *Phitonissæ* / *Astrologi* / *Genethliaci* / *Salitores* / *Necromantici* } *Dicuntur.*

Necromantia vnde dicta? 103
Hinc necromantes vel necromantici 104
In necromantia cruor aquæ miscetur: demones enim cruore delectari feruntur. 105
Professores siue magistri 2. & 3. speciei sortilegiorum, qui sint. 106
Maleficos vocamus, ob facinorum enormitatem, 107
Magistri artis amatoriæ, & veneficæ, iure ciuili æquiparantur 108

109 *Sortilegorum professio duplex* { *Tacita.* / *Expressa* { *Solennis siue publica.* / *Priuata.* }

Tacita professio est. 110
Professio tacita, quare sic dicta? 111
Expressa professio est 112
Expressa professio duplex. 113
Expressa professio solennis, siue publica est, 114
Expressa professio priuata est. 115
Satanas in hoc totis incumbit, vt adoretur quasi Deus 116
Quibus locis, quibúsue temporibus, sortilegia fieri consueuerunt? 117
Sortilegi, hisque similes alij, vbi conuenire soleant? 118

Syluestribus

119 *Sortilegia plerumque fiunt in locis*
- *Syluestribus.*
- *Occultis.*
- *Subterraneis.*
- *Ab hominum conuersatione remotis.*
- *Longè dissitis.*
- *In caducis castellis & desertis.*
- *Semper in intempestæ noctis tenebris.*

Qui male agit, odit lucem. 120

Satanas, virtutum, bonorum operum, veritatisque aduersarius infestissimus. 121

122 *Satanas mendax* { *Inuentor* / *Author* } *mendacij, Amat* { *Tenebras,* / *Loca obscura,* / *Sordida.* }

Sortilegia cur nocte potiùs, quàm interdiu fiant. 123

Sortilegi, quibus { *Rebus* / *Signis* / *Instrumentis* / *Mixturis* / *Compositionibus* / *Ligaturis* / *Characteribus* / *Figuris* } *vtuntur?* 124

Malefici in manibus publicæ iustitiæ existentes, & incarcerati, cur non faciant se deferri, ac indè liberari per ministerium dæmonis, ad mortem euitandam? 125

Dæmon eorum mortem, quos habet subiectos, optat: quò prædam eos habeat tutam. 126

Malefici incarcerati cur euadere nequeãt, quòd tum diuina iustitia non permittat dæmonem in eos suam naturalem exercere potentiam. 127

Maleficis vnde potestas tanta? 128

Potestas omnis à domino Deo est. 129

Neque dæmones, neque maleficæ quicquam facere possunt, nisi Omnipotens consentiat, potestatemque faciendi concedat, quod iam peruersa voluntate facere decreuerunt. 130

Maleficæ quicquid moliuntur, non hominis dæmonisque potentiæ id solùm asscribendum: sed diuino permissu id totum peragi credendum est. 131

Diabolus cum sit superbissimus, Deo cupit in omnibus quam simillimus esse. 132

Effectuum omnium necromanticorum & maleficorum operator diabolus, per applicationem mediorum, opus producit optatum: quod fit aliquando realiter, aliquando solum apparenter. 133

Maleficæ mulieres, notas quasdam & signa symbolica à dæmonibus recipiunt, quibus excuti dæmones mox profiliunt. 134

Maleficarum stulta credulitate nihil efficacius in operationibus dæmonum: quæ pactis votisque augetur. 135

Maleficæ rebus vtuntur ad maleficium sibi notis & familiaribus. 136

Malefici non sunt vspiam tolerandi, sed vbiuis locorum tollendi funditus. 137

Maleficos non patieris viuere. 138
Mulieres cur Magis sint idoneæ ad maleficia quam viri: remißiuè. 139
Cur potius virgines quàm corruptæ: remißiuè. 140
Cur plures mullires sunt maleficæ, quàm viri malefici: remißiuè. 141

Dæmonum, Alij — *Aërij, Ignei, Aquatici, Terrestres, Subterranei. Lucifugi.* — *A locis quibus sunt addicti, aut à malitiæ natura, appellationes eas habentes.* 142

Maleficarum potestas tota dæmonibus, à Domino Deo limitata conceditur. 143



Grauissi-

1 GRauiſsimum & omnium† crimi
num maximum eſt, Crimen læ-
ſæ Maieſtatis diuinæ: cùm longe grauiùs ſit æternam, quàm temporalem offendere Maieſtatem, Authent. Gazaros, C. de hæreti. & Manichæ. & in Authen. De ſtatutis & conſuetudinib. cõtra libertates eccleſiæ editis, §. Gazaros, colla. 10. conſtitu. fin. vnde dicta Authen. deſumpta eſt: quæ quidem verba etiam legimus canonizata in c. Vergentes in ſenium, ext. eod. 4
tit. de hæreti. & ibi notab. gloſ. in verb. grauiùs, c. Sicut qui eccleſiam, & ibi ſing. gloſ. in verb. grauiùs, 17. q. 5
4. Maius, (inquit,) peccatum eſt, quod in Deum committitur, quàm quod in hominem, quia quod in Deitatem, aut in religionem diuinam committi 6
tur, in omnium fertur iniuriam: ac publicum crimen committitur, l. Manichæos, verſus exordium, C. de hæret. & Manichæ. c. Cùm ſecundum leges, eod. tit. lib. 6. Prætereà quãtò dignior eſt perſona cui peccatur: tantò grauius eſt peccantis delictum, vt legitur & notatur in c. 1. de calumniato. text. gloſ. & Panor. in c. Cùm illorum, ext. de ſenten. excõmuni. text. in §. Atrox, inſtitu. de iniur. Aliter enim delinquit ac† punitur, qui quid in 2
dominũ parentéve auſus eſt, quàm qui in extraneum: In Magiſtratum, 9
quàm in priuatum: Ita textus in l. Aut facta, §. Perſona, ff. de pœnis. Si ergo enormius eſt delictum in Deũ, quàm 10
in quemcunque hominem, text. in d. c Vergentes in ſenium, conſequitur id ipſum omnium grauiſsimè eſſe plectendum. Nam† pœna conuenit deli- 3
cto eſſe conformem, vt per hæc verba dicit textus elegans & philoſophicus in l. Reſpiciendum, in fronte ſui, ff. de pœnis: Reſpiciendum cautè iudicanti fuerit, ne quid, aut duriùs, aut remiſsiùs conſtituat, quàm cauſſa depoſcit. Nec enim aut ſeueritatis, aut clementiæ gloria affectanda eſt: ſed perpenſo iudicio, prout quæque res expoſtulat, cuncta ſtatuenda ſunt: & dicit text. in c. Fœlicis, de pœnis, in 6. poſt multa verba: Proportionetur pœna delicto, ita vt vindicta ex æquo exceſſu reſpondẽte ab offenſa noſtrorum cohibeantur deinceps &c. nec enim delictum, non delictum: vel non crimen, crimen facere debemus. Nec
† Iudex debet eſſe mitior lege (inquit textus in §. Oportet, in Authen. de iudicib. colla. 6.) Illud eſt quod dicimus quòd† mitiùs agitur cum lege, quàm cum homine: clementiúſque iudicãt leges, quàm homines: & multò ſunt clementiores leges, quàm homines, in l. Celſus, ff. de arbit. Cæterùm† diuina ipſa Maieſtas, aliàs occultè, aliàs manifeſtè offenditur: quia† tamen occultorum ſiue ſecretorum ſolus Deus, & cognitor & Iudex eſt, † ipſorum cognitio ad forum non pertinet humanum, c. Vnico, §. Porrò. Vt eccleſ. benefi. ſine dimi. conferan. c. Sicut, ext. de Simon. c. Erubeſcant, in fin. 32. diſtinct. coniuncta ibidem memorabili gloſ. in verb. Secretorum. De his igitur, per quæ ipſam diuinam Maieſtatem palàm offendunt, præſens aget capitulum: atque eiuſmodi ſunt, blaſphemia, † præuaricatio, apoſtaſia, hæreſis, ſimonia, ſortilegium, diuinatio, incantatio, atque id genus ſimilia. † Blaſphemia Deum ipſum obiectum habet: ideo peccatorum eſt grauiſsimum, vti & hinc quoque liquet, quòd Luciferũ creaturarum omnium nobiliſsimum ilicò cum ſuis expulit cœlo. Eſt † igitur Blaſphemia, Deo attribuere, vel de Deo aliquid dicere, quod Deo non conuenit: vel Deo adimere, quod ipſi proprium eſt, aliquáve verba in eius ſanctos, & maximè Beatam Virginem

publicè & contumelioſè proferre: quæ quidem deſcriptio probatur in c. Si quis per capillum, 22.q. 1. & in c. Statuimus, & ibi Doct. ext. de maledi. Colligitur igitur tres eſſe ſpecies blaſphemiæ. Prima, quum Deo attribuitur, quod ei non conuenit, vt impotẽtia, iniuſtitia, crudelitas, malitia, mẽbra humana & huiuſmodi. Nam quamuis Dei Filius humanam carnem pro nobis aſſumpſerit membra habentem. Deus tamen in ſe incorporeus eſt, omninoq; ſimplex. Secunda blaſphemiæ ſpecies eſt: quum Deo adimitur, quod ipſi propriè conuenit vt omnium rerum prouidentia & præſcientia, iuſtitia, bonitas, miſericordia, omnipotentia. Sic negare Dei filium non eſſe verum hominem factum: aut non eſſe in Euchariſtiæ ſacramento, aut non odiſſe peccatum. Tertia ſpecies, quando creaturæ attribuitur, quod Deo appropriatur, vt quod imago creata, ſit Deus: quod imago det gratiam, quod creatura aliqua ex ſe pronunciet futura ſoli Deo nota, vt circa ſuperſtitiones interdum fieri ſolet. Blaſphemia † in
12 Deum, de iure ciuili, pœna mortis punitur, text. eſt apertiſsimus in Authent. vt non luxu. contra natu. colla. 6. quæ pœna meritò infligitur: quia
13 †illius diſsimulare non debemus opprobrium, qui probra noſtra deleuit c. In nonnullis, ext. de Iudæis, Sarace. & eo. ſeruis. Minuenda ſic fuerit ſuperior definitio: † Blaſphemia inſuper fit, quoties quis deliberato animo, de Deo omnium noſtrum creatore ac redemptore, maledica lingua quippiam indignum effutiuerit. Et animaduertite, quod text. in d. Authent. vt non luxur. cont. natu. in fin. vbi narrauit enormitatem nonnullorum criminum, ſubiungit: præcipimus enim glorioſiſsimo Præfecto regiæ ciuitatis, permanentes in prædictis illicitis & impijs actibus comprehendere & vltimis ſubdere ſuppli-
15 cijs. Quæ †verba ſecundum gloſ. ibidem in verb. ſupplicijs, intelliguntur de morte, ſecundum vulgatum text. in l. Vltimum ſupplicium mortem ſolam interpretamur, ff. de pœnis. Et ſi argutus quiſpiam dicat, quòd ſolùm ille verſiculus referatur ad Sodomitam (de quo verè dicitur, quòd morte mulctandus eſt) & non ad blaſphemantem: Dico, quòd iſtud tollitur. Nam cùm ſupra in d. tit. fuerit locutus Imperator, tam de Sodomitis, quàm de blaſphemantibus, verſiculus ille pòſt ad finem adiectus, refe-
16 rendus eſt ad vtrunque: clauſula † enim in fine poſita, ad ſingula refertur præcedentia, teſte D. Bart. in l. fin. ff. de reb. dub. & l. Prætor ait, 2. ff. vi bono. rap. Abbas in c. Secundo requiris ext. de appella. gloſ. & Doct. in c. Cùm dilecti, de donat. Imò plus voluit Bart. in l. Talis ſcriptura, §. Hanc autem, ff. de lega. 1. quòd referatur ad præcedentia, etiam ſi ſit clauſula oneroſa. Huic ſeruit quod notat Abbas per gloſ. ibi notabi. in c. De multa, in 5. colum. de præbend. dicens: Quòd ſi poſt conſtitutionem aliquid adijciatur, omnia ſupradicta habent locum in illo poſtremum adiecto: faciunt quæ habentur in l. Et ſi pepercerit, §. Filius, ff. de liber. & poſthu. & l. Si ſeruus plurium, §. fin. ff. de lega. 1. Item quòd dicta pœna vltimi ſupplicij habeat locum in blaſphemia, ſuffragatur illud dictum præcitati Authent. circa medium, ibi: Si contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur, multò magis, qui

ipſum

ipsum Deum blasphemãt, digni sunt supplicia sustinere, subiũgendo postmodum circa finem: ne ex cõtemptu talium inueniatur & ciuitas, & Respublica, per hos impios actus lædi: & pro illa æquiparatione hominis ad Deum, facit text. in simili, in c. Viduas, in versic. Si enim. 27. q. 1. ad idẽ in eadem quæstione, c. 1. A maiori igitur ad minus infertur, blasphemantem 17 †mortem sustinere necessum esse Blasphemiam verò in Christi seruatoris uostri Virginẽ matrem euomens, in pellerinam, seu consimilem editum locum subreptus statuitur: vbi blasphemantis lingua candẽti ferramento pertunditur: deinde exilio quoque damnatur, siue alia simili pœna arbitraria Iudicis. Simile quoque supplicium sumendum de ijs, qui blasphemant in Sanctos ac Diuos Christi electos: & hæc de consuetudine. Quãuis enim blasphemia, propriè fit bonitati & excellentiæ præcipuè diuinæ derogare & conuiciari, tamen sicut Deus in sanctis laudatur, quatenus laudantur opera, quæ Deus in sanctos efficit: ita & blasphemia, quæ 18 fit in sanctos, in Deum redundat. †Si quispiam verò scire desiderauerit, quomodo blasphemantes à iure canonico arceantur siue plectãtur, confugiat is ad c. Statuimus, ext. de maledi. Vbi †monstratur blasphemiam 19 esse mixtum crimen, siue mixti fori: eóque non minùs seculari, quàm canonico iure puniendam. Et ibidem D. Panorm. num. 4. citat casum, 20 quo † ambo Iudices (ecclesiasticus scilicet & secularis) ad eiusdem delicti punitionem concurrunt: adeò, vt à seculari irrogata malefico pœna, non præscribat ecclesiastico pœnam quoque inferendam, nec contra, vti ibidem videre fuerit. Præterea blasphemia crimen est nulli vnquam piorum hominum dissimulandum aut tacendum, quin potiùs quàm citissimè prodendum, iuxta text. in c. Nonnulli, vbi Doct. not. 21 ext. de Iudæis Adeò † quòd blasphemantem non deferens, ipse tanquam maleficus blasphemanti consentiens, puniendus esset, text. in c. Si quis per capillum, 22. quæ. 1. versus medium, ibi, Si quis autem talem hominem non manifestauerit, non est dubium, quin diuina condemnatione coërceatur. 22 Nec † blasphemantem excusat aliquis iracundiæ aut ebrietatis prætextus. Nisi ex aliqua passione in verba imaginata quis subitò prorumpat, quorum significationem non considerat, tunc enim huiuscemodi verba non habent propriè rationem blasphemiæ, hinc & peccatum veniale tantum esse aiunt Theologi. Si verò aduertit hoc esse blasphemiam, considerans verborum significata, non excusatur: Sicut nec ille qui ex subitò motũ iræ aliquem occi- 23 dit penes se sedentem. † Nam licet iracundia lacessita soleat delicti pœnam minuere, non tamen efficit, quin maneat delictum, per ea quæ no. in l. Si non conuicij, C. de iniurijs, in c. Si quis iratus, per Doct. ibi, 2. q. 3. & quod habetur in l. Iurisiurandi, C. de reb. credi. & in l. Quicquid calore, ff. de re. iuris. Ebrietas quoque pariformiter non excusat delictum, licèt diminuat siue leniat pœnam, vt probat text. in l. Omne delictum, ff. de re milita. ibi: per vinum aut lasciuiam lapsis capitalis pœna re-

mittenda est, & militiæ mutatio irroganda est, & text. in c. Sanè, & in c. Inebriauerunt, 15.q.1. Hinc vulgò
24 dici solet: † Quòd ebrietas excusat culpam à tanto: sed non à toto. Cæte-
25 rùm † notandum est, quòd non modò verbis, sed etiã factis blasphemia committitur. Veluti, si quis Sanctorum imagines seriò verberet, conscindat, vel in terrã proijciat: sicut habet textus à contrario sensu in l. Non contrahit, ff. ad l. Iul. Maiest. ibi, Nec qui lapide iactato incertò, statuam fortuitò attigerit, crimen Maiestatis commisit: ergo si seriò fecisset, & non fortuitò, bene cõmisisset: imò plus probat text. in c. Si canonici. in §. Cæterũ, de offic. ordi. li. 6. Quòd percutiens tales imagines, etiam non seriò, grauiter punitur. Ita reprehendit per hæc verba: Cæterùm detestabilem abusum, horrendæ indeuotionis illorũ, qui crucis, beatæ Marię Virginis, alio
26 rumque Sanctorum imagines, seu statuas irreuerenti ausu tractantes, eas in aggrauationem cessationis huiusmodi prosternũt in terram, & vrticis spinisque supponunt, penitùs reprobantes: aliquid tale fieri de cætero districtius prohibemus, statuentes, vt in eos qui contrafecerint, vltrix procedat dura sententia: quæ delinquentes sic puniat grauiter, vt alios à similium præsumptione compescat. & ibi glos. in verb. Indeuotionis declarat, quòd tales imagines debemus adorare, & qua adoratione, ibi etiam Dominicus de sancto Geminiano referẽs Lapum, quòd tantam imaginibus reuerentiam debeamus, quantam illis qui per imagines designãtur: vnde dicerẽ, seriò superiori modo imagines tractantes, morti obnoxios esse per text.
27 vulgatum. in l. Ex senatusconsulto, ff. Ad l. Cornel. de fica. qui sic habet: ex senatusconsulto, eiusdem legis pœna damnari iubetur, qui mala sacrificia fecerit, habuerit: quod satis verificatur in illo (meo tenui iudicio) qui tali modo supradicto, res sacras tractauerit. Quin & Ang. ibidem expressè per illum text. tenet, tale delictum morte puniendum: etiamsi referat, aliàs in facto solum manum delinquentis fuisse abscissam. & idem Angel. in sua disputatione, quæ incipit: refulgenti delitiorum, fortiter contendit, quod ad euadendam supradictam pœnam, nulla hominum dignitas quicquam excusat. Alibi Imperator idem impietatis flagitium stricta pœna verbisque asperrimis prohibet in l. Vnica, iuncta ibi glos. in verb. grauissima, & in Rubro, C. Nemini licere signum setuatoris Christi, etc. & ibi Salic. aduersum religiosos id permittentes. Ex superioribus igitur
26 iam palàm est, † Blasphemiam non modo dictis, verùm & factis, multifariàm committi. Nam iuxta tritam sententiam, Non minùs facta, quàm verba loquuntur, l. Paulus, in exordio, ff. rem rat. haberi. Quo circa conclusiuè nunc dicimus, quisquis huiusmodi blasphemiæ detestandum delictum, data opera seriò ex consuetudine & publicè commiserit, iure optimo ad mortem posse damnari: Imò capitis vltimo supplicio plectẽdus est. Ita affirmant & concludunt Doctor. in c. fin. extr. de maledi. post Cynum, & Petrum in l. 2. C. de reb. cred. Bald. & Salice. in l. 2. C. ad l. Iul. Maiesta. & post istos D. Francisc. Mignon in Commentarijs super Consuetudinibus Andegauensib. tit. *De la punition des crimes*, arti-
27 culo clxxxij. num. 17, dicens in † istis admodum assuefactionem attendi oportere, teste Paulo Castr. in l. Qui per salutem, ff. de iureiuran. Huic seruit

28 ſeruit illud Leuitici cap. 24. Educt blaſphemum extra caſtra, & lapidet eum populus vniuerſus, & ita antiquitus blaphemi opprimebantur lapidibus, Numeri c. 4. Nec ſemel vel bis id faciendo, deberet puniri pœna mortis, ſed alia graui pœna nõ tam magna, vt ibi habetur in dictis iurib. Tamẽ iſtud intelligitur de blaſphemia publica, & non ſimpliciter, vt
29 habetur in præallegatis iurib. Et † dicitur publica, quãdo eſt vulgatiſsima & per quam multi conſpiciẽtes ſcandalizati ſunt. Qui igitur hoc frequenter commiſerit: de quo eſt text. in c. fin. 26. q. 6. ibi, publicum & vulgatiſsimum crimen eſt, quod vniuerſam commouerit vrbem: & quod habetur in l. 3. in princip. C. de ſumma Tri. & fide catho in l. Palàm, ff. de verbo. ſignific. vel alio modo poteſt dici blaſphemia publica, quando eſt notoria iuris vel de iure: vt quia blaſphemus conuictus & condemnatus in iudicio vel facti aut de facto, iuxta notata in c. Veſtra, de cohabita. clerico. & mulier. Panor. in c. Statuimus, extr. de maledicis, num. 7. & c. fin. ext. de co-
30 habit. cleri. & mulier. † Enormitatem quoque ſupra ea quæ antè monſtrauimus vel hinc cognoſcere licet, quòd ne maledictione quidem dignos, æternoq; inferni ſupplicio addictos, maledica blaſphemia inceſſere licet, vt eſt text. in c Si igitur, 24. q. 3. Si igitur (dicit text.) S. Michaël non fuerit auſus diabolo, & certè maledictione omni digniſsimo, iudicium inferre blaſphemiæ, quantò magis nos ab omni maledicto, potiſsimùm Dei, electorumq; ipſius, oportet eſſe puriſsimos? Merebatur profectò diabolus maledictũ: ſed per os Archangeli blaſphemia exire non debuit: quo quidem textu volunt Doctorum
31 nonnulli, idem eſſe † blaſphemiam cum maledicto. Cæterùm hic obſer-
32 uandum eſt, † remiſsiorem irrogari blaſphemiæ pœnam in Francia, atque in noſtratibus regionibus: quandoquidem ibidem ab anno Domini 1347. ex edicto Regis Philippi de Va-
33 lois, † Blaſphemantes in Deum, aut virginem ſuam Matrem, primo blaſphemiæ crimine proponuntur populo in publica pellerina vſque ad meridiem: à meridie per plateas & vicatim circunducuntur, & à nebulonibus omni ſpurcitiæ genere conſperguntur: nullo mortis genere, imò nulla alia interim corporali pœna affecti: niſi quòd aliquandiu poſteà inędia cum panis & aquæ paucitate torqueantur. Si verò blaſphemiam iterent, nondum ſatis correpti iſthac infamia, duobus locis iuſsit ipſorum incidi inferius labrum in iuſtitiali theatro. Tertia blaſphemia ſuperius labrum incidit. Quarta blaſphemia in-
34 tegram concidit maxillã. Has † duntaxat punitiones clemẽtiſsimus Rex conſtituit in iſtos nefarios blaſphemos: qui in Burgundia apud Burgundos: & in Francia apud Francos: & etiam in Curijs magnatum (quod lamentandum eſt) admodum frequentes ſunt, vt norunt qui ibidem habitauerunt aut frequentauerunt. Ad huius quoque Philippi regis clementiam, viſus eſt voluiſſe edictum ſuum ſtatuere clementiſs. Imper. noſter Carolus V. quod edidit anno 31. quo blaſphemos carcerali anguſtia in fame & ſiti menſem vnum puniri iuſsit: poſt hanc pœnam, eos quoque qui blaſphemiam protulerint, iuſsit præterea in pellerinam ſubuectos linguæ pertuſione candenti ferro ſine diſsimulatione puniri. Si quis verò prolixiùs blaſphemiæ materiam rimari deſideret, perlegat tractatum pulcherrimum & eruditione refer-

tum ingeniosissimi Docto. D. Ludouici Montalti Syracusij, super Reprobatione sententiæ Pilati: necnon Beatum Thomam in secunda, 2. q. 13. ar-
35 ticulis 1. 2. & 3. † PRAEVARICATIO Adamum protoparentem exegit paradiso. Ideo Adam præuaricator dicitur, quod à recto discesserit. Est enim præuaricari, secundum Theologos, à lege Dei, quæ rectissima est, à præscripto sui officij, quocunque modo deflectere, quanquam in forensibus litibus aliter ac-
36 cipiatur. Nam † præuaricatores dicuntur, qui vera crimina fraudulen-
37 ter occultant: hinc † præuaricator à varicando, hoc est, transgrediendo dictus est, qui ab officij sui præscripto deflectit atque aberrat: vel, vt Vlpiano Iurisconsultorum Iurisconsultissimo placet, Præuaricator
38 † est quasi varicator, qui diuersam partem adiuuat, prodita causa sua: quod nomen Labeo à varia certatione tractum sensit, l. 1. & per vniuersum titulum. ff. de præuaricato. Et Marcellus I. C. in l. 1. §. Præuaricatorem, & ibi Bartol. & alij Scribentes, ff. Ad S. C. Turpilia.
39 † Præuaricatorem fuisse scribit eum, qui colluderet cum reo, & translatitio munere accusandi defungeretur: eò quòd proprias quidem probationes dissimularet, falsas verò accusationes admitteret. Cic. pro Clien. An vt præuaricaretur? iam id quoque ad corrumpendum iudicium perti-
40 net. † Qualiter autem probetur præuaricatio, videbitis apud Bart. & eius sequaces in d. §. Præuaricatorē, num. 4. His additur, quòd præuaricatores quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus: Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato: ignéque succensæ comburentur vsque ad nihilum, 2. Reg. 23. Quo nam pacto in veteri testamento, iure canonico, & ciuili veniant puniendi, satis abundè liquet ex supra allegatis, atque hoc loco, studio breuitatis, omissis.
41 † APOSTASIA, elongatio, defectio, rebellio nuncupatur: Aut secundum nonnullos retrostatio, aut retrocessio, c. Nō obseruetis, & c. vlt. 26. q. vlt.
42 Et † est trifaria. Prima, apostasia
43 † perfidiæ, per quam quis recedit à fide, c. Non potest, 2. q. 7. Et hæc procul
44 dubio, † vt hæresis, venit punienda, Panormitano post Hostiensem teste, in c. 1. num. 3. ext. de apostat. Alia apo-
45 stasia † inobedientiæ, id est, obedientiæ rebellio, siue à sacra & promissa obedientia defectio, qualis fuit primorum parentum Adæ & Euæ præ-
46 uaricatio. † Similiter eorum qui sacra Ecclesiæ decreta peruicaci animo spernentes, à sese excutiunt, c. Si quis venerit, & c. Illud, ext. de maior. & obedien. Præterea hoc apostasiæ crimen etiam incidunt, quicunque canonicatus aut monachatus decreta solenni voto & obseruatione recepta procaciter, citra vllam pontificiam dispensationem, violant, relinquunt
47 & deserunt: † quod solent apostasiam irregularitatis appellare, c. 1. & ibi Panormi. & scribentes, ext. de apostat. & c. vlt. 50. distinct. Ideoque tales vti infames, puniendos censuerunt leges squalore carceris: donec resipuisse noscantur, & constantem obedien-
48 tiam denuò spoponderint: quo † casu ab apostasiæ crimine leuandi sunt, & prioribus obedientiæ tradendi regulis, c. A nobis, ext. de apost. iunct. glos. fi. ibi in verb. resipiscant. Ecclesia enim (inquit) nō claudit gremium redeuntibus & resipiscentibus, l. Inter claras, in fin. C. de sum. Trinitate, & fid. catho. atque D. Paul. Grillan. in suo tract. de hæret. num. 8. lib. 1. Et præfatæ diuisionis trimembris

per-

perſpicuè meminit gloſſ. celebris in verb. apoſtaſia, in d.c.1.ext. de apoſta. quæ quidem gloſſ. in fine ſui, etiam
49 †ſuſtinet apoſtatam teſtem eſſe, aut alium accuſare non poſſe, c. Beatus
9 & c. Si quis à vero, 3. q. 4. Inter crimina quæ animaduerſione digna ſunt,
50 HAERESIS † eſt grauius & cæteris deteſtabilius: eò quod directò contra ipſum creatorem Deum omnipotentem patratur, eius omnipotentiæ detrahendo, negando illius diuinitatem, vt habetur in c. 1. de ſum. Trinita. & fid. catho. & l. 1. C. eod. tit. & c. Ad abolendam, de hæret. Non immeritò igitur appellatur crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, † ex quo directò tēdit in læſionem & præiudicium
51 diuinæ poteſtatis, d. c. Ad abolendam, & c. Vergentis, eod. tit. Longè
52 † enim grauius eſt æternam, quàm temporalem Maieſtatem offendere, c. Non offeramus, 24. q. 1. & d. c. Ver
53 gentis. Hæreſi itaque † notandi ſunt, quicunque in fide pertinaciter vacillant, qui ſe ab orthodoxa Eccleſia auertunt & ſeparant: qui cum ſancta, orthodoxa, & catholica fide pugnantia ingerunt & docent: aut qui falſam hæreſeos opinionem tuentur, contra chriſtianæ religionis fidem, c. 1. & ibi Abb. & Doct. ext. de hæreti. ſæpe citato, c. Ad abolendam, c. Inter hæreſim, & c. Hęreticus, 24. q 3. & l. Quicunque, §. vlt. C. de hęreti. Quinque igitur requiruntur vt aliquis propriè dicatur hæreticus, I. vt ſit error in ratione. II. Vt error ille ſit contra ea quę determinationem Eccleſię, in his quę ſpectant ad fidē & bonos mores. III. Vt huiuſmodi error ſit in illo qui chriſtianam catholicam & profeſſus eſt religionem, alias Iudęus, Turca aut Paganus diceretur, IIII. vt huiuſmodi errans aliquā contineatur de Chriſto veritatem, quæ ſpectat ad ipſius humanitatem vel diuinitatem. Quoniam ſi totum fidei ſymbolum & chriſtianam fidem abnegaret, non hæreticus, ſed apoſtata cenſeretur. V. vt huiusmodi errorem pertinaci & obſtinata mente eligat & ſequatur. Vnde D. Auguſtinus 24. q. 3. c. dixit apoſtolus. Si qui ſententiam ſuam quamuis falſam atque peruerſam nulla pertinaci animoſitate defendunt: præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis peperierint, ſed à ſeductis atque in errorem lapſis parentibus acceperūt: quęrunt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi parati cum inuenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos depu
54 tandi. Hoc itaque † hæreticæ prauitatis crimen plectendum eſt, non ſolùm in plebeijs, & infimæ ſortis homunculis, verùm etiam in Principibus, Regibus, Imperatoribus, Prælatis, Epiſcopis, & Pontificibus. Curia tamen ſpiritualis ſiue eccleſia proceſſum peragit. Iuſticia verò ſecularis proceſſum abſolutum & iudicatum exequitur, d. c. Ad abolendam, & ibi Panor. num. 7. & 12. & c. Excommunicamus, 2. ext. de hæreti. &c. Vt officium, & c. Cùm ſecundum leges, eod tit. de hæret. lib. 6. Vt vt iſthæc iura præſcribant, eò tamen (nec iniuria) nos vſus perduxit, vt conſilia & tribunalia quæuis ſecularia paſsim non ſolum hæreſeos executionem: verùm & cauſæ cognitionem, & ſententiæ prolationē aſſumant. † Quod
55 quidem hæreſis crimen habet duo extrema ſubſtantialia, ſine quibus id eſſe non poteſt. Alterum eſt, quod reſpicit hæreſis initium, & hoc ſubſtantiale eſt error in ratione: ſuppleueris tu, quòd ſit error circa ea quæ ſunt fidei, non circa alia. Alterum verò extremum eſt; quod reſpicit complementum, quod eſt pertinacia in voluntate,

luntate,c.Dixit,24. q.3. huius meminit D. Paulus Grillandus, de hæreticis lib. 1. num. 6. Sed hæretici quibus pœnis † plectendi? Augustinus
56 ad Bonifacium refert,singulos hæreticos decem libris auri mulctari. Gelasius Papa exilio damnauit hæreticos. Hieronymus docet resecandas esse putridas carnes,ita inquiens: Re secandæ sunt putridę carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, & corpus & pecora ardeant, corrumpantur, pu-58
57 trescant,& intereant. Et infrà:† Quæ est ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? Et Beatus Ambrosius hæresis, velut quædam hydra fabularum, vul-59 neribus suis excreuit, quæ quantò sæpiùs succiditur, tantò copiosiùs succrescit & pullulat,igni debitè, incendióque peritura. Augustinus lib. 2. Contra Gaudentij epistolam,de hæreticis inquit: Hoc hominum genus per Imperatoriam curam corrigi debet. Et super Ioan. ad longum docet, Imperatores & Principes catholicos benefacere,quòd vtantur gladio contra hæreticos: debent enim hæretici affligi & eijci à Principibus, sicut Agar fuit afflicta à Sara,quando Ismael ludit cum Isaac,Gen. 21. & ad Gal. 4. Constantinus Imperator Arrium cum adhærentibus damnauit in exilium, quia nolebat adhærere concilio Niceno,l. Manichæos,C. de hæreti. Theodosius Imperator puniuit hę 60 reticos Manichæos, omnium bonorum possessione & omni successione priuauit, admisit desuper inquisitionem fieri post mortem,l. Arriani, C. eo.tit.de hæreti.coniuncta l. Vltimũ supplicium,ff.de pœnis. Item decreuit Valentinianus, ne Manichæi in solo Romano conueniendi morandíque habeant facultatem: decreuit quoque eos vltimo supplicio tradendos,l. Quicunque,§. Vltimo. C. eod. tit.de hæretic.ibi, vltimo etiam supplicio coerceantur,qui illicita docere tentauerint. Adde hic quæ habentur in c. Excommunicamus, 2. iuncta gloss.in verb. Puniendi, extr.eod.tit. Et vt paucis satisfaciamus præfatæ quęstioni,qua pœna hæretici sint plectendi, dicendum secundum Panormita.in d. c. Ad abolendam, ext.de hæreti.post Hostiensem, & Ioannem Andr. quòd pœna† ignis.debẽt ergo cremari, vt colligitur ex Euangelio Ioan.15.c.vbi dicitur: Si quis in me nõ manet,mittetur foras, sicut palmes, & arescet,& colligent eum,& in ignẽ mittent. Et † hanc pœnam esse debitam interpretatur consuetudo, quæ optima est legum interpres, c. Cùm dilectus, ext. de consuetudine,& in l. Cũ de in rem verso,ff.de vsur. expresse textus in l. Si de interpretatione,ff. de leg. Conueniunt ergo in hoc lex diuina,canonica,ciuilis,& consuetudinaria, vt communiter puniantur pœna ignis,vt testantur D. Panor.& cæteri canonistæ neoterici in d.c. Ad abolendam. Idemq; prudentissimus noster Imperator Carolus quintus edicto suo generali adstruxit anno quadragesimo: quo pertinaces hæreticos,& sectæ alicui nefariæ addictos ignis supplicio damnat: resipiscentes verò viros, gladij animaduersione: mulieres verò putei inhumatione tollẽdos præcipit.† Vbi maior est culpa, ibi grauior debet esse vindicta, c. Excommunicamus, 1. §. Credentes. versi. Sanè, ext. de hæretic. Nec mirum,quia si falsarij monetæ siue pecuniæ,aut alij malefactores (vt infrà apertiùs docebitur) per seculares Principes iustè morti traduntur: cur non hæretici falsarij sacræ scripturæ? Imperatores puniunt furta, homicidia, rapinas,

rapinas, adulteria, periuria, cur à minori ad maius, non punirēt hæreſes? Animaduertendum autem hic eſt, priuſquam extremam manum huic
61 materiæ impoſuero, † non ſolū verbo, verùm & facto in hæreſeos crimen poſſe quempiam incidere: tenent expreſſè Lapus, Abbas, Antonius de Butrio, & Ioan. Imolenſis in Clement. de vſuris. D. Franciſcus Squillaceñ. in ſuo eleganti tract. fidei, ſiue de fide catholica: quos data occa
62 ſione conſulturi videbitis. † SIMONIA eſt ſtudioſa volūtas vel cupiditas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum, ita gloſ. in Rub. in tit. de ſimonia: de qua quidem materia, atque eiuſdem punitione tractatur prima cauſſa, per omnes quæſtiones ſuas, c. Præſentium, & c. Sancitum, 7. q. 1. In ſimo-
63 niacos † variè, idque arbitrariè animaduertitur per Iudicem eccleſiaſticum, vt licèt videre per tit. & ibi ſcribentes, ext. de ſimonia, & ne aliquid, & c. atque locis priùs allega-
64 tis, hic ſtudio breuitatis omiſsis. † Intellige autem Simoniacum illum, qui Sacramenta eccleſiaſtica, beneficia, prælaturas, atque reliquas dignitates eccleſiaſticas mercatur aut ven-
65 dit. Et huic † Simonię vitio noſtris temporibus multos (quod iure deplorandum) illaqueatos conſpicimus.
66 † quoniam & temporale & ſpirituale hodie vęnalitati expoſitum eſt, vt inquit Anton. in c. Tuam, colum. 3.
67 de ętat. & qualitat. Papa † tamen non dicitur committere Simoniam, ſi confert beneficia vel dignitates accepta pecunia, ſecundum Bart. in l. Barbarius, in 2. colum. ff. de offic.
68 Prętо. in repetit. vbi dixit † rationem eſſe, quia Papatus eſt Apoſtolatus, & aut ſanctum facit aut ſanctū recipit: quod eſt notandū, contra rabidè la-

trantes aduerſus ſedē apoſtolicā: qui-
69 bus † non eſt licitū apponere os in cœlum, ſed licitum eſt Papæ ęquare quadrata rotundis, c. Cuncta per mundum, & c. Principalem, 9. q. 3. Et
70 † dicitur à Simone Mago, qui fuit primus author huius ſceleris in nouo Teſtamento. Ipſe enim voluit emere gratiam Spiritus ſancti à beato Petro Apoſtolorum principe. Sic Giezi in veteri teſtamento voluit gratiam ſanitatis Naaman Syro vendere, vt 4. Regum 5. Horum ac plurimorum etiam exemplorum meminit textus, in c. Qui ſtudet, 1. q. 1. quod vide,
71 quò † ſcias ſimoniacorum ibidem re-
72 citatorum exitus terribiles. † Et præfatam ſimoniam legimus, & iure diuino & humano damnatam, per extrauag. Pauli II. incipientem: Cùm deteſtabile, in exordio, ſub titulo de ſimonia. Et D. Abbas Panormitanus
73 in c. Nemo, extra de ſimonia, † triplicis meminit ſimonię, quem conſulite. Ante abſolutionem præſentis materię, lubet hic mouere quæſtiunculam non aſpernandam, & ſæpenumerò obuiam. Ponamus quen-
74 dam canonicum A. † canonicatum ſuum ſimoniacè adeptum eſſe: Cui eiuſdem canonicatus malè impetrati facienda erit reſtitutio, fabricæne, an capitulo? Pro ſolutione præmittendum, quod ſimoniacus nullum ius acquirit in beneficijs: quare illi nullum in beneficium, aut beneficij fructus ius collatū eſt: eóque iniquè fructus omnes recipit: ſed omnes illos reſtituere tenetur, quos percepit, & ſui hæredes ſeu executores tenentur & adſtringuntur ſub animæ periculo ad reſtitutionem, ſi conſcientiam ſaluam volunt, per extrauag Pauli, incipien. Cùm deteſtabile, ſub titu. de Simon. id expreſſè ordinantem & ſtatuentem: ſed cui fieri debeat

reſtitutio

restitutio, non dicit. Dico igitur, quòd debet fieri Ecclesiæ, in cuius ignominiam cedit huiusmodi canonicatus
75 adeptio simoniaca. Et fit præcipuè† iniuria illi ecclesiæ, in qua illicitè recipitur: cùm nullum ibidem potest facere seruitium Deo gratum: imò censendum est ipsum† beneficium va
76 care, cùm tunc habendus sit tanquam non verus possessor seu rector canonicatus, & hoc certum est cedere in ignominiã ecclesiæ, quare illi eidẽ ecclesię facienda est restitutio, per nota. in c. De hoc, de Simonia, in c. Ad liberandum, §. fin. De iudicijs. Intelligo†
77 tamẽ sanè, quòd huiusmodi restitutio nõ debeat fieri canonicis ipsis, vt inter se eius canonicatus fructus distribuant, sibiq; ex æquo communicent: sed vt in vsum & vtilitatem cõmunẽ ipsius, ecclesiæ conuertant fundando ex huiusmodi fructibus missam, quo cultũ diuinũ & fructum ecclesiæ augmentent: Aut certè conuertant in vsum fabricę, per extrauag. Vrbani. 4. alias 5. sub eod. tit. de Simon. incipientem, Sanè ne in vinea. vnde isto ca
81 su capitulum solum habet adminis-
78 trare† huiusmodi fructus, & in vsum pium conuertere: sicuti disponuntur
79 †bona vsuariorum, quorum administratio reseruatur Episcopo, non vt sibi applicet, sed in alium vsum pium ipsa conuertat, per ç. Quanquam, de vsur. lib. 6. quod etiam apparet Philippo Franco in c. 2. de offic. ordi. lib. 6. SORTILEGIORVM materia ampliùs ac fusiùs nobis meritò hic foret enarranda, quod ea inter Christianos (proh detestandum facinus) tam impunè (eo quod multis incognita) dissimuletur, & passim tam frequens exerceatur. Ne tamen tam abominandi sceleris imprudens simplicibus fenestram aperiam, qua ad rei notitiam mea explicatione, parum cauta perueniant, si negotij huius copiam, & varietatem cunctis articulatiùs patefecero, statui ab hac materia prorsum temperandum, magisq; operęprecium esse, de ea nihil fari, quàm inconsultè alijs ruinæ occasionem suppeditare. Verùm enimuero, quum in hoc læsæ Maiestatis diuinæ crimine versemur, aliquid enucleasse contenti, ea dumtaxat & obiter hic detegere studebimus, quę simplicibus officere nequeant, & doctis ampliora inquirendi materiam præbeant. Principiò igitur, ne ex ignotis procedamus, discutiendum & examinandum assumpsimus, quid sit Sortilegium generaliter sumpto vocabulo, pro omni superstitionis specie. †Sortilegium est quędam superstitio illusoria & summè noxia, qua vtitur homo dæmonis ministerio, vt habetur 26. q. 5. in sum. & 26. q. 2. c. Qui sine saluatore, l. Nemo, & l. Multi, C. de malefi. & mathe. & S. Tho. in secunda 2. q. 95. artic. 3. in titul. de superstitio. & notatur in
81 c. 1. & 2. de sortil. Et ideo sortilegi, † diuinatores, & malefici, hanc diabolicam superstitionem profesi, dicuntur hostes humanæ salutis, & humani generis inimici credendi sunt, l. Et si excepta, & l. final. C. eod. tit.
82 †Euidenter nunc ex hoc apparet quis propriè dicatur sortilegus. Textus enim in c. Sortilegi, 26. q. 1. dicit, quòd
83 †sortilegi nempe propriè hi sunt, qui sub nomine fictę religionis, per quasdam (quas Sanctorum seu Apostolorum vocãt) sortes diuinationis scientiã profitẽtur, aut quarũcunq; scripturarũ inspectione futura promittũt: ex quo text. notatur, quòd isti sortilegi & incãtatores sub falso quodam & ficto religionis nomine, vtpote Apostolorum vel aliorum Diuorum authoritate, sua conficiunt sortilegia: & hinc

hinc eſt, quòd iſti incantatores, & maximè mulieres in ſuis ſortilegijs & incantationibus (quas vulgo vocant) ſæpius dicere iubent eos, quos ſuis maleficijs ſeducere curant, aliquot orationes Dominicas: aliquot enarrare Pſalmos: elargiri eleemoſynam: aliquam ſubire peregrinationem: corporis macerationem, & ieiunium, aut ſimile apertæ pietatis officium, quo ſcilicet incautis, huiuſmodi religionis ac pietatis ſpecie, faciliùs imponant, & ad ſuam perfidiam (deſerta vera Chriſtóque digna fide) nequiter ſedu.cant, aut certè aliquot oratiũculas legendas mandant in cultum, gloriam atque præſidio alicuius Diui, cui ſeſe totos, ſuáq; vota apparenter nuncupare ſimulant: quaſi iſtius Diui præſidio ac ope cuncta adminiſtrent, & tanquam omnia pia ſint, ſancta, ac ſalutaria, quæ per ipſos in tali negotio gerantur: quum tamen omnia ficta ſint, falſa ſuperſtitioſa, ac diabolica: nempe folius dæmonis artificio omnia patrantes, quæ ficto cultu, falſiſq; votis Sanctorum peragere ſimulant. Hoc tamen pie Lector velim intelligas, me hoc vocabulum (Sortilegium) non ſtricte, ſed largiùs hic accipere, nempe pro omni, ſpecie ſuperſtitioſa, † ſiue ea malefica, ſiue amatoria, ſiue diuinatoria fuerit. Sunt enim iſtius diabolicæ ſuperſtitionis nomenclaturæ tam variæ: formę præterea ac ſpecies, non minus diſſimiles, quàm diuerſæ, vt ſingulas ſuis certis ac peculiaribus definitionibus commonſtrare, laboris foret cùm infiniti, tum ſuperuacanei. Quocirca vno hoc ſortilegij nomine, omnes ac ſingulas maleficiorum aut incantationum ſpecies (in ſubſtantia etiam differentes) comprehenſas volumus: quod ſolùm etiam requiritur ad eſſentiam veræ definitionis, Bart. teſte in l. 1. ff. de teſtam. Et ſecundum hanc largam acceptionem, is dicitur ſortilegus, qui diabolicam ſuperſtitionem profeſſus, noxia quęque, ſuperſtitioſa ac eluſoria, dęmonis inſtructione, componit. Vox (noxia) continet ſpecies amatorias & veneficas. Particula (eluſoria) continet ſpecié diuinatoriã. Verbũ (ſuperſtitioſa) cõplectitur ſortilegia, quæ fiunt ad ſanandum maleficiatos, vt l. Eorum, l. Nemo, & l. Multi, C. de malefic. & mathe. c. 2. de ſortileg. c. Sortes, & c. ſeq. 26. q. 5. Porrò ſortilegorũ profeſsio duplex eſt, vna tacita, altera expreſſa: quarum infrà meminerimus. † Hic autem ſeſe offert quæſtio, à quibus fuerunt inuenta hæc ſortilegia: quíque fuere primi authores, qui ea inter mortales inuexerunt? Dic, quòd Perſæ ac Chaldęi qui cæteris curioſiores, naturæ etiã ſecreta abditiſsima perrimari conati ſunt: adeò vt ne hac quidem rerũ notitione cõtenti, quas humana induſtria perueſtigare poteſt, honeſtæ magiæ limitib. tranſgreſsis, ad curioſam & impiã dæmonũ illuſionẽ & impoſturam prolapſi ſint, c. Igitur genus, 26. q. 4. Si quis aũt plura hic deſideret, quid ſit ſortilegium, & quis ſortilegus, videat Archid. in c. Accuſatus. §. Sanè, de hæreti. lib. 6. & in ſumma cõfeſs. in tit. de Sortileg. 2. & 3. quæſtionib. Hoſtien. & Ray. in ſumma, eod. tit. & S. Tho. ſecũda 2 q. 95. in tit. De ſuperſtitio, verſic. Ad quartum dicendum. † Hoc tamen imꝑ præſentiarum admonitum te velim pie lector, multas ac diuerſas eſſe ſortilegiorum ſpecies, iuxta diuerſas hominũ profeſsiones, & varias formas, quibus illa conficiunt Præcipuæ verò & capitales ſpecies ſunt tres, nempe, Diuinatoria, Amatoria, & Venefica. Prima dicta eſt diuinatiua, quòd per illam iſti ſortilegi

84

85

86

vſurpa-

vſurparunt ſibi nomen diuinatoris: per quam futura quædam præſentia, vel præterita nobis ignota, vaticinari conantur, c. Non oportet. 26. q. 5. & d. l. Nemo, C. de malefi. & mathe. ibi, diuinãdi curioſitas etc. & ſecundum hanc acceptionem Sortilegium propriè & ſtrictiſsimè dicitur: habetq; no mẽ à ſorte, quæ in hac materia ſumi tur pro arte diuinandi, & hoc modo ſumpſit text. hoc verbũ, in c. Sortile-
87 gi, 26. q. 1. Diuinationis † autẽ ſpecies ſunt variæ. Prima eſt, que fit per manifeſtam dæmonũ inuocationẽ, pertinetq; ad necromanticos. Secunda fit per ſolam conſiderationẽ diſpoſitionis vel motus alterius rei. Hæc auguriũ eſt, Tertia eſt, dũ facimus aliquid, vt nobis manifeſtetur quiddã occultum, quod ad ſortes pertinet: & iſta duo vltima fiunt per tacitam dæmonum inuocationem. Vbi ſub quolibet verò iſtorum generum rurſum diuerſæ ſunt ſpecies. Secunda verò
88 ſpecies ſortilegiorum, dicitur amatoria, quia fit propter amorem libidinoſum: & vt plurimùm, ad inflectendum pudicos animos ad libidinem, tam mulierum quàm virorũ, ſed frequentiùs mulierum, l. Eorum, in princip. C. de malef. & mathe. & l. §. Hæc adiectio, ff. ad l. Corneliam de ſicarijs. &, l. Si quis aliquid §. Qui abortionis, ff. de pœnis. Vbi fit mẽtio de poculo amatorio. † Et qua pœna plectendus erit, quiſquis tali poculo porrecto malè cõpoſito, aut malè tẽperato, alterius bibentis ſuſtulerit vitam? Apparet prima facie dicendum, quod aliqua pœna extraordinaria, relegationis, vel ſimili: ex quo homicidium illud nequaquam fuit cõmiſſum dolo, & cũ occidendi propoſito: ideo non debet puniri pœna vltimi ſupplicij, l. 1. §. Diuus, & l. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſica. Tamen contrarium dicit text. in d. l. Si quis aliquid, §. Qui abortionis: quòd ſi caſu moriatur, qui vel quæ poculum prædictum abſorbuit: qui tradidit, vltimo ſupplicio puniendus eſt: licet dolo non dederit, ſed bono zelo: & hoc eſt quia res ipſa eſt mali exempli. Ex quo notãdus eſt
89 caſus † admodum ſingularis, in quo quis punitur pœna vltimi ſupplicij pro homicidio commiſſo, ſine dolo & intentione aliqua occidendi, contra diſpoſitionem iuris communis, in l. Lege Cornel. & l. Diuus, & l. 1. §. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſica. & l. Is qui cum telo, C. eod. tit. quæ habet, nunquam pœnam mortis inferri pro homicidio commiſſo ſine dolo & propoſito occidendi: imò in caſu prædicto lata culpa minimè æquiparatur dolo, vt ſignanter ait Bart. in d. l. Lege Cornel. hic enim nulla ratio, neque præſumptio contra ipſum, qui dedit poculum amatorium, militat.
90 Et qua pœna † afficiendus, quando nõ fuit ſubſecuta mors? ſed alius turpis affectus? Ad hoc reſpondendũ cenſeo, quòd iure ciuili humiliores in metallũ perpetuò damnãtur: honeſtiores verò propter malum exemplũ, & turpitudinem finalis intentionis, in inſulam, dimidia parte bonorum ſuorum confiſcata perpetuò relegantur: Ita text. cum gloſ. in d. l. Si quis aliquid, §. Qui abortionis, ff. de pœnis. Tertia ſortilegiorum ſpecies eſt, venefica, ſiue maleſica, quæ cæteris multis partibus eſt pernicioſior, eòque magis execranda, per quam infinita mala ſuppululant: tot infirmitates: tã varij morbi: tot calamitates: humana pariter ac brutorum corpora excarnificantur: adeò, vt ad duriſsimam mortem non rarò viuentes adigantur, hi citiùs, illi verò tardiùs. Citiùs enim iſtiuſmodi malefici perimunt, quotieſcunque compoſitio malefica valde

præ-

præsentanea est, & plurimum habet veneni. Qua ratione autem id fiat, cautus hic prudensque prætereo. Tardiùs verò mortem inflictant, quum longis cruciatibus corpora ita conficiunt, adeò exinaniunt, vt eorum vniuersa virtute contabescente, tandem emori cogantur. Quocirca non perperam species isthæc malifica dicitur, ab enormitate scilicet maliciæ, in quam directè perpetuò vergit, l. Eorum, ad exordium, & l. Multi, præallegatis. Hinc fit quòd lex vocat istos humani generis inimicos, vt qui semper tendunt ad hominum internecionem. Obseruandum præterea hoc loco, varijs modis istos maleficos, suo maleficio homines (diuino semper permissu) adigere ad mortem. † Sunt enim, qui sola carminis potentia homines aliquando interimunt, absque vllo veneni haustu, S. Augusti. testante lib. 10. de ciuita. Dei, cuius dictum insertum est c. Nec mirum, §. Magi, 26. q. 5. l. Et si excepta, in prin. C. de malefi. & mathe. eóque alibi appellantur hostes communis salutis, l. fin. in exor. C. eo. tit. Quidam verò reperiũtur, qui eadem arte, eademque professione magica instructi, supradictas infirmitates, & maleficas pollutiones ab affectis, languidisque corporibus eripiunt, corporáque maleficio infœliciter concussa, breui tempore sanant: ita maleficia maleficio propulsantes: quibus autem medelis, quibus remedijs hasce curationes suas conficiant, & maleficas illas pollutiones remoueant, referre nefas est. Neque putandum est, curationes huiusce modi fieri posse, absque scientia ac notitia maleficæ artis, & dæmonis instructione. Non enim maleficæ illæ pollutiones vnquam destrui solẽt, nisi per eiusdem artis magistros, qui ista diabolica profession bene instructi, ac quoquo modo participes fuerint: quia maleficia ipsa absque dæmonis ministerio & suffragio (siue rebus ipsis, siue verbis fiant) communiter nec inferri corporibus solent, nec ab eis tolli: & hoc est, quod ait S. Augusti. in lib. de ciuita. Dei, prout refertur in d. c. Nec mirum, in fin. 26. q. 5 quòd huiusmodi remedia & medelas ars non commendat medicorum: vt quæ non ex arte, quam naturalis scientia profiteretur, proueniant: sed ex impostu-
91 ris dæmonum. Quandoquidem naturalis medicina, & omnium physicorum & chirurgicorũ ars tota communiter non sufficeret ad sananda huiusmodi corpora maleficijs affecta, & remouendum eas pollutiones, quę dæmonis opera & ingenio corporibus fuerunt insertæ, quum eadem artis peritia, eodemque suffragio tol-
92 lantur, oportet, † cuius arte fuere
93 inflictæ, iuxta illud: Cuius † est con-
94 dere, eiusdem est & soluere, & † cuius est condemnandi facultas, eius est absoluendi libertas, l. Condemnare, ff. de re iudica. & l. Nemo qui, ff. de reg. iur. Nihil tam naturaliter connexum, quod eodem genere dissolui non possit, l. Nihil tam naturale, ff. de reg. iur. Sanare igitur hic & morbos inferre, eiusdem sunt
95 artificij. † Quin & hoc notandum est, morbos quosdam naturalibus etiam ex caussis ortos, nempe ex veneni, aut toxici illati efficacia, ne possequidem perpetuo curari per naturales operationes contrarias hominibus cognitas: sed dęmonis ope hos aliquãdo citius propelli. Nec hoc mirã-
96 dũ, est † enim dęmon secretorum morborũ, ac rerũ naturaliũ longè peritissimus, eóq; ob cognitã omniũ rerum vim, virtutã ac medẽdi efficaciam, medicus exactissimus: quã curãdi artem

nulli(quantum in ſe eſt)reuelant, niſi ſibi fidentibus, ac diabolicam hanc artem profeſsis. atque hinc fit, vt vulgus dicat, morbos huiuſmodi per nullos naturales medicos poſſe curari: ſed per eoſdem tantùm magos & incantatores, aut per alios eiuſdem profeſsionis, & artis: qua arte alijs & maleficia inferunt, eadem & illata denuo citiùs eripiunt: ſed non niſi inſtructi tollunt dæmonis ope, vt habetur per S. Tho. in ſecunda, 2. q. 95. arti. 6. & l. Eorum, §. fi. C. de malefi. & mathe. Non eſt tamen, quod quiſpiam
97 putet† hæc remedia de iure ciuili eſſe prohibita: aut vlla pœna de iure ciuili afficiendos, quicunque hoc artificio illata incommoda profligunt, licèt id agant arte malefica, vt eſt text. in d. l. Eorum, §. fin. tamen de iure Pontificio ſiue Canonico(cui hoc in negó-
98 tio haud dubiè ſtandum)non† licet aliquo modo hominem maleficiatum contrarijs maleficijs liberare, c. Admoneant, 26. q. vlt. Super eſt nunc, vt & alias ſortilegiorum ſpecies aperiamus: quæ ſunt quodammodo ſpecies ſub alternæ ad illas ſuperiores: quę finem & effectum ipſorum ſortilegiorum veriùs reſpicere videntur, quàm principium: infrà ſcriptæ verò reſpiciunt finem, principium, & medium: & diuerſis nominibus nuncupantur, ſecundum diuerſos modos ac formas, quibus conficiuntur: & eiſdem viciſsim nominibus appellantur eorum artifices: nempe ab ipſa arte, quam exercent, titulum referentes. Redeamus nunc ad primam ſpe-
99 ciem,† quæ eſt diuinatoria: quæ inter cæteras obtinet principatum: in quam complures homines capti vel decepti ſæpiùs incidunt, quàm in alias. Natura enim humana, & illorum maximè, qui ſunt curioſi, natiuo quodam appetitu fertur in deſiderių cognoſcendi ea, quæ ſuperiora, quæq; maiora ſunt naturali ſcientia, & ab humano intellectu nimis abdita.
100 Hinc fit,† vt ferè cōſpiciam⁹ iſtos ſortilegos, necromāticos, magos, hiſq; ſimiles, quotieſcunq; ſtudent operibus & ſuperſtitionibus ſuis fidē adhibere (licèt extranei ſint & penitus ignoti) quæcunq; alicui vel longinquo tempore præterito euenerunt, tanquā ad vnguē eidem, ſicuti acciderunt, referre ſolere: quorū relatione, ſi cum veritate conſentiant, vehementer hominum mētes ad ſe allectant: vt horum veritate circumuenti, tandem etiam credere incipiāt, quæ ſunt falſiſsima. Hæc autē ita fieri confirmat S. Auguſti. in lib. 10. de ciuitat. Dei, relata per ſacros Canones in c. Nec mirum, §. Nullū ſuffragiū, 26. q. 5. ſub hac enim ſpecie plures militant magiſtri. Et huius ſpeciei maliciam exaggerat peccantiū multitudo, quod eam ferè malefici profiteātur. Quæ vti clariùs in-
101 noteſcat, in† quatuor riuos ſeu ſpecies eam deducere par eſt, iuxta numerū quatuor elementorū in quibus exercētur. Primū videlicet Geomantia, à γαῖα quod eſt terra, & μαντεία, id eſt, diuinatio, quaſi terreſtris diuinatio. Hydromantia, quæ fit in aqua, ab ὕδωρ quod eſt, aqua. Pyromantia, quæ fit in igne, à πῦρ, quod eſt ignis. Et Aëromantia, quæ fit in aëre. Hinc dicti ſunt Geomanti, Hydromanti, Pyromanti, & Aëromanti, qui artes ipſas in ijs elemētis profitētur, vt exponit text. in c. Igitur genus, in prin. 26. q. 4. quę verba fuerūt aſſumpta ex dictis ſancti Auguſti. in lib. de natura dæmonum, & Hoſtien. in ſumma, eo. tit. in exordio. Quorum pro-
102 feſſorum, alij † dicti ſunt diuini, quaſi Deo pleni: hi enim diuinitate ſe plenos eſſe, hominibus perſuadent: & hac aſſuta fraudulentia hominibus

minibus futura coniectant. Alij incãtatores dicuntur, nempe qui arte verbis tantũ peragunt qui aliquãdo tantum carminis potentia valent, vt verbis suis, absque aliquo veneni hausti interdũ occidant, vt habetur in d.c. Nec mirũ, in princi 26.q. 5. Quidã alij sunt arioli, sic dicti, quia circa aras idolorũ nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerũt: quibus celebrita tibus dæmonum responsa suscipiunt. Alij dicuntur haruspices, quasi horarum inspectatores. Hi enim obseruãt tempora, dies, horas, & momenta, ex quorum obseruatione, bona vel mala futura prædicunt. Hi quoque intestina pecudum inspiciunt, ex quibus futura vaticinantur. Alij sunt augures, qui volatibus ac auium garritibus intendunt, quorum exercitium, augurium, quasi auigerium dicitur: quód, quid aues vocibus aut volatibus gerant, obseruent. Alij dicuntur Phitonissæ, qui quadam superstitione diabolicam professionem sectantur, à Phitone, id est, Apolline dicti, qui auctor fuit artis diuinandi. Alij sunt Astrologi, qui ex astrorum consideratione quippiam vaticinantur. Ars profectò hoc tempore nusquam non gentium, & celebris, & apud nonnullos multæ fidei. Verùm an illhæc vaticinatio iure sit permissa, ex causa prudenque nunc prætereo. Alij dicuntur Genethliaci, sic vocati propter natalitiorum considerationes. Obseruant enim hi diem natalis & horam alicuius, mox per duodecim cœli signa, siderumque cursus, eum ad iustum numeri calculum referunt: vnde ipsi prædicunt fœlices aut infœlices futuros euentus: imò & mortem interdum. Alij denique sunt Salitores, sic dicti, quòd ex membri cuiuspiam palpitatione, aut ex trepido saltu, nescio quid prosperi, aut aduersi, mox euenturum deblaterant. Hactenus enumeratæ species omnes declarantur per text. in d.c. Igitur genus. Adijciam ipse superioribus Necromantiam, quæ est per mortuorum cadauera, siue ex inspectione mortuorum diuinatio, † dicta à νεκρὸς, id est, mortuus, & μαντία, id est, diuinatio. Hinc dicti sunt † necromantes vel necromantici, quorum incantamentis videntur resuscitari mortui: aut certè ex mortuorum inspectione miranda futura diuinant, dum mortuorum cadauera alloquentes, & ab ipsis mutua responsa ferentes, nescio quid deliramentorum leuiusculis hominibus diabolica illusione persuadere conantur. Porrò quoties hæc peraguntur, necromanticis istis mos est, cadauer conspergere sanguine: quòd dæmones cruore delectari ferantur. Hinc quotiescunque † fit necromantia, cruor aquæ miscetur, vt dæmones sanguinis colore facilius prouocarentur, vt habetur d.c. Nec mirum, 26.q.5.in §. Necromantici: Hæc tamen non doctis, sed rudioribus commonstrare volebam. Cæterùm rogatus à quoquam, † quinam sint professores siue magistri, qui 2. & 3. speciem sortilegiorum exercere solent, paucis respondebis, eos ipsos esse, qui sunt professores artis amatoriæ. Rursus in illa sortilegiorum specie militare eosdẽ qui in venefica specie profitentur, quósque magos appellari diximus, hoc est, qui artem magicam profitentur, vt inquit tex. in d. l. Eorũ in prin. & in d. c. Nec mirum, §. Magi. Eosdem præterea † vocamus maleficos, nempe ob facinorum enormitatem, vt ait tex. in prælegato §. Magi. Hinc † factũ est, vt iuciuilẽ hos vtriusq; artis magistros, s. amatoria sortilegia perpetrantes

& venefica, æquiparauerit, non mi-
nùs in facto, quàm in pœnis: pari ſup-
plicio in ambos animaduertendum
decernens, d.l. Eorum, in princ. & l.
Si quis aliquid, §. Qui abortionis, ff.
de pœnis. Verum an idem fiat de iure
Canonico (quòd eadem ſit in vtro-
que pœna conſtituta, aut diuerſa)
hîc breuitatis cauſa prætereo. Sunt
præterea alij qui dicuntur incanta-
tores, qui ſola potentia carminis per-
ſtringunt hominum mentes: hi ſo-
lent vt plurimum in 3. ſpecie militare.
Item quidam alij, quos ſuprà in pri-
ma ſpecie expreſsimus, in hac 3. ſpe-
cie ſæpius ſe exercent: quáles ſunt
arioli, qui in ſuis ſacrificijs & immo-
lationibus adiungunt quandoque
imagines cæræ vel cretæ recentis,
illas iuxta feruentiſsimum ignem
apponentes, vel acubus earum ca-
pita vel latera perforantes, bapti-
zantes atque complura alia turpia
& nefanda facientes & committen-
tes, quę omnia ad 3. quoque ſpeciem
referenda ſunt. Quin & necroman-
tici ſimiliter ſæpius ſolent in 3. ſpe-
cie laborare. Cæterum quum in hunc
ſortilegiorum campum, vt ampliſsi-
mum, ita multò certè teterrimum
inciderimus, non ab re me facturum
arbitratus ſum, ſi aliquanto penitiùs
rudiuſculos in ipſius amplitudinem
perduxero. Non ergo huius diſcipli-
næ nefariæ cuiquam author exiſtere
cupiam, quod nec in ſuperioribus,
nec in ſequentibus intendero: ſed vt
tiui alibus (quod pace ipſorum di-
ctum ſit) iudicibus huius rei latio-
rem noticiam ſuppeditarem, ac exa-
minis faciendi rimulas potiores com
monſtrarem. Quocirca noueris, ve-
lim, duplicem † eſſe ſortilegiorum
109 profeſsionem: tacitam ſcilicet, & ex-
preſſam. In genere intelligas oportet,
de cuiuſcunque ſpeciei profeſſoribus.

110 Tacita † autem profeſsio eſt promiſ-
ſio quædam, quam quis facit alteri
profeſſo, de obſeruando quæ ſibi
mandauerit, ſub promiſsione, quòd
grandia facturus ſit & mirabilia:
quòd in vita ſua futura cognoſcet
& multa alia his non diſsimilia:
dummodo cum fidei catholicæ re-
nunciatione, & pertinaci Sacramen-
torum eccleſiaſticorum contem-
ptu: vnde pollicebitur, quòd totis
viribus cultui, & obſequio adhæ-
rebit ſui magiſtri, ipſumque ceu
verum Principem adorabit: ipſique
omnem veræ adorationis cultum
ſub idolorū forma exhibebit, & alia
huiuſmodi turpiora pacta: quod
cuncta denique opera per ipſum fa-
cienda in illius nomine & deuo-
111 tione confecturus ſit. Dicitur †
autem iſthæc profeſsio tacita, quod
non fiat, nec pacta ſit propriè cum
ipſo dæmone, ſed cum dæmonis
miniſtro. In qua tamen etiam mul-
tæ interueniunt cæremonioſæ ſo-
lennitates extrinſecæ, quæ vſuue-
nire ſolent in profeſsione expreſ-
ſa: veluti ſolennis ſtipulatio, fides
præſtita per iuramentum de ob-
ſeruatione promiſſorum: item ob-
ſequium & ratæ fidei pactum cum dæ
mone, vna cum abominanda abiura
tione fidei Chriſtianæ, & alijs in ea
requiſitis, vt in c. Qui ſine ſaluatore,
26. q. 2. & vide ſum. confeſ. eo. tit. q. 3.
& 6. vbi fit mentio de vtraque pro-
feſſione, & pacto habito cum dæmo
ne, ſ. tacito & expreſſo, & eo. tit. q. 10.
in fin. quam ſubmiſsionem & ſui ob-
ſeruantiam ipſe dæmon poſtea ra-
tam habet: redditq; ob eam ſe faci-
lem ad obſequendum eorum votis,
ac appetitui: non minùs quàm volun
tati eorum, qui expreſſa profeſsione
dæmonis, ſua ſortilegia exercere
ſolent, vt ibi notatur, & l. Nemo.

& l.

& l. Eorum, in princ. C. de maleſi. & mathe. ſæpiuſcule prælegatis, & in c. 2. de ſortileg. vbi dicitur de illo, qui occulti furti inueniendi cupidus, inſpexit in aſtrolabium: Huius quoque tacitæ profeſsionis apparet meminiſſe textum, ſi accuratius ipſius verba diſcutiãtur, in d. c. Nec mirum, §. Necromantici, verb. ad hæc omnia: vbi poſt enarrata aliquot certa remedia, quibus affecti, id eſt, maleficiati ad priorem ac integram corporum valetudinem reſtitui ſolent, ſubiunxit textus hæc omnia fieri arte dæmonum ex peſtifera ſocietate hominum cum cacodæmonibus exorta. Altera
112 verò dicitur † profeſsio expreſſa, nẽpe, quæ fit expreſſè cum proprio dæ-
113 mone. Iſthęc † rurſum eſt duplex: vna dicitur ſolemnis ſiue publica: altera
114 verò priuata. Solennis † autem & publica ea eſt, quæ fit cum dæmone publicè in maieſtatis ſuæ ſolio. Principum more, reſidente, ad vniuerſales congregationes omnium ſtrigarum, & maleficorum, necromantium, & cuiuſcunque generis profeſſorum, certis nocturnis horis, locis & temporibus, dæmonis arbitrio, conſtitutis. Vbi corã vniuerſis adſtãtibus iſt-
115 hæc fit profeſsio. Priuata † verò profeſsio eſt illa, quæ fit cũ ipſo dæmone pacto expreſſo, & cũ iuramento, citra vllas tamen ſolennitates, & extra omnium hominum cœtum: vnde de iſtis dicitur Eſa. 28. c. Dixiſtis, percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: & de hac fit mentio in ſum. confeſs. eo. tit. q. 4. in princ. & q. 6. & 12. fit hæc profeſsio quandoque eiſdem ſolennitatibus, quibus hodie fieri conſpicimus veras & ſolẽnes profeſsiones monachorum in religione Chriſti, vbi ad vitam monaſticam degendam, abnegant mũdum cum ſuis vniuerſis oblectamentis præſtigiarijs. Ita hi contrà, abnegato Deo, deſerto Chriſto ſeruatore noſtro, ac renunciata fide cum contemptu Baptiſmi ac cũ contemptu reliquorum eccleſiæ Sacramentorum, vni dæmoni adhęreſcunt cui ſe totos deuouent, & ſpontanea obedientia conſecrant, cum arctiſsimo iuramenti ſacramento: adeò, vt hinc iure efficiantur ipſius ſubditi, & (vt ita loquar) dæmonis vaſalli coniunctiſsimi. Atque ex hac, hominis ſcilicet & dæmonis exitiali ſocietate, naſcitur & cõfirmatur tam arcta amicitia, vt ex ea homines (heu) miſeri dolenda mala (permiſſu diuino) & turpiſsima opera, relatu nequiora conficiant, vt in ſum. confeſs. eo. tit. c. 3. & 4. in exordio. Ii verò qui expreſſam profeſsionem fecerunt, reddunt etiam expreſſum adorationis dæmoni cultum per ſolennia ſacrificia, quæ ipſi exhibent dæmoni, imitantes in omnibus (quò magis noſtram ſimplicitatem fallerent) diuinum cultum cum cæremonijs, apparibus luminaribus, precibus etiã quibuſdam & orationibus cum his alijs ſimilibus, quibus inſtructi ſunt & edocti, quibúſque Cacodæmonem, ſuum exitiale exitium, inceſſanter collaudant & adorant, haud aliter, quàm nos fœlices colimus & adoramus vnicè vnicum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum cum patre ac co operatore ſpiritu ſancto, omnium viſibilium pariter ac inuiſibilium omnium creatorem, & rectorem maximum, 26. q. 5. c. Contra idolorum, gloſ. in c. Accuſatus, §. Sanè, de hære. lib. 6. & in ſumma confeſ. eod. tit. q. 2. & 3. & c. Non obſeruetis, 26. q. 6. & eadem cauſſa, & q. 2. Qui ſine ſaluatore. Hic autem cultus, vel ex eadem ſatanæ ſuperbia ſuppullulat & erumpit, qua olim ſe Deo ſuo æquare cu-

piens, solium suum in Orientem indignè conabatur euehere, quò Creatori suo appareret æqualis. Qua quidē superbia necdum extincta, dæmon Dei sui adorationis æmulator strenuus, ab hominibus quoque pari ritu se adorari patitur & cōcupiscit. Quod autem eadem superbia in ipso etiamnum duret, testis est S. Tho. in secunda, 2. q. 95. arti. 5. & S. Aug. in li. 10. de ciuit. Dei: cuius dicta tradita sunt, 26. q. 5. c. Nec mirum, §. Auguria, ver. sed hoc quosdam fallit, & versic. ad
116 hoc, vbi dicitur, †quòd satanas in hoc totus incumbit, vt adoretur quasi Deus: hinc quicunque interueniunt in dictis sacrificijs expressè ipsum satanam adorantes, cæteris ipsi dæmoni multò quidem sunt chariores, adeò vt nihil ab ipso petant, quod non ilicò assequantur: modò id à Deo datum, ac suæ potestati concessum fuerit. Porrò si id ipsi negatum fuerit, petitores suos exaudire nequiens tam est tamen malignus satan, vt petita se præstare posse iactitet, ac pòst præstanda (quum non ilicò) promittat nequiter, quibus illusionibus suos professos miserè decipit. Hinc dicunt nonnulli, quòd sortilegia & maleficia quæ per istos fiunt, cæteris magis sunt atrocia atque efficaciora: quandoquidem diabolus summopere cupit gratificari ijs, à quibus maius honoris prę̃mium recipit. Hos autem hinc penè dinosces, quòd tales sæpe soleant struere imagines, aut statuas gemmeas, cæreas, aut cretaceas, similiumq; materiarum, teste S. Augustin. in lib. 21. de ciuit. Dei, hæc
120 verba notante: quòd dæmones alliciantur his rebus, characteribus, signis & carminibus magicorum, non tanquam animal cibis, sed, vti spiritus signis: quia enim homines in signum subiectionis ipsis offerunt solennia sacrificia, & prostrationes summissas faciunt, gaudent summoperè huiusmodi reuerentiæ signa sibi exhiberi. Alliciuntur autem diuersi dæmones diuersis signis, pro diuersitate scilicet vitiorum ipsis conuenientium. Verba sunt S. August. relata per S. Tho. in tractat. 44. disput. primæ partis. in tit. de mira. q. 10. versi. Respondeo in fine, quæ ibidem vide. Rogare autem posset quispiam curiosus: quibus locis quibusve temporibus, hæc† sortilegia fieri consueue-
117 runt? Deinde vbi † sortilegi, hisque
118 similes alij conueniri soleant? huic paucis respondeatur: huiusmodi sor-
119 tilegia † plerunque in locis siluestribus, occultis, subterraneis, & ab hominum conuersatione remotis: In locis longè disitis, caducis castellis & desertis: semperque in intempestæ noctis tenebris fieri solere, vt nota. in c. Episcopi, 26. q. 5. cuius duplicem rationem esse comperi. Prior est, quòd dæmon post fœdum casum ex paradiso, effectus fuit obscurus & tenebrosus, vt habet communis omnium Theologorum sententia, & maximè S. Thomæ in tractat. 44. quæstione 16. articul. 1. & 6. in titul. de dæmoni. Atque hinc conuincitur, ab authore tenebricoso, lucisq; id est, iustitiæ, virtutis, veritatisque osore perpetuo, nulla quoque lucis opera fieri posse: sed cuncta atra, horrida & tenebricosa flagitia ab eo solū peragi: eaq; tum locis, tum temporibus obscurissimis, iuxta illud commune dictum: † Qui malè agit, odit lucem, c. Pernicioſam, 18. q. 2. & c. Item si antè, de pœnitentia, dist. 1. Lux enim veritatis, hoc est, illa quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Christus est, vt habetur Ioan. 1. 3. 5. & 8. capite.

&l.

& l. Inter claras, in exord. C. de sum. Trin. & fid. catho Ideoque etiam dicta lux interna, vt quæ clarificet animam & intellectum hominis de consecrat. distinct. 4. in princ. Is cuncta opera sua clarissima luce agi vult ad patris sui gloriã, & gregis sui ędificationem. Satanas † verò virtutum, 121
bonorum † operum, veritatisq; aduersarius infelicissimus, qui idem & mendax est, & mendacij inuentor, & author, eoq; tenebricosus, tenebras amat, locà obscura, sordida, sibique similima, vt nota. Ioan. 3. c. & 81. dist. c. Valent interdum. Posterior redditur ratio, cur nocte potiùs quàm interdiu hæc † diabolica opera fiant. 122 123
Nam si luce ac clara die fierent, conspici possent ab alijs, faciliusq; deprehenderentur ipsorum maleficia: ob quæ citius innotescerent curiæ, ac iustitiæ: cui ita incautè sese capiendos, puniendosq; producerent. Quare ne tam facilè detegantur & impediantur eorum opera, & sacrificia, de nocte celebranda curant: eáque in locis prædictis, ne à quoquam vllum impedimentum ferant, & nota. in d. c. Episcopi, 26. q. 5. & c. Nec mirum, ea. q. Posset hic rursum quispiam moue re quæstiunculam huic materiæ minimè incongruam: Quibus † rebus, 124
signis, instrumentis, mixturis, compositionibus, ligaturis, characteribus, atque figuris vtũtur sortilegi ad suas sortilegia & maleficia, secundum diuersas hominum opiniones, quas persequi intendunt, conficienda? Respondendum, quòd varijs atque diuersis, quorum ad satietatem meminit D. Paulus Grillan. in suo tractat. de sortilegijs, quæst. 3. & 5. quem pe tendum, materia occurrente, nec dissuasero: materia enim præsens non minùs est confusa, quàm diffu- 125
sa. Postremò † non hoc prætereundum putaui, cur malefici in manibus publicæ Iustitiæ existentes & incarcerati, non faciant se deferri ac inde liberari per ministerium dęmonis ad mortem euitandam? quod nonnulli curiosi Iudices quandoque experimento discere tentarunt: frustra tamen atque in summum dispendium salutis suæ æternæ, eóque ab hac temeritate obnixè cauendum. Huius quæstionis, vt mihi videtur, non erit difficilis solutio, si doctorum monumentis & scriptis diligentem lectionem impenderimus. Attamen (vt aliquid afferamus) duas causas huius rei nobis explicant Canones & sacri Theologi in sæpe alleg. c. Nec mirum, 26. q. 5. Prior est: quòd dæmon qui nil auidiùs cupit, quàm multarum animarum lucra, quíque ad tenebras inferni varijs illusionibus & dolis homines protrahere studet, simulatque viderit professum suum apprehensum, illius q; animam sub sua potesta te subiectã, nil magis anxiè quærit, ni 126
hil † expectat auidiùs, quàm animæ à corpore demigrationẽ: vt quã adhuc sub pacto retinet, certã lucretur, priusquã per pœnitentiã sua nassa pręter expectationẽ elabatur, fideliũ gregi denuò cõnumerãda. Quocirca vt irretitã prędã certò possideat, incũctanter mortẽ ipsius machinatur: tãtũ abest, vt liberationẽ ferat. Posterior ratio, † cur euadere incarcerati nequeãt, 127
est quòd tũ diuina iustitia nõ permittat dęmonẽ in eos suã naturalẽ exercere potentiã: né qui Iudices & officiales curiosi, animiq; pellicibilis, leuis, ac sequacis, videtes aliquot signa manifesta liberationis eorũ, inuitarétur ad amplectendũ eorũ professionẽ: & hoc est quod dicit S. Augustin. in lib. 3. de Trini. in 10. de ciuit. Dei, & S. Tho. in tractat. 44. primæ partis, quæst. 5. in tit. De mira. & Canones in d. c.

Nec mirum, si Deus impediat in quibusdam dæmonis potentiam, pro conseruatione Christianæ fidei: alioqui enim fides ipsa Christiana paulatim tota corrueret, maioriſq; tãdem potestatis putaretur diabolus, quàm Deus: & iudex is haberetur, qui minister ipsius est, & Dei creatura, c. Nemo contemnat, & c. seq. 11. q. 3. & ideo tũc Deus resistit dæmoni, viresq; illius comprimit, per ea quæ notat S. Aug. ecclesiæ doctor insignis, in lib. 10. de ciuit. Dei, & refert & sequitur S. Thomas in d. tract. 44. d. q. 5. Torquet
128 alios, † vnde potestas tanta maleficis, qua patrare tam multa varia & miranda possunt, etiam vna hora? qualia q̃ tanta q̃ bonorum toto suæ vitę tempore facere possent vnquam? Ve-
129 rùm ijs † apertè respondetur, quòd omnis potestas à Domino Deo est, sine quo nihil potest omnis creatura sicut in Euangelio Christus ait: Sine me nihil potestis facere. Vnde manifestum est omnem faciendi potestatem, hominibus dari à Domino Deo & non aliunde concedi posse, siue bonum homines, siue malum operentur, hinc sanctissimus Præsul Augustinus dicit: Voluntas Dei est prima & summa causa omnium corporalium specierum ac motionũ, nihilq; fit in ista totius creaturæ amplissima & immẽsa republica visibiliter, quod non de interiori, inuisibili atque intelligibili aula summa Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur, secundum ineffabilem iusticiam præmiorum atque pœnarum. Quamobrẽ nequa-
132 quam est dubitandum, quin potestas illa maleficarum, in qua mirandos (cooperatione dæmonum) horrendosq; producunt effectus, à Domino Deo concedatur, cuius voluntati nemo potest obsistere: vt sine cuius ope ac numine inefficax est omnis humana opera, adeò vt ne manum quidem vlli rei tentandæ sine ipso admouere possibile sit. In hoc enim Sancti do-
130 ctores consentiunt, quòd † neque dæmones, neque maleficæ quicquam facere possunt, nec hominem lædere, nec iumentũ: nisi omnipotens Deus permittens, consentiat, potestatemq; faciendi concedat, quod iam peruersa voluntate facere decreuerunt. Aequum est enim, vt tũ dæmones, tum homines creaturæ Dei, suo creatori pareant, atque ab illius nutu toti dependeant, à quo esse, velle, & posse, susceperunt. Alioqui, si contrà ij quid possent, inuito Deo, in infirmitatis imperfectionisq; suspicionem veniret Deus creator omnipotens, à quo abhorrent piorum aures catholicæ.
131 Quocirca † quicquid maleficę molian tur, non hominis, dæmonisq; potentiæ id solum adscribendum, sed diuino permissu id totum peragi credendum est, à quo omnis potestas exurgit, & à quo omne esse & fieri profluit, tanquam ab omnium rerum caussa prima. Verum enimuerò non ex se, sed cooperatione ac ope dæmonum (Deo semper permittente) maleficæ cuncta mala operantur: quos vt natura subtiles, ita & experientia longa fecit ad producendum miranda & fortes & agiles. Neque etiam putandum est tam prodigiosos effectus maleficarum ab huiusmodi rebus, quibus vtuntur ad maleficandum, oriri (quales sunt capita mortuorum bufones, serpentes, charactéres, imagines, hisq; similia) sed ab † instituente hæc signa diabolo, qui cùm sit superbissimus, Deo cupit in omnibus quàm simillimus esse. Quemadmodum enim omnipotens Deus quædam in Ecclesia sua Sacramenta instituit, quæ dignè vtentibus (ipso aspirante) salutarem designant & pro-

ducunt

ducunt effectum: ita & diabolus, qui nihil impensiùs appetit, quàm in precio haberi, Deo æqualis videri, signa quędam tanquam Sacramenta instituit, quibus inuocatus ab his, quibus confœderatus est pactis, operator malignus assistit: & quoties Deus permiserit, quod rogatur malum perficit: Deo verò non permittente, nihil is quoque poterit efficere. Omnium tamen † effectuum necromanticorum & maleficarũ operator eatenus diabolus est, quatenus per applicationem mediorum (quæ priùs ipse instituit in materia subiecta) opus producit optatum: quod fit alias realiter, aliquando solùm apparenter. Mulieres autem † maleficæ, quæ iam voluntate deprauata, & consensu in consortium dæmonũ per pacta transierunt, notas quasdam & signa symbolica ab ipsis recipiunt, quibus exciti dæmones mox prosiliunt. Quocirca in his † pernitiosis operationibus dęmonum, nihil efficacius stulta maleficarum credulitate, quæ pactis augetur & votis. Nam quantò vel dæmonibus vel eorum signis firmiorem adhibuerint fidem, tantò velociorem assequuntur, cooperãtibus ipsis, effectum: volũtatis enim maleficarũ tam est dolenda alienatio, vt ipsas quodammodo redigat in furorem, quo percitis, ijsq; furentibus, mox dæmones aduolant, subseruiũt, & effectum petitionis pactis inuitati & signis, Deo permittente, insanientibus præstant. Simile quiddam commemorat Plato in libro de furore poetico, dicens: Bacchantes fœminas mẽte non sana, mel & lac exhaurire fluminibus mente autem sana, haurire non posse: id autem effecit earum animus sui impos, & in consortium dęmonis extra se raptus: Idem nos exploratum habemus, maleficas in puteis aut fluminibus agitatis hausisse butyrum furoris sui temporibus, quod alio tempore efficere non potuissent. Quare id solum ministerio dęmonis fieri credendum. Similiter odio alicuius flagrãtes, nihilq; quàm vindictam in animo concipientes, totæ in illius interitum incumbunt: & vt ipsum aut perdant, aut iumentis ipsius mala inferãt: agris, vineis, segetibus, alijsq; fructibus incommodent. Rebus † vtuntur ad maleficium sibi notis & familiaribus. Inuocant dæmones, often dũt signa ab illis instituta, simul & characteres, & quod propria virtute perficere nequeunt, illorum ministerio consequuntur. Alius verò, qui nõ est dæmonibus pacto & deditione deuinctus, etiam si res conuenientes ad maleficium nouerit, simul & operandi modum, signa omnia exhibeat, rarissimè tamen tentanti succedet effectus: propterea quod eum inter suos familiares dæmon non connumeret, vt suis mysterijs non iniciatum.

Quanta autem mala hoc pernitiosissimũ genus hominum nusquam non regionum faciat, cuiuis hominum id est notissimum. Amplius enim hi pernitiosissimi homines, mendacijs, superstitionibusq; plenissimi, sua malignitate obsunt, quàm boni quiuis aut precibus, aut pietate prosunt. Plus incommodi reipublicæ Christianæ illi inferunt: quàm hi commodi conferunt, nisi Deus obstiterit. Ideoq; † non sunt vspiam tolerandi, sed vbiuis locorum potiùs tollendi funditus, omnium creatore Deo sic præcipiente, Exod. 22. & Deut. 12. maleficos non patieris viuere. † Nam vt in obsequium sibi dæmones alliciant sacrificijs turpissimis plerũque vtuntur, & expressum cum eis ineunt (vt dictum est) pactum. Multos variosq; libellos circunferunt spurcitijs, im-

pietate,ac mendacio plenos,veterũq; philoſophorum & ſapientum nominibus falſo inſcriptos, quorum emendatis titulis inuocatis ſimplicibus & curioſis multis imponunt,& in foueam dæmonum ſecum pertrahunt. Promittunt magna, & penitus incredibilia, quibus auditis homines in admirationem mendaciorum ſuſpenduntur. Statuis,imaginibus,exorciſmis,coniurationibus, ſimilibusq; ſignis iactant ſe dæmones poſſe cogere ac coarctare malignos, adeò vt in circulo,annulo,in cryſtallo, ſeu alio receptaculo viſibiles appareant, & ad ſingula interrogata diſtinctè reſpondeant. Hoc omnes quidem promittunt: ſed eorũ pauciſsimi noſtris temporibus inueniuntur,quibus maligni ſpiritus etiam malis per hunc modum obediant,Deo iuſtiſsima ratione non permittente: ne curioſitas hominum nouitatis auidiſsima,religione contempta Chriſti, ſuffragia paulatim in neceſſarijs poſtularet à dæmone.Eſt denique aliud hominũ genus non minus fatuum, quàm ſuperſtitioſum, æquè item vt ſuperiores,fugiendum:Nempe, qui nullum cum dæmonibus commertium ineunt:nihilominus tamen rebus vtuntur in operationibus vanis,dæmonibus appropriatis, ſtultis, ſuperſtitioſis,& futilibus,&ob id quoque penitus illicitis. Veluti, qui dies ad quid agendum obſeruant, qui ex auium garritu aut volatu ſibi quid futurum pollicentur.Venatores,qui ob alicuius fraterculi, aut ſacrificij occurſum ſibi quid infauſtum, aut infœlicé venationem ſpondent. Qui ſcriptum Euangelium Iohannis ex collo ſuſpendũt,aut alios characteres mẽbranulis inſcriptos. Sacerdotes denique qui miſsificant ſuper hoſtiam non conſecrantes,aut oblationes nefarias in miſsis offerunt,aut preces nefarias & turpes, & indignas ad malum finem offerunt, & iegunt, qui meritũ degradatione, & beneficio ſunt priuandi. Cęteri vero qui characteribus aut crucibus abutuntur, putant huiuſmodi characteribus magnam & occultam ineſſe virtutem, & ideo varios contra Deum & fidem Chriſti
139 committũt errores. Poſſem hic † explicare cauſſam cur Mulieres ſint magis idoneæ ad maleficia conficienda,
140 quàm viri. Deinde † cur potius virgines quàm corruptæ. Poſtremò, cur
141 † plures mulieres ſint maleficæ,quàm viri malefici, ſed pro huiuſmodi explicationibus lectorem trãſmitto ad D.Martinum de Arles, in ſuo tractatu inſigni de ſuperſtitionibus. Et ad D.Paulum Grillandum in ſuo vtiliſſimo lib. de Sortilegijs. Poſſem hic
142 quoque obiter recenſere † multa dæmonum genera,qui locorum intercapedine certis gradibus,certisq; inter ſe paſsib⁹ abſunt: alij enim aêrei, alij ignei, aquatici alij, alij terreſtres, alij ſubterranei, alij lucifugi, à locis quib⁹ ſunt addicti,aut à maliciæ natura,appellationes eas habẽtes. Quorũ deſcriptiones,operationes & quibuſcũ maleficæ cõmerciũ habeant, & cũ quib us nõ,cõpẽdio ſtudẽs, prętereo.
143 Tantũ hoc memineris † maleficarum poteſtatẽ totam,qua tã miranda conficiunt, dæmonibus à domino Deo limitatam concedi:ita vt ipſo permittente noceant: eo verò non permittente,nihil eos quoque operari poſſe. Verum de his ſatis ſuperq;. Quæ tamen omnia non ita ſurda aure(maximè ſtudioſis, ac maioribus ingenijs)prætereunda,ſed accuratius perquirenda. Quamobrem cætera huius materiæ cognoſcere cupiẽtem(quandoquidem hic exactiora perſcribere mea vetant negotia) remitto ad clariſ-

rissimos dominos, Paulum Grillandum, criminalium caussarum Romę quondam auditorem, in suo tracta. vtilissimo, de sortilegijs, maleficis, & poculis venenosis, ac dæmonum inuocatione, atque eorundem pœnis. Troilum Maluetium Iurisperitum indubitatum in suo tract. de sortibus. Martinum de Arles sacræ theologiæ professorem meritissimum, in suo insigni & exquisitissimo tract. de superstitionib. Ioannem Franciscum spectabilem I. V. doct. in suo subtili & eleganti trac. de Lamijs & excellentia. V. I. Malleum maleficarum: & Ioannem Trittenhenium Abbatē Spanhemensem, in suo lib. 8. quæstionum, quas illi dissoluendas proposuit Maximilianus Cesar q. 5. de reprobis atq; maleficis, & q. 6. de potestate maleficarum. Quorum opiniones, dogmata & interpretamenta, hac in materia omnes passim sequuntur, laudant & asserunt, nec est meo iudicio, & si tenui, vlla materia, in qua adeò Paulo Troilo, Martino, Ioanni Francisco, Malleo maleficarum, ac Ioanni Trittenhemio assentiantur, & tribuant scriptores, non solum speculatiui, sed etiam & practici: ita recepta est in hoc scribendi genere, eorum authoritas, vt pro lege (quàmuis vtique nullis corroboretur legibus) apud omnes habeatur. Quocirca vt res tandem ad finem decurrat, his impono finem huic capiti, etiam si sine numero alia pulchra vtilia, & quotidiana huic materiæ minimè incongrua, sed admodum conuenientia, in medium adferre facilè potuissem: quę, ne lectorem, multis morer, posthabeo, & omitto, atque studioso, in rebus publicis non occupato, indaganda relinquo.

CAPVT. LXII.

De crimine læsæ Maiest. tēporalis siue humanæ.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 62

Crimen læsæ Maiestatis varijs cōmittitur modis

1 *Aduersus* { *Principem,* / *Salutem domini sui.*

2 *Aduersus* { *Consilium* / *Consules* / *Senatores* / *Cōsiliarios* } *Principis.*

3 *Contra vtilitatem reipub.*

4 *Seditionem excitando.*

5 *Principis* { *Vices vendicando præter ipsius voluntatem.* / *Monetam adulterando.*

6 *Crimina læsæ Maiestatis plectuntur morte, scilicet* { *Gladio.* / *Igni.* / *Dissectione in quatuor partes*

Consules

7 { Consules / Senatores / Consiliarij } sunt pars corporis Principis.

8 In conspirationibus plectuntur { Principales. / Fauentes. / Assistentes. / Iuuantes. }

9 Filij committentium crimen læsæ maiestatis, efficiuntur insuccessibiles.

10 In crimine læsæ maiestatis, punitur affectus, etiam non secuto effectu.

11 Ex sola scientia quis punitur.

12 Conspirationis pertæsus, & eam reuelans, veniam meretur.

13 Princeps solus, aut eius consilium, cognoscit de crimine aduersus suam personã cõmisso.

14 Mulieres { Veneno / Incantationibus } { committentes præfatum crimen, grauius puniendæ quàm viri.

15 In crimine læsæ Maiestatis quilibet delator esse potest.

16 In crimine læsæ Maiestatis proceditur { Summariè. / De plano. / Sine strepitu. / Sine figura iudicij. }

MVltis quidem modis crimẽ admittitur aduersus temporalem Maiestatem, l. 1. 2. 3. 4. & ibi etiam per Bart. Bald. Angel. & alios scribentes, ff. ad l. Iuliam Maiesta. vbi multi modi & casus enumerantur, quibus læsæ Maiestatis crimen committi dicitur: nempè, † conspiratione aduersus suum Principem: aut contra domini sui salutem: aut contra vllas personas sui consilij: aut contra vtilitatem reipub. †Seditionem excitando in populo, d. l. 1. Hostibus re, †armis, opibus, & consilio suppetias ferendo, l. Cuiusque, ff. ad l. Iuliã Maiest. & ibi Ang. †Quoquo modo captiuos huius facti criminosos carceribus eripiendo, d. l. Cuiusque, in fi. & ibi Bart. Si quis priuatos conficiat carceres, l. Vnica, C. de priuat. carcer. inhiben. & ibi Cynus, qui verbum subdit admodum notabile: Si pater, aut dominus, filiũ, vel seruum domi suæ incarcerauerit, nequaquam punietur pœna l. Vnicę, C. de priua. carcerib. rationemq; allegat, quia pater & dominus id faciunt ad correctionem: dicta verò lex vnica loquitur in casu, quo quis in carcere ad custodiam ponatur. Dum † Principis vices & officia sibi quispiam vendicat & exercet, præter ipsius voluntatem, d. l. 3. ff. ad l. Iul. Maiest. Si quis Principis monetam adulterauerit, l. Si quis numos, C. de falsa mone. Atque hæc quidem †crimina, ad vnum omnia, morte plectuntur, per dictas ll. 1. 2. 3. & 4. ff. ad l. Iul. Maiestat. & l. Quisquis. C. eo. tit. varijs tamen modis, iuxta varietatem legum, edictorum & statutorum in locis, vbi commissa fuerint: nonnunquam gladio: aliquando igni: interdum dissectione in quatuor partes, &c. Verùm quisquis ita cõspirauerit in personam sui Principis, & hinc mors secuta fuerit, is profecto enormiter (nempe ob facinoris enormitatem) peculiari quodam modo extraordinariè, absque vlla legum ac constitutionum obseruatione,

uatione, puniendus est ad prudentiã, iudicium, & discretionẽ D. Iudicum. Conspiratores verò aduersus gloriam & salutem & commoda Principis sui, detegentes hostibus vniuersa ipsius secreta, voluntates & studia, locorum munitiones, & infirmitates, cum rerum statibus & qualitatibus, hi in quatuor partes dissecandi sunt, cum omnium bonorum proscriptione. Ad has formas grauissimè & extraordinariè quondam puniebantur ij nefarij conspiratores, qui Brugis crudeli nece Comitem Carolum sustulerant. Similiter ac penè inhumanitus etiam animaduersum est in eos qui comitem Hollandiæ Florentium dira nece trucidarunt. Neque etiam minori supplicio puniendi sunt, qui quicquam nefarij †machinãtur contra Principis Concilium, Consules, Senatores & Consiliarios, qui corporis Principis pars haud dubiè sunt, l. Quisquis, in princ. C. ad l. Iul. Maiest. & ibi Alber. & Bald. & c. Cùm dilectus, iuncta gloss. in verb. familiares, ext. de cleri. non residen. Porrò †in dictis conspirationibus nõ tantũ plectẽdi ipsi principales rei, verũ etiã quicũque studio, dataq; opera, re & cõsilio huiusmodi cõspiratoribus fauent assistũt & iuuãt, d. l. Quisquis. imò iporũ liberi, †conspirationũ tamẽ non conscij, vniuersis parentum suorum bonis confiscatione priuantur, itaq; efficiuntur insuccessibiles, sola ipsis vita relicta. Ang. in §. Interdum, nu. 7. instit. de hæred. quæ ab intesta. defer. Addam maiora: Tanta est huius †facinoris enormitas, tamq; odiosa legibus ac principibus, vt per conspirationem voluntas non secùs puniatur, quàm ipsum factum: potissimum si externo quopiam actu, certóque indicio ista hæc voluntas constiterit aut probata fuerit, d. l. Quisquis, C. ad l. Iul. Maiest. & Ang. in l. fin. §. fin. ff. quod quisque iuris Archidiaco. in c. Ego, 12. q. 2. nota. per Specul. tit. de calum. habetur in l. 1. ff. de extraordinar. criminibus & in l. Aut facta, §. Euentus, ff. de pœnis, per doct. in l. Si quis non dicam rapere, C. de epis. & cleri. † Itidem puniuntur, qui istius criminis fuerunt conscij, & non prodiderunt, Bartol. in l. Vtrum, ff. ad l. Pompeiam de parricid. Ioan. Andr. in c. Petrus, de homicid. Specu. in tit. de lega. §. Iuxta, in 4. colum. in vers. Quid si amici. D. Philip. Decius in regula, Culpa caret, ff. de regu. iur. Cæterum si †quispiam suæ conspirationis pertæsus, reliquos præcipuos huius criminis authores, & facta fideliter prodiderit: huic certè de commisso priùs crimine, danda erit venia. Porrò † conspirationis aduersum Principem pœnam, solus ipse sibi vindicat Princeps, aut Principis concilium. Quæcunque autem †mulieres huiusmodi audent committere crimen aut veneno aut incantationibus, grauiùs puniendæ sunt, quàm viri, & semper igni consumendæ. Huius † criminis delatores quosuis iura admittunt citra vllam exceptionem, l. Famosi, & l. In quæstionibus, & ibi Bart. ac sequaces, ff. ad l. Iul. Maiestat. Et animaduertendum est, in hoc † crimine læsæ Maiestatis procedi summariè de plano sine strepitu & figura iudicij, text. in extrauag. Ad reprimendam, & ibi Bart. Si quid autem præter ista requiris, consule D. Martinum Lauden. doct. celeberrimum in suo tract. de crimine læsæ Maiestatis, D. Franciscum Lucanum à Parma insignem I. V. doctorem ac practicum in suo tract. de priuilegio fisci, in 2. parte de crimine læsæ Maiestatis, D. Nicolaum

laum Boërium I. V. interpretem clariſsimum in ſuo eleganti & præclaro tractat. de ſeditioſis, omnibus profecto, ciuitatum, villarum, caſtrorum Dominis, Scabinis ſeu Conſulibus ac cæteris reipublicæ adminiſtratoribus vtili ac neceſſario.

CAPVT LXIII.

De ſeditionibus.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 63.

Conſpirator, crimen læſæ Maieſtatis incurrit. 1
Quæ pœna conſpiratorum. 2
Qui ſeditioſi habendi. 3
Quæ congregationes illicitæ. 4
Quæ ſeditioſorum pœna. 5

Quæ

Quæ autoris seditionis pœna. 6
Seditiosorum appellatio nulla. 7
Principi timanda seditionis origo. 8
Quid, si Officiarij seditionis causſa fuerint. 9
Si primates populi in officiarios exurgant, quid, & quæ pœna. 10
Tota ciuitate seditionem committente, qui plectendi. 11
In vniuerſo populo plectendo, vtendum cautela. 12

1 QVisquis vllam molitur † conſpirationem aduerſus rectores, adminiſtratores regionum, ciuitatum, aut rectores aliorum locorum Principis, vt hos interemptos curet, is ſanè crimen læſæ Maieſtatis committit, atque ad hunc modum puniendus fuerit. Principio ex † more plateatim equo, crati vimineæ inſidens pertrahitur: mox decollatur: deinde quadripartitur ceu proditor: atque eiuſcemodi quatuor partes ad quatuor publicas vias palàm ac publicè dependuntur & affiguntur. Poſtremò cuncta ipſius bona fiſco adiudicantur: huc facit l. Proditores, ff. de re militari. Eadem quoque pœna plectuntur omnes ipſius complices, coöperatores, criminis conſcij & non prodentes, vt c. Præcedenti meminimus. Seditioſi autem, 3 † nempe, qui illicitas congregationes 4 populi cogunt (ſunt enim † omnes illicitæ cõgregationes vetitæ per doct. in l. Conuenticulam, C. de epiſc. & cleri. Illicitas autem intellige, quas iura reprobant) quique furtiua cõuenticula parant, ciues, populumq; vniuerſum commotionibus turbant, noxiam & tumultuariam factionẽ concitant, de quibus certo conſtiterit, ita vt de ijs conuicti fuerint, ij puniendi erunt iuxta perſonarum qualitates, ac quantitatem, & conditionem ſuo- 5 rum † delictorum, alij ſuſpendio, alij exilio, alij vltore gladio, aut certè alia criminali multa pro ratione perſonarum, temporum, aut locorum, ſecundum prudentiam Iudicis, l. Si quis, ff. de pœnis, l. 3. §. Item qui, ff. ad l. Corne. de ſica. l. 1. & 2. C. de 6 ſeditioſ. Quiſquis † igitur talis ſeditionis author fuerit (quòd ea ſcelus ſit nefarium) hunc profectò conuenit exemplo publicam mortem oppetere, vt cæteris ſit exemplo & timorem incutiat, Idem mecum confirmat Modeſtinus, qui huiuſmodi ſeditionum concitatores damnatos ſtatim ac publicè puniri, reipublicæ intereſſe cenſet: ita vt eorum appel- 7 lationes † non recipiendæ ſint, l. Conſtitutiones, & ibi Bart. Ang. Aret. & moderni, ff. de appella. Si quando igi- 8 tur † huiuſmodi populi ſeditio naſcitur, diligenter obſeruandum eſt Iudici, vnde ea ſeditio originem ſumpſerit: nẽpè, an † officiarij vel ſenato- 9 res ob parum diligentem adminiſtrationem iuſtitiæ, aut alias ob cauſſas in culpa ſint. Quo in caſu, Principis fuerit rem vtrinque moderari, & ſua prudentia conſopitam reddere. Ve- 10 rum ſi huiuſmodi † ſeditio populi, cum ſuis præfectis, gubernatoribus, ac decanis ſimul aduerſus Principem exurgat, ita vt ipſius officiarios violenter adigant neci, atque ipſius Principis authoritatem vſurpent & iura: in hoc caſu totus populus reus ſit & obnoxius Principis voluntati, ad proſcriptionem bonorum, & vitæ, & ad extinctionem omnium priuilegiorum ac immunitatum, nempe, vt REI criminis læſæ Maieſtatis. Sed hoc in caſu,

ne

ne ſimul omnes inſontes perirent cũ nocentibus, ſolẽt Principes frequentius vti gratia & clementia, quàm rigore iuſtitiæ: ne ſummum ius, multis fiat iniuria: huic nec omnino incongruit c. Romana, in fi. de ſenten. excommunica. lib. 6. Quamobrem † ea in re tantum plectit principales ſeditionis authores, & excitatores: alios detruncatione capitis, alios exilio: nempè, extra prouinciam, regionem, territorium, ciuitatem, oppidum, aut diſtrictum, vbi ſeditionem concitarunt, relegatione atque proſcriptione, confiſcatione bonorum, alios priuilegiorum ereptione, longinquis peregrinationibus alios: atque item in cæteris pro ſuo arbitrio, arg. l. Qui cædem, ff. ad l. Cor. de ſica. Idem ſentit glo. in l. Aut facta, ff. de pœnis: facit optimè l. Si familia, ff. Si famil. furt. feciſ. dica. huic ſummè quadrat c. Sanè, de temporib. ordi. Totum verò corpus talis ciuitatis, atque adeò totã rempub. ob ſuam rebellionem punit inedia, & paupertate: nempe magnis mulctis, ac mulctarum impoſitionibus, aut ſimilibus pœnis, pro ſuo legitimo arbitrio. In †huiuſmodi tamen animaduerſione, Prætoribus & Iudicibus (ne cui vlla fiat iniuria, ſed vt eiuſmodi factiones, praui motus, & tumultus ſolummodo caueantur) recto ſanóque conſilio vtendum fuerit. Varia ſunt apud Thucydidem, Ciceronem, atque alios ſcriptores ſeditionũ ac factionum exempla, eáque grauia & nefaria, quorum aliquod vel nõſtra memoria conſpecta ſunt. Quæ omnia breuitatis ſtudio, & ex cauſſa, prætermiſſa volumus. Interim tamen hanc materiam videte copioſè tractatam à clariſs. viro D. Nicolao Boërio, V. I. interprete acutiſsimo, in ſuo eleganti tracta. de ſeditioſis.

11

12

CAPVT LXIIII.

De priuatis carceribus faciendis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 64

1 *Priuati carceris reus, quo ſupplicio afficiendus.*

2 *Quiſquis* { *Filium, Filiam, Seruum, Seruam, Vxorem, Amicã* } *Carceribus aut cubiculis includit, non perpetuò priuati carceris crimini ſit obnixiùs.*

3 *Paria ſunt* — { *Sub vinculis eſſe,* & *Sub cuſtodia eſſe, datis fideiuſſoribus.* }

PRiuata authoritate vllos conficere, aut habere carceres, nõ abeſt à crimine: adeò vt quiſquis priuatos citra authoritatem Principis carceres parat, quibus etiam criminoſos vi & contra ipſorum voluntatem vltra 20. horas includat, in crimẽ læſæ Maieſtatis is incidat: ob quod vitæ † priuatione, & gladio cum bonorum confiſcatione ple-

1

1

plectendus erit, vt tradit Imperator in l. vnica, C. de priuat. carceribus inhiben. & ibi Cynus, Bart. Bald. varijque scribentes. Sed † hoc fallit in parentibus & dominis, qui suos liberos & seruos, castigandi, atque à malo coërcendi gratia, vinculis, carceribus, aut alijs clatratis repagulis domi detinent. Ratio enim isthæc, quoniam ad correctionem, & ad suorum resipiscentiam spectat, non immeritò, nec præter æquitatis legem ipsis permittitur. Dicta igitur hæc lex intelligenda est, si quando ad solam custodiam alios priuatis suis carceribus constringunt: Cynus in d. l. vnica, cui adstipulatur Bar. Chasse. in Cõment. consuetud. duca. Burgundiæ, Rubrica, *Des iustices & droictz d'icelles*, nu. 54. subiungens, quòd etiam quis dicitur committere carceris priuati crimen, qui aliquem ponit sub custodia datis fideiussoribus: Paria enim † sunt, † quẽpiam sub vinculis esse, vel sub custodia datis fideiussorib. Luc. de Penna in l. Si grauius, C. de digni. lib. 12. & in l. sequ. eo lib. Item fallit in maritis, qui zelotypia perciti aut alia simili ex causa, suas vxores strictè cubiculis incluſas domi detinent: imò si verius perpenderis, comperies huiusmodi nullum priuati carceris erecti crimen committere: faciũt notata glos. fin. & ibi Hosti. Ioan. And. & Panor. in c. Quemadmodum, ext. de iureiurando. in l. Consensu, & Authen. Sed nouo iure, C. de repud. text. singularis cũ glos. in c. Placuit, 33. q. 2. Idem Panor. in c. Cum contingat, nu. 20. ext. de foro competen. Vbi inquit, marito, patri, & domino, vxorem, filium & seruum castigare, carceri mancipare, ad ieiunia cogere salutaria licere. Sicuti nec ij, qui amore capti, aut pro sua animi libidine, suas amasias secrètò vspiam in cubiculis incluſas continent, modò ipsis nullam vim inferãt, Bart. in l. Verum, ff. de furt. Ioan. de Vilemati, in repetitione l. Diuus, ff. ad l. Cor. de sicarijs. num. 89. & 100. Cazialup. in repeti. l. Si qua illustris, C. ad S. C. Orficia. colum. 8. & D. Ioan. de Neuizanis in sua sylua nuptiali. Est nubẽdum, folio li. meo. 74. de hisiã satis.

1 2 3

CAPVT LXV.

De monetæ adulteratoribus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 65

Quintifariàm crimen adulterandæ monetæ committitur. Si

1 *Excudatur citra authoritatem Principis.*
2 *Falsa & iniqua excudatur.*
3 *Monetæ inscriptio adulteretur.*
4 *Iustæ monetæ pondus auferatur.*
5 *Adulterina moneta in vulgus spargatur.*

Qui veri monetarum adulteratores. 6
Quibus apprehendendi monetarios potestas. 7
Quæ pœna monetarios non deferentibus. 8
Domicilia ad excudendam falsam monetam elocata, fisco adiudicanda. 9

Monetæ adulteratæ condemnatis, omnis interdicitur appellatio. 10
De tectis ac furtuis monetarijs. 11



CRimen adulterandæ monetæ quintifariàm committitur. Primò, † monetam excudendo absque vlla Principis authoritate aut permissu: atque is committit crimen læsæ Maiestatis, & ex iure ilicò, omni dilatione summota, punitur gladio, l. 1. C. de fals. monet. aut igni & proscriptione bonorum, l. 2. C. eo. tit. etiamsi excusa ipsius moneta iusta sit, æqui ponderis & prætij. Non enim ipsius est, publicam excudere vel formare monetam: sed solius Papæ, Imperatoris, Regis, Prin

1

cipis, aut alterius authoritatem habentis à sede Apostolica, vel ab Imperiali vel Regali Maiestate aut à Principe: vel certè ex antiqua consuetudine, à tempore, cuius non extat memoria, introducta, glos. in Rub. de veter. numis. potest. lib. 11. C. Facit in ratione sui c. Super quibusdam, §. Præterea, ext. de verbo. significa. quæ quidem consuetudo, cuius scilicet nulla extat memoria, ius ac priuilegium inducit, l. Hoc iure, §. Ductus ff. de aqua. quoti. & æstiua, l. 1. §. vlt. ff. de aqua plu. arcen. c. Hoc quip-

quippe, 3. q. 6. c. Conquestus, 9. q. 3. c. Mos antiquus, 65. distinct. l. Testamenta, C. de testamen. Quocirca quum talis consuetudo ius inducat, minimè necessum est vllum titulum allegare: quod alioqui requiritur in consuetudine 30. annorum, teste gloss. in verb. Non extat memoria, in d. c. Super quibusdam, §. Præterea. His itaque consideratis, fit, vt monetam excudere ad regalia pertinere dicamus, vt in c. Vnico. Quæ sint regaliæ in vlib. feudor. cum ibi notatis. Secundò monetam falsam †excudendo pondere, aut materia, nempe si æs, aut metallum inauret, aut si stãnum vel electrum inargentet: is similiter crimen læsæ Maiestatis incurrit, & pari pœna cum superiori punitur, etiamsi ab ipso Principe sibi facta fuisset libera monetæ excudendæ potestas, l. 1. in princ. C. de falsa. monet. & in l. Quicunque numos, & l. 3 seq. ff. ad l. Cornel. de falsa. † Tertiò adulterando ac falsificando monetæ imaginem aut superscriptionẽ, aliam imprimẽdo formam ac effigiem, qui simili crimini læsæ Maiestatis, & pœnæ simili sit obnoxius, l. lege Cornelia testamentaria, in exordio, ff. ad l. 4 Cor. de fal. Quartò, †corrumpendo numorum pondera supra ordinationem Principis: nempe, numis non tribuendo pondus æquum, plenum & consuetum, aut iusti ponderis numos circuncidendo, eóq; modo ponderis æquitatem auferendo, vt volũt Doct. in l. Lege Cornelia cauetur, ff. ad l. Cor. de falsa. & est gloss. 1. super ver. defraudata, in c. Quanto, & ibi Panorm. ex. de iureiuran. & in l. 1. C. de veter. numismatis potestate, li. 11. Hi enim vt fures, quodq; indignissimum furtum committant, patibulo & laqueo plectuntur. Quintò, qui § †corruptam & adulterinã monetam ab alijs coẽmunt, & in vulgus elargiuntur, de quo per Doct. in d. l. Lege Cornelia cauetur, ff. ad l. Cor. de falsa. Panor. in præallegato c. Quanto. Hi autem puniuntur extraordinariè ad arbitriũ Iudicis, arg. l. Saccularij, in prin. & ibi gloss. ff. de varijs & extraor. crimin. Hactenus aũt omnia intelli 6 gas oportet, †de adulteratoribus monetæ suiipsius Principis vel alterius Principis, in cuius ditiõe ea falsitas cõtigisset: aut certè intelligendum est de ea moneta alterius, quã suus Princeps ex ordinatione, cursum (vt vocant) habere sinit & permittit. Quandoquidẽ si ea adulteratio esset numorum exteri cuiusdam Principis, quique in sui Principis regione nullius essent vsus, crimen hoc leuiùs ac mitiùs puniendum foret, gloss. 1. in d. c. Quanto. 7 Cæterum huius † criminis Reorum omnes apprehensores esse possunt, non minùs ipsę mulieres quàm viri. 8 Et huius † criminis enormitas tam est exosa Principi, & indigna legibus, vt ipsos etiam conscios, & crimẽ non propalantes, non secùs plectendos esse leges iubeant, quàm ipsos principales authores. Deinde vt accusatores etiam succumbentes, nequaquam, vti calumniatores in alijs causis, puniantur: omnia autem isthæc probantur l. 1. C. de falsa. monet. & gloss. in d. c. 9 Quanto, in verb. defraudata. † Præterea tam habent leges exosam monetæ adulterationem, vt fundum, aut domum in qua dicta adulteratio peracta probatur, arrestandã esse velint & fisco adiudicãdam: viduarũ tamen ac pupillorum domibus semper exceptis, quos speciali dignos indulgentia credidit Imperator in d. l. 1. C. de fal. 10 monet. Postremò, †quò maiorem huius criminis enormitatem omnibus propalam facerent leges, Doctores voluerunt, vt monetæ adulteratæ

condemnatis, omnis interdiceretur ad aliud tribunal appellatio, vt per Specul. in tit. de appellat. §. 2. versic. 29. & d. glos. in verb. defraudata, d. c. Quanto. Atque hactenus de notissimis monetarum adulteratoribus &
11 circunciſoribus. Int quos quum tam acriter animaduertãt iura, quid quęſo pie Lector de ijs pecuniarum mercatoribus, imò reipublicæ bonorum deprædatoribus peſsimis, ſtatuendum cenſes: qui nihil habent penſi, quomodo reipub. dignitas, vtilitas, & maieſtas ſuccedat, floreat, an pereat, modò vnico ſuo quæſtuoſo cõpendio ſtudentes, ſibi proſint per faſque nefaſque? Qui ad burſas, & ſcrinia, quorumlibet mercatorum paſſim inuigilant, venantes in re certiſſima certiſſimum lucrum, vt pro optimis, monetas reddant peſſimas. Quomodo inquies? Accipe, re ipſa, & exemplo doceberis. Adeunt hi nefarij prædones opulẽtiſsimos quoſ que mercatores, rogant quot Reales, quot ducatos, quot angelatos, quot nobiles (& ita de reliquis optimi auri numis) habeant, eos alia moneta commutare (nempe peiori, tametſi hoc diſsimulent) modis omnibus eſflagitant: offerentes ad ſingulos dictos numos vltra communem valorem & curſum aliquid lucri: ſcilitet groſſum, aut 2. groſſos. Mercatores itaque cernentes certum numorum ſuorum lucrum, præter omne diſpendiũ procliuiores ſunt ad commutationem: optimæ monetæ ſuæ pecuniam numerant: cum alia pecunia (cuius etiam vſus eſt, licèt ea peior ſit) lucri cauſſa commutant. Prędones verò illi acceptam hanc optimam pecuniam pro peſsima, poculo aurario immittunt: liquendam curant, talemque auri maſſam ad alienas regiones deferunt: eam iniqua commiſtura vitiant: & peioris monetæ, peioriſque valoris numos ex ea excudendos curant: ex quibus mirum quantum lucri compendium, imò quantum animæ diſpendium faciant. Porrò hanc iniquæ monetę pecuniam magnã paſſam metamorphoſim, rurſum ad noſtrates regiones, rurſum cum optimo auro cõmutandam, perferunt, vt priùs. Hæc quum quotidie per ipſos fiant, quid quæſo aliud quam Rempublicã prædantur, regiones noſtras optimo auro ſpoliantes, & auro opplentes peſſimo? Quo itaque ſupplicio dignos cenſes pie Lector hos furtiuos monetæ corruptores, ſi tam atrociter in apertos adulteratores leges ſæuiant? Certè meo iudicio (&ſi tenui) cum ſcelere & damno ſint iſtis non impares, imò pernicioſiores, cenſuerim eos dignos, in quos leges fiant oculatiores, & in quos Principes tandẽ, vt in alios, grauiter quoque animad uertere incipiant. Hæc habui pie Lector, quæ de tam nefarijs prædatoribus zelo Reipublic. commemorare libuit.

CAPVT LXVI.

De confiſcatione bonorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 66

Crimini læſæ Maieſtatis annexa eſt bonorum confiſcatio. 1
Alijs criminibus non adhæret confiſcatio bonorum. 2

Confiſca-

Confiſcatio bonorum, etiam innocentes lædit. 3

4 *Quæ feuda ſeu fundi confiſcatione cedunt* { *Dominis.* / *Principibus.* }

Feuda confiſcata ac fundi non cedunt hæredibus. 5
Criminoſorum vxores non confiſcantur ſuis dotibus niſi &c. 6
Filij ac hæredes confiſcantur hæreditate criminoſorum. 7
Cur filij parentum criminoſorum hæreditate indigni. 8
Quando filij parentum criminoſorum hæreditate non priuantur. 9

1 IN crimine † læſæ Maieſtatis perpetuò conſectatur bonorum confiſcatio, nempe, ob criminis enormitatem & odium: ita vt hic nulla ſit opus noua promulgatione bonorum confiſcationis, quæ crimini læſæ Maieſtatis ex ſententia lata perpetuò eſt annexa, vt in l. Quiſquis, C. ad le. Iul. Maieſt. & in Authent. Bona damnatorum C. de bo. proſcrip. ſeu damna. l. Ex iudiciorum, ff. de accuſat. & l. Poſt
2 contractum, ff. de donat. In alijs † autem criminibus planè oportet confiſcationem ſententia noua eſſe pronunciatam, teſte Ang. Aret. in ſuo inſigni tract. maleficiorū, in gloſ. ſuper verb. Et eius bona publicamus: vel ex hac ratione potiſsimum, quod omnis bonorum proſcriptio ſeu confiſcatio ex ſua natura odioſa ſit, & ferè in detri-
3 mentum, & perniciem eorum † vergat, qui innocentes ſunt, & culpa va-
4 cant. Porrò in feudis † ac fundis crimi noſorum, duplex eſt diſtinctio. Quan doquidem feuda & fundi, quæ crimi noſus habet eo loco, vbi crimen patratū eſt, ea ſequuntur dominos eiuſdem loci. Verum feuda, & fundi ſita in alijs locis, vbi crimen non eſt commiſſum, non conſequūtur eorundem locorum dominos, ſed ipſum Principem, non ſecùs, quàm ipſa bona vacantia. Ad hæc nequaquam grauabimini videre Bald. in l. Cunctos popu los, C. de ſum. Trin. & fid. catho. verſus finē, ibi: Vlterius quæritur: Bart. & omnes moder. in l. Si finita, §. Si de vectigalib. ff. de dam infect. Guid. Papæ in ſuis deciſionib. q. 78. & q. 341.
5 Ratio † autem cur ea feuda ac bona Principi potiùs cedant, eſt, quòd videlicet nec hæc nec illa fas eſt liberis ac hæredibus vllo iure ſibi vendicare ſeu apprehendere d. Authen. Bona damnatorum, & ibi Bald. ac ſequaces necnon in Authen. vt nulli iudicum §. fin. colla. 9. conſti. 9. vnde dicta Au
6 then. deprompta eſt. De † vxorum autem dotibus hoc ſciendum eſt, quòd nec dotis vxoriæ, nec aliorum bonorum poteſt eſſe proſcriptio ſeu confiſcatio ob maritorum criminoſa delicta, Authen. Bona damnatorum, & d. Authen. vt nulli iudicum, necnon d. l. Quiſquis, §. Vxores. Hæc tamen intelligenda ſunt, niſi ipſa criminis fuiſſet aut particeps, aut conſcia, dicta l. Quiſ
7 quis, §. Id quod. Filiorum † verò bona paterna, iure confiſcāda ſunt. Nam regula generalis eſt: Quotieſcunque hæreditas aufertur aliquibus, tanquā hæreditate indignis, ea Fiſco applicatur, l. Lucius, ff. de iure fiſci, l. Papinianus, §. Meminiſſe, ff. de inoffic. teſt.
8 Porrò iſtiuſmodi † liberi propter delictum paternum huic confiſcationi redduntur obnoxij, vel ex eo, quòd procreati ſint ex damnatorum ac rei-ectorum ſanguine: & cùm ſanguinis delicta conſectentur hæredes (d. l. Quiſquis, §. Filij verò) meritò habendi ſunt liberi eadem paterna hæredi-

tate indigni, etiamsi ex alieno vitio isthæc infectio sanguinis processerit. Deinde quòd prædicta l. Quisquis, præsumat ac arbitretur eos esse hæredes criminis paterni, & paternæ audaciæ successores: idcirco etiam ipsam hæreditatem successionis, veluti ab indignis, Fiscus auferre debet. Atque isthæc est aperta sententia Cyni in d. l. Quisquis, in 3. colum. Quin & de istis iura sunt rationibus amplissimis referta: quocirca de ijs superse-
9 deo. Verùm enimuero † ista omnia, sanè intelligenda sunt: quandoquidem filij hac bonorum paternorum proscriptione iure absoluendi sunt, quando parentum, aut maiorum crimina tẽpori aperiunt & deserũt, frequenter præcitata l. Quisquis, §. fi. In omni criminali exilio ob contumaciã pronunciato, condemnatur contumax pœna scilicet priùs proclamatione pronuncia ta, quemadmodum meminit excellentissimus Iurisconsultus & practicus D. Nellus de sancto Geminiano in suo insigni ac præclarissimo tractat. de Bannitis.

CAPVT LXVII.

De cæde seu homicidio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 67

Secundum crimen fuit homicidium Cain 1
Primum omnium criminum præuaricatio Adæ. 2

3
7 *Homicidij enormitas* { *A lege diuina.* / *Ab effectu vario.* / *Ex iure pontificio.* / *Pœna talionis.* } 4. 5. 6.
8

Homicidæ humani generis extirpatores. 9
Homicidium inter humana commissa grauissimum. 10
Occidendi voluntas quando punienda, vt ipsum homicidium. 11
Quæ sint occidendi voluntatis indicia. 12
Voluntas quando pro facto punitur. 13
Homicidij pœna ex lege diuina. 14

15
16 *Homicida offendit quatuor* { *Deum bifariàm* / *Remp. & Principem.* / *Occisi parentes, & cognationem.* / *Interfectum omnium maximè.* }
17
18

Voluntas non statim pro factis punienda, ob triplicem caussam. 19
Deficiente probatione facti, nullus capitaliter damnandus. 20
Ab homicidij pœna nullus excusandus. 21
Reatus omnem honorem excludit. 22

Cri-



CRiminum omnium ſecun-
1 dum,† quod poſt hominem
conditum in terra patratum
2 eſt fuit homicidium.† Quod ã quidem
protoparentum noſtrorum Adæ &
Euæ præuaricatio, primum læſæ Ma-
ieſtatis crimen fuit, atque adeò om-
nium criminum fons & cauſſa. Hinc
Cain furioſè germanũ fratrem Abe-
lem occidendo, nefarium alterum,
nempe homicidij, crimen ſubiunxit,
gloſ. in l. Si quis homicidij, C. de accu
3 ſat. hoc † homicidium tam eſt Deo
execrandum, vt ſuis præceptorum ta
bulis illud expreſſè vetitum voluerit:
Nõ occides, vt patet Exodi 21. & Deu
4 tero. 5. capitib. †Deinde vt innocen-
tis occiſi ſanguinem in cœlum clama
re, & Angelos vindictam expoſcere,
ſacræ teſtentur literæ, iuxta illud:
Clamitat ad cœlum vox ſanguinis,
&c. Et ſcribitur in Apocalypſi. Ecce
5 †poſt hęc vidi animas interfectorum
clamantes ad Deum & dicentes: Vſ-
quequo domine non das iudicium,
& vindicas ſanguinem noſtrum de

interfectoribus noſtris, qui ſunt in terris,&c. cuius meminit D. Paris de Puteo in tractat. ſuo Syndicatus 105. char. 1. colum. & D. Hipp. à Marſil. poſt eum in ſuis conſilijs, conſ. 7. incipiente, Summi cœli Deus, in prin
6 ci. Quodque † adeò eſt deteſtabile, vt Angeli diuinæ voluntatis executores, ſanguinem occiſorum de manibus homicidarum requirant: de
7 quo Geneſis 4. cap. † Poſtremò hoc vnicum Pontificia iura tam habent exoſum, vt (quum alia omnia crimina remiſsius puniant) hoc ſolum capitis animaduerſione plectendum eſſe ſtatuant: vel vt ob nullum aliud crimen quàm ob hoc vnum, capitalem ſententiam ferre velint: naturalis enim ratio dictat, vt quod quiſque alteri facere voluerit, ipſe patiatur, l. 2. & per vniuerſum tit. ff. quod
13 quiſque iuris, c. Cum omnes, ext. de
8 conſtitutione. † Vnde fuit pœna talionis de iure diuino inuenta, vt quis animam pro anima: oculum pro oculo, & ſic de ſimilibus perderet: vt probatur Exodi 21. cap. vnde nihil mirum, ſi homicida quod fecit, idem
9 ipſe expectet. Dictas ob † cauſſas, iura ciuilia homicidas, extirpatores ſeu violatores generis humani appellitant: quòd cognationis propagationem inter homines à natura conſtitutam è medio tollant & impediant, l.
14 Vt vim, ff. de inſtitu. & iure. & gloſ. in verb. humanitatis in l. Non tantum, ff. de appellat. vnde intereſt hominis hominem beneficio affici, l. Seruus ea lege, ff. de ſeruis exportand. Hinc item & beatus Thomas dicit ſecũda, 2. q. 122. articulo 6. Quòd homicidium de ſe non eſt appetibile, ſed magis horribile: quia non habet in ſe rationem alicuius boni. Idẽ ſcribit ſecunda, 2. q. 70. articulo 3. Quòd
10 inter cætera † peccata, quæ committuntur in proximum, homicidiũ grauiſsimum ſit: eóſque tam auerſantur & ſacri Canones, iuxta not. in c. Periculoſè, de pœniten. diſtinct. 1. & iura.
11 † Imperialia, vt non tam homicidium quàm ipſam homicidij voluntatem
12 acerrimè puniant, ſi quidem ea † voluntas externis indicijs pateſcat: nempe ſi armatus incedat, ſi inſidias ponat: quæ quidem ſolæ inſidiæ per ſe etiam delictum ſunt, l. Propter inſidias, C. de accuſat. c. 1. quæ fuit prim. cauſ. benef. amitten. ſi adoriatur armis vetitis irreferibilibus, cædendo, lædendo, & mutilando, l. Is qui cum telo, & ibi D. Hippo. de Marſil. C. Ad l. Cornel. de ſica. quæ quidem l. canonizata eſt in c. Is qui cum telo. de pœnitent. diſtinct. 1. l. Diuus, ff. eo. tit. & aperta l. Aut facta, §. Euentus, ff. de
13 pœnis. Regula † enim generalis eſt in iure, quòd quotieſcunque nõ ſtat per aliquem, quò minùs actus impleatur, actus habetur pro impleto, l. de pupillo, §. Si is cui nunciatur, ff. de opera. no. nunciat. Veluti ſi quis homi-
, nẽ nõ occidat, ſed tantũ vulnerauerit, eo tamen animo, vt occidere poſſet, is pro homicida damnandus eſt, vt in l. 1. §. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſica, quæ quidem iura, quod fortius eſt, etiam iuuantur lege diuina, qua prohibitum etiam reperitur
14 † homicidium ſub pœna vltimi ſupplicij, vt habetur Geneſis 9. capit. Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo: ob quod meritò homo digniſsima creaturarum habetur, teſte gloſſ. in verb. perſonæ, in §. fin. Inſtitut. de iure natur. gent. & ciuili. & l. Iuſtiſsimè, ff. de ædi. edic. gloſſ. in verb. rerum natura, in §. pecudum, inſtitut. de rer. diuiſio. & l. Cognationum, ff. de var. & extraordi.

co-

cognit. vbi glos. in verb. dignitatis, ita humanam extollit naturam, vt ei Angelicam naturam inseruire Deus constituerit. Idcirco etiam homicida
15 quatuor offendit. † Primò Deum, idque dupliciter, & quòd creaturam Dei vita spoliet, & quòd præcepta Dei contemnat, iuxta decalogum (vt antè allegatum est) Non occides, Exodi
16 21. & Deutero. 5 Secundò † homicida offendit rempublicam & Principem, quòd hominem occidendo suo bono & ciue spoliet: quandoquidem interest reipublicæ, refertas esse liberis hominibus ciuitates, l. 2. C. de iudic. viduita. tollend. l. 2. ad fin. C. com munia de manumiss. l. 1. ff. solu. matri. Quamobrem D. Adrianus in ea sententia se fuisse testatur, vt Imperium ampliari hominum adiectione potiùs quam pecuniarum copia maluerit, vt patet in l. Cùm ratio na
17 turalis, ff. de bo. damna. Tertiò, † homicida lædit patrem & parentes occisi: primò patrem, quia testem ipsius hæreditarium, qui patrem suum successione referret aufert: cũ filij immortalitate quadã suos parentes donent, in Auth. de nuptijs, §. 1. colla. 4. vt cùm
20 per nos remanere non possimus, per filios remaneamus, l. Liberorum, in fin. ff. de verb. & rerum signific. Maiores item & cognatos interempti pari ratione lædit, quia iniuria facta vni de parentela, redundat in ignominiam cuiuscunque stirpis eiusdem, l. 3. ff. de libera. causs. Et hinc ait clarè tex. in l. Capitalium, §. Famosos, ff. de pœnis, pœnam eorum esse solatio cognatis & affinibus interempti. Quartò, vel † omnium maximè occisum læsit, quem vita nullis rebus humanis conferenda, priuauit. Ideò-
21 que, vt rursus repetam, Exodi 21. cap. Si quis per insidias: ab altari meo euelles eum, vt morte moriatur, & Leuit. 24. Qui percusserit & occiderit hominẽ, morte moriatur, & Numeri 35. Cap. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidij, & ipse morietur. Quibus seruit illud quod dixit Christus Petro, scilicet, Qui gladio ferit, gladio peribit. Mathæi 26. Cap. Veruntamen † vsus, consuetudo, & practica,
19 prædictum rigorem voluntatis puni endæ, & asperitatem immodicam, ex causs relaxant & remittunt, testib. Pet. Barto. & Hippo de Marsil. num. 14. in d. l. Is qui cum telo, necnon D. Ioanne Berberio, in suo iuris viatorio seu directorio, sub Rub. de homicidio: qui facta ipsa solummodo punienda asserunt, fortassis triplicem ob causs̃am: Aut quòd ea iura plùs satis sint rigorosa: Aut quòd ea voluntatis certitudo probatu sit difficilis, adeò quòd non nisi per signa externa, aut præsumptionem ea voluntas innotescat: ob quam præsumptionem, nemo criminaliter damnandus est, sicuti doctum est superiorib.
20 capitib. multifarijs in locis. deficit † enim probatio facti, sine quo nullus debet capitaliter damnari per l. 1. §. Si quis vltro, ff. de quæstionib. Postrema ratio sit, quòd nec iustitia, nec reipublicæ salus tam grauiter volũtate læditur, atq; ipso facto: quia non fuit æquè priuata homine suo, quãdo delictũ fuit attentatũ, sicut quãdo fuit cõsummatũ: & hæc de cõsuetudine, quæ quidem consuetudo non potest fundari nisi in dicta vnica ratione, vt inquit D. Ioan. Berber. in d. suo iuris viatorio, sub Rub. de homicidio: quem
21 videte tempore congruo. Quocirca † homicidæ etiam nobili, de iure vltimum debet irrogari supplicium, multis de caussis suprà memoratis, sicut

etiam ait signanter text. in l. Nemo deinceps, ibi, homicida, quod fecit, semper expectet, C. de episco. audien. quem multi aiunt esse vnicum ac monoculum in iure: sed mihi videtur singularis tex. in l. Eiusdem, §. Legis Corneliæ, ver. Sed solent, ff. ad l. Cor. de Sica. & in l. Quoniam multa, C. ad le. Iuli. de vi. publi. vel priuat. Melior textus, quem paucissimi vnquam allegarunt in l. Vnica, ibi, & meritò mortis damnantur supplicio: cum nec ab homicidij crimine huiusmodi raptores sint vacui, C. de rapt. virgi. Quod procedit etiam quantumcunque grauis sit & honesta seu nobilis persona homicidæ. Nam reatus † omnem honorem excludit l. 1. C. Vbi senat. vel clarissi. ui. vel cri. cõue. & ibi glos. in verb. Excludit. Reliqua præsentis materiæ, vtpote homicidiorum genera, & quot modis committatur, elucidabimus capitibus proximè sequentibus.

CAPVT LXVIII.

De pluribus ac diuersis modis homicidij.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP 68

1 *Homicidium ex proposito committitur* { *Manibus atque instrumento* / *Lingua.* / *Consensu vel permissu.* / *Signis.* / *Incantationibus.* / *Toxico ac veneno.*

2 *Homicida capitaliter puniendus.*

3 *Adimere vitam est* { *Principis,* / *Ministri iustitiæ,* / *Principum officiarij.*

1 HOmicidium autem ex † proposito, multis committitur modis: Nempe, manibus atque materiali instrumento, lingua, consensu, vel permissu, signis, incantationibus, toxico ac veneno. Quisquis igitur aliquem aut similem dictorum homicidiorum † modum 2 commiserit, is capitaliter puniendus est. Ratio hæc est certissima, quòd nulli vnquam concessum fuerit deliberato animo ac destinata malicia, aliquo istorum modorum cuiquam adimere vitam, neque item ad mortem condemnare, neque morte punire, iuribus suprà cap. præcedẽti allegatis, & capitib. sequentib. suis cõgruis 3 locis allegandis: nisi soli Principi † iustitiæ ministro: aut illi cui Princeps suas in eo officio vices delegauit, quẽq; authoritate sua in iustitię fauorẽ instituit, c. De occidẽdis, 23. q. 5. Hęc autem, quoniam pro capituli angustia latiora sunt, speciatim ex subiectis aperienda cognosces.

CAP.

CAPVT LXIX.

De homicidio manuali.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 69

1 Modi & 2. 3 Instrumenta } homicidij manualis,

1 INfinitis modis † committitur homicidium ministerio manum: his tamen præcipuè modis, 2 assultibus, †inuasionibus, violētis inflictionibus, cędendo gladijs, spathis, semispathis, pugionibus, clauis, cucumis, hastis, rumigestibus, vulgo halle bardis, lanceis, sparis seu rumicibus, dolonibus, tragulis, iaculis, telis, sagittis, mtsilibus, fundis, balliſtis, sclopis, serpentinis, colubrinis, bombardis. Item varijs ferreis, æneis, plumbeis, 3 ligneisq; armis. Atque † adeo etiam lapidum iactibus, præcipitando à pontibus, è feneſtris, speculis, montibusque: eijciendo in imam vallem, aut in plateam. Postremò submergendo, strangulando: atque simili ratione quempiam lædendo, vt hinc mors subsequuta probetur, l. Qua actione, §. Occisum, ff. ad l. Aquil. l. 1. §. Occisorum, ff. de S. C. Sylla. l. 1, §. Diuus Adrianꝰ, ff. ad le. Cornel. de sicar. & l. Is qui cum telo, C. eod. tit. & ibi scrib.

CAPVT LXX.

De homicidio linguæ

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 70

1 Homicidium lingua committitur 4. modis { Falso testimonio. Consilio. Mandato. Iniqua condemnatione.

2 Homicidium, falso testimonio committitur.

3 Falsidicus testis tres lædit, { Deum, Iudicem, Innocentem } eoq; trifaria imponenda pœna, { 1 Periurij. 2 Falsi. 3 Homicidij.

4 Lingua omni ferro nocentior.

5 Consilio etiam efficitur quis homicida.

6 Iudæi lingua Christum crucifixerunt.

7 Distinctiuncula remissiuè { Consilij mandantis operis remoti. Et operis propinqui.

8 Homicidij mandato commissio.

9 Nuncius scienter portans homicidij literas, tenetur pœna homicidij.

Primum

10 *Primus mandans priori, & ille alteri mandaut, qui commisit homicidium, omnes tenentur l. Cornel. de sicar. scilicet pœna homicidij.*

11 *Nuncij, quorum opera fiunt tractatus maleficij, puniuntur.*

12 *Proxeneta contractus vsurarij, tenetur ad vsurarum restitutionem,*

13 *Præcipiens / Iubens / Mandans* } *homicidium, punitur vt occidens.*

14 *Damni dans causſam, damnum dediſſe videtur.*

15 *Iudex numis corruptus, innocentē morte damnās, vt homicida puniendus, citra mortē verò damnās* { *Datur in exilium. Bona confiſcantur. Lege Iulia repetundarum* / *Pœna* { *Concuſſionis* / *Falſi* } } *tenetur.*

16 *Nulla lex innocentē occidere cōcedit*

17 *Pilatus vt homicida habendus.*

1 HOmicidiū † lingua ferè committitur 4. his modis: nempe adulterino, ſeu falſo teſtimonio, conſilio, ſuggeſtione, vel adhortatione, præcepto, iuſſu, vel mandato, & iniqua ſeu iniuſta condem-
2 natione. Falſus † itaque teſtis quiſquis linguæ ſuæ veneno ad iniquam ſed iniuſtam mortis condemnationem quempiam adigit, morte, nempe gladio ac bonorum ademptione, vt falſarius, vt periurus, & vt homicida quoque mulctandus eſt, quod ſun datur in l. 1. in prin. ff. ad le. Cor. de ſicar. ibi, quíve falſum teſtimoniū dolo malo dixerit, quo quis publico iudicio rei capitalis damnaretur, &c. huic nec incongruit text. in c. 1. ext.
3 de crimine falſi. qui habet: † Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius: primùm Deo, cuius præſentiam contemnit: deinde Iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit, & quia tres lædit, triplex pœna ei imponi poteſt, ſcilicet, Primò periurij: Secundò
4 falſi: & Tertiò homicidij: facit optimè text. in c. Periculoſè, de pœniten. diſtinct. 1. tenetur etiam alia quacunque pœna, quæ irrogatur ex crimine, de quo Reum per falſum teſtimonium lædit, teſte gloſ. in d. c. 1. de crimi. falſi. ſuper verb. lædit. Qui quidem prænominatus occidendi modus, de teſtabilis eſt: eò quòd quaſi cum omnibus participat criminibus, meritò ergo I. C. de eo modo ſpecialem mētionē fecit in d. l. 1. in princ. ibi, quíve falſum teſtimonium &c. quam ait ſingularem Bald. in c. 1. §. Iniuria, in fin. de pace iura, firma. in vſib. feudo. poſt eum Alex. in Apoſtillis ad Bar. in d. l. 1. ad hoc, quod teſtis deponens falſum in cauſſa criminali, debet ſubire illam pœnam, quam de iure pateretur ille, contra quem depoſuit, ſi verum eſſet: nec minùs occidit hominē qui falſo teſtimonio opprimit innocentem, quàm qui ferro necat, quum
4 lingua † ſit omni ferro nocentior. De homicidio, conſilio, ſuggeſtione, vel adhortatione commiſſo, varij varia dixerunt: communem tamen doctorum opinionem hic ſolum recen
ſere curabimus, quum noſtra ætate,
5 iuris candidatos breuitate gaudere cognoſcam. Quòd ſi igitur † homicida, homicidium aliàs facturus non fuiſſet, niſi interueniſſet conſulentis conſilium: tunc paridemq; delictum eſt, facere homicidium, vel conſulere perſuadēdo, aliàs non facturo, & indè facienti:

facienti : quisquis igitur consilium dedit, quo fretus & adiutus quispiam alterum adigit neci, eam citra illius consilium nunquam commissurus, is haud dubiè non aliter plectendus est, quàm is, qui principaliter homicidium manibus patrauit, c. Sicut dignum, §. Quia verò iunct. gloss. in verb. consilium, ext. de homicid. c. fin. eo. tit. lib. 6. c. Si quis viduam, 50. distinct. c. Noli, & c. Periculosè, de pœnitent. distinct. 1. vbi cap. insigniter habet. Et hinc patet, quàm periculosè errent, qui eos tantùm homicidas esse existimant, qui manibus homines occidunt: ac non etiam eos, per quorum consilium & fraudem, & exhortationem, homines extin-
6 guuntur. Sicut & † Iudæi nequaqam proprijs manibus Christum occiderunt: mors tamen Christi ipsis planè imputanda est, quòd iniquo testimonio, consilio, & suggestionibus, eum ad crucis mortem pertraxerint. Doct.
7 interim locis preallegatis † vtuntur vna distinctiuncula, nempe, consilij mandantis operis remoti, & operis propinqui, cuius etiam meminit Iohan. Berbe. in suo viatorio iuris, sub rub. de Homicidio, quam hic brevitatis caussa omittimus. Præterea
8 qui † homicidij patrationem præcepit, iusit, vel mandauit, tenetur vt faciens illam, secundum Bartho. & alios in l. Si per alium ff. ne quis eum qui in ius voca. est, vi exi. in princ. & in l. Sed si vnius, §. Si seruus. & ibi Alex. ff. de iniur. Bartho. & sequaces in l. Si seruum, §. Prætor ait, ff. de acquir. hæredi. Bald. in c. 1. in vlt. colum. Quib. mod. feu. amittitur: Alex. post alios in l. Si quis id quod, ff. de iurisd. omnium iud. de quo latè per Ang. Aret. in suo insigni tract. maleficiorum, in verb. Sempronium mandatorem, per totum, quem suadeo legendum & relegendum, ob varias bonas, vtiles, ac quotidianas, quas suo laudabili more mouet, examinat, & discutit, quæstiones. Atque hoc item modo Iudæi cũ Pharisæis & Scribis, Christũ seruatorem nostrum occiderunt: qui iussu, clamoribus, ac mandatis imperiosis ad crucis patibulum adegerunt, vti habent sacræ Euangelistarum historiæ: crucifige, crucifige eum, Si hunc dimittis &c. quæ omnia sunt apertiora, quàm vt hic amplius probanda sint. Item & per Doct. in d. c. Sicut dignum, & per D. Fely. in c. Mulieres, per totum, de senten. excom. D. Hippo. de Marsil. suis in singularibus, singulari 181. incipiente: Mandans fieri homicidium
9 &c. Vbi † etiam quærit, quid de nuncio scienter portante literas, mandatum homicidij continẽtes, secuto tandem homicidio: concludit eum teneri pœna homicidij: Ita singulariter dixit Cyn. in l. Non ideò minùs, C. de accusa. Idem expressè firmat Bald. allegans Cyn. in l. 1. §. Ne autem, in 5. colum. C. de cadu. tollend. Vbi etiam
10 subdit, idem esse, † si mandaui Titio vt faceret homicidium, & Titius mandauit Seio: nam omnes tenentur, allegat text. quem dicit singularem, in l. Si ego, ff. quod vi aut clam. Idem etiam voluit Bart. in l. 1. §. Incidit, ff.
11 ad Turpil. vbi inquit; Quòd † nuncij per quos fiunt tractatus homicidiorum, vel maleficiorum, puniãtur per illum text. subdẽs, quòd ille casus est per glos. in ver. Cauerint, in l. Si scien te, ff. ad l. Pomp. de parricid. Qui di-
12 cit † etiam à simili, quòd proxeneta contractus vsurarij tenetur ad restitutionem vsurarũ. Multo magis autem ille maleficij est culpabilis, qui iussu ac mandato, maleficij caussam dederit. Plures allegationes, si desideras, vide bis per D. Hippoli. in dicto suo singu-

lari

lari 181. & antè eum per D. Ang. Aret. in d. ſuo tracta. maleficiorum, in verb. Sempronium mandatorem.

13 Itaque †præcipiens, iubens, vel mandans, debet puniri, quemadmodum occidens, text. in c. fin. de homicid. lib. 6. ad idem text. in l. Damni, §. Si pupillus, ver. Si mandato. ff. de dam. infecto. Ratio huius eſt, Quia

14 † quiſquis damni dedit cauſſam, damnum dediſſe videtur, l. Qui occidit, §. In hac, ff. ad l. Aquil. §. Cæterum, & gloſ. in verb. mortuus, inſtitu. de le. Aquilia. Item, quod quis per alium facit, per ſeipſum facere videtur, §. Non ſolum, inſtitu. de iniur. l. 1. §. Deieciſſe, ff. de vi &

15 vi arma. Poſtremò † iniquus iudex, numis corruptus, qui falſò, doloſè, & ſiniſtro medio innocentem morte damnat, is item vt falſarius, vt periurus, & vt homicida quoque damnandus eſt: nulla † enim lex innocentem occidere concedit, c. Si non

16 licet, in prin. 23. q. 5. ſicuti ex ſequen

17 tib. clariùs cognoueris. † Propterea Pilatus ſimili pœna damnandus fuerat, qua ipſe innocentem Chriſtum condemnauit. Iudex namque iniuſtè aliquem ad mortem iniuſta ſententia damnans, eadem pœna, nempe homicidij, ſeipſum inuoluit, l. Lex Iulia, §. fin. ff. ad l. Iuli. repetun. quem text. pro mirabili allegat Ioan. de Anania, in c. Accuſanti, ext. de accuſat. Similiter & Bald. in l. vnica, in 4. colum. C. ne ex delic. defuncto. contra Iudices, qui accepta pecunia, vel calore iracundiæ inducti, vel ſine conſideratione, mortis ſententiam proferunt in l. 3. C. de epiſco. audien. ibi homicida, quod fecit, ſemper expectet: huius luculenter meminit text. in d. l. 1. in princip. verſic. quóve magiſtratus Iudéxve quæſtionis ſub capitalem cauſſam pecuniam acceperit, vt publicæ legis Reus fieret: & qui hominem occiderit, punitur: non habita differentia, cuius conditionis hominem interemerit, ff. Ad l. Cornel. de ſicar. Reſolutiuè atque vnica diſtinctiuncula dicamus: quòd ſi ad mortem condemnet, pœna capitali legis Corneliæ tenetur, d. l. 1. Si autem ad mortem non condemnet, ſed aliàs puniat in corpore, corruptè iudicando, in exilium datur: omnia bona confiſcantur, de quo in Authent. Nouo iure, C. de pœna iudic. qui mal. iudic. Item tenetur le. Iulia repetundarum, l. 3. & 4. ff. ad le. Iuli. repetun. Item concuſſionis l. 2. ff. de cõcuſſionibus. Item falſi, l. 1. §. Et qui Iudicem, ff. ad l. Cornel. de falſ. Poſſet hîc aperiri ampliſſimus quæſtionum campus, quem prudens prætereo, ne æquò prolixior fiam: quandoquidem quæſtiones eæ ex ſuperioribus facilè ſolui poterũt.

CAPVT LXXI.

De homicidio per conſenſum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 71.

1
2 *Homicidium conſenſu committitur: Aut* { *Ante factum.* / *In facto.* / *Poſt factum.*
3

Homicidæ conſilium ac opem præſtans per viã { *Iuſtitiæ* / *Gratiæ* / *Almoniæ* } *non eſt puniendus.* 4 5 6

Homi-

1 HOmicidium † consensu committunt ij, qui ipsi homicidę, aut ante factum, aut in facto aut post factum homicidium, suppetias ferunt, aut solatia. Ante factum quidem, si opibus & pecunia iuuent, si milites, si equites, si arma, atque id genus subsidiaria auxilia suppeditent, l. 4. ibi, cuiúsve opera, ff. ad le. Iul. Maiesta. l. Si pignore, §. Cùm furti. ver. Qui ferramenta, ff. de furt. l. 1. & l. Vtrum, ff. ad l. Pompe. de parricid. l. Qui domum, ff. ad l. Iul. de adulter. l. Nihil interest, ff. ad l. Cornel. de sicar. & l. 1. ff. de recepta. In ipso † autem facto, seu actu quis maleficium committit, si semet malefactori homicidæ adiungat, ei assistat, commoditatem vllam præbeat, quò expeditiùs homicidium faciat: probatur notabili l. 1. C. de rap. virgi. c. Sicut dignum, §. 1. ext. de homicid. pro hoc text. in l. Item Mela. 3 §. Si alius, ff. ad l. Aquil. Post † factum verò, si cum ipso homicida se coniungat: cum ipso, ceu patrocinaturus, conuersetur: ipsum hospitio, tãquam re bene gesta, recipiat: si quò minùs comprehendatur, impediat: si alijs quoque similibus indicijs consensum actualem demõstret, vt probatur in l. Is cuius ope. ff. ad l. Iuli. de adulter, in l. 1. C. de his qui latrones vel alijs criminibus reos occultarunt: Textus aureus in d. l. 1. ff. de recepta. Hæc tamen sanè veniunt intel 4 ligenda, quia † si quis post delictum commissum, consensum ac opem criminoso præbeat, & consilium, non contra ipsam iustitiam, sed vti ipse criminosus per viã iustitiæ suóque consilio adiutus periculum mortis euadat, nullo modo puniendus est, velut ipsi aduocati, qui ex Iudicis assensu postulant pro delinquentibus, secundum notata in l. Per omnes, C. de defensoribus ciuitat. facit. l. Custodias, cum gloss. & ibi nota. per Bart. & Io. de Imol. ff. de public. iudic. l. Si postulauerit, §. Quæstionibus, ff. Ad le. Iuliam, de adulter. Hanc opinionem pari ratione confirmat Innocentius in c. Solet, ext. de senten. excommunica. vbi dixit, quòd Aduocatus excommunicato consilium præstans, & cum eo hac gratia conuersans, nullam excommunicationis labem sibi 5 ex eo contrahat. Rursum, † si quis post delictum commissum, alicui consensum præstet, & opem ei qui delictum commisit, vt euadat, per viam gratiæ siue misericordiæ supplicando pro eo Principi, non punitur, argum. l. Quidam, ff. de reb. dubijs, l. Relegati, & l. Diui fratres, ff. De pœnis. Istud tamen fallit in crimine læsæ Maiestatis: quia supplicans pro ijs qui in crimen læsæ Maiestatis incidunt, efficitur infamis, pœnáque perpetuæ infamiæ notatur, l. Quisquis, §. Denique, C. ad l. Iuli. Maiestat. 6 Postremò † post delictũ commissum, præstans consensum & opem alicui per viam alimoniæ, nõ punitur, cùm etiam post condemnationem sit alimentatio permissa, l. Legatum, ff. de cap. diminut. probatur in l. 4. ff. de ijs quæ pro non scrip. habẽ. Itaque per prædicta nunc constat abundè satisfactum esse huic communi quæstioni: vtrum cõsentiens per cooperationem puniatur eadem pœna, qua delinquens d. l. vnica, C. de rapt. virg. & l. Vulgaris, §. penul. ff. de furt. Hactenus item enarrata omnia copiosè ac luculenter cõfirmat ac probat Bar. in l. In furti. §. Ope, ff. de furt. necnõ D. Paulus Gril. in suo tract. de pœnis omnifariàm coïtus, folio lib. meo 223. & num. 15. 16. 17. 18.

Caput

CAPVT LXXII.

De homicidio per indicia seu signa.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 72

Signis homicidium committitur
1 *Commonstratione personæ.*
2 *Commonstratione viæ periculosæ.*
Consilio — 3 — *dolosis, in alicuius necem.*
Indicijs — 4 — *dolosis, in alicuius necem.*

SIgnis ferè homicidia † commit 2 qui postea occiditur. Aut † si nequitiantur, quoties dolosè ac mali- ter commõstrata via, quempiam per gnè indicant locum vbi latet is 3 locum transire † consulant, vbi ipsi in-

insidias structas esse cognorunt, l. Itē si obstetrix, ibi, Quemadmodum, ff. ad l. Aquil. l. Cuiusque, ff. ad l. Iuliam 4 Maiest. † Aut si similibus indicijs alicui cædis occasionem & causſam præbuerint, l. Nihil interest, ff. ad l Cornel. de sicar. Hi enim omnes vero homicidio obuincti sunt, eóque, vt ipsi principales homicidæ, plectendi.

CAPVT LXXIII.

De homicidio per sortilegia.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 73

1 *Sortilegijs occidens* { *Vt homicida, morte mulctatur.* / *Vt sortilegus, igne comburitur.*

2 *Sortilegijs impediens* { *Conceptum* / *Partum* } *incendio absumitur.*

QVisquis aliquem sortilegijs occi-
1 derit, † aut incantationibus, is ignis conflagratione consumendus est: illius enim homicidium non simplex est, quoniam homicidium præterea sortilegio commaculauit, cui-
2 us gratia incendio damnatur. Sicut † item is qui sortilegijs naturalē in viris ac mulieribus generandi vim impedit: aut efficit ne mulier concipere possit: aut grauida parere: aut lac nutricis deficcat: aut quouis alio modo sortilegia ac maleficia, siue in cor pore per cibum vel potum, siue extra corpus conficit, is vt homicida tenetur, c. Si aliquis, & ibi, scrib. ext. de homicid. l. Si quis aliquid, §. Qui abortionis, & ibi Doct. ff. de pœnis, l. Eorum, C. de malef. & mathe. Illius etiam meminit explanatiùs D. Paulus Grilan. in suo insigni ac laboriosissimo tract. de Sortilegijs in 2. 3. atque 11. quæstionib.

CAPVT LXXIIII.

De homicidio per venenum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 74.

1 *Occidens* { *Veneno* / *aut* / *Toxico* } *punitur &* { *Gladio* / *&* / *Confiscatione bonorum.* }

2 *Atrocius est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio.*



3
4 *Venenum triplex* { *Ex sui natura malum, sed admixtum salubre.*
4 { *Ex sui natura noxium, nociuumque semper permanens.*
5 { *Malicioſè ad perimendum confectum.*

6 *Venenum* { *Primum* / *Secundum &* / *Tertium* } { *quibus* / *nullis.* } *permittitur.*
7
8 *Letalibus herbis, aut potu necans, cui pœnæ obnoxius.*

9
7 *Veneno faciens abortum* { *Fœtus viuentu, punitur capitaliter.*
10 { *Fœtus nondum viui, punitur extraordinariè.*

11 *Arte fœtum priùs mortuum propellens, in laude eſt, non in crimine.*

12
Mulier ſibi abortum faciens { *Fœtus viuentis* / *Fœtus nondum viui* } *punitur* { *hæc, puteo.* / *hæc, extraordinariè.*
13

14 *Mulier ſibi abortionem procurans conducta pecunia, ſemper punitur capitaliter*

Ani-



16 *Attentata abortione frustrata, quomodo punienda?*
17 *In maleficijs spectandus euentus potiùs quàm animus.*
18 *Lanionum, & salsamentariorum maleficia, quomodo punienda?*
19 *In sceleratos laniones & similes acerba inuectio.*

1 Si quis aliquem † occiderit veneno, aut toxico, is ceu proditor habetur, teste Bald. in l. Nemo clericus, C. de sum. Trin. & fid. catho. ideoque gladij animaduersione punitur, cum confiscatione bonorum, l. 1. & 3. ff. ad l. Corneliam de sicari. & venefi. Imò inquit Imperator in l. 1. C. de ma-
2 lefi. & mathe. Plus † est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio, d. l. 3. in principi. Eidem quoque crimini sese inuoluit, quisquis præsentaneum tale venenum conficit, emit, vendit, siue parum siue multum, aut domi seruat, aut sciens, volensque pro necando aliquo custodit: etiam si eo veneno nunquam vtatur, nec ad effectum probauerit, nec eo vllus vnquam peremptus fuerit, l. 1. &
3 3. Hîc tamen te scire † velim, amice Lector, tria esse venenorum genera, quorum meminit text. in d. l. 3. Nempe venenum, quod ex sui natura quidem malum est: sed alijs substantijs admixtum, bonum fit & salubre.
4 Aliud † per se nociuum est, ac noci-
5 uum permanet. † Aliud, malicioſè, ad perimendum, confectum est, l. 8 Eiusdem, ff. ad l. Cor. de sicar. ibi & Bart. tractante de medicamentis ac triplici veneno. Primùm permit-
6 titur † medicis, chirurgis, pharmacopolis, veterinarijs seu æquorum medicis (quos nunc vulgus maresscalcos adpellat) atque id genus similibus, vt eo vtantur, vt valetudinarijs, atque affectis præbeant, vt id emant, vendant, aut simplex aut mixtum sicuti ipsis visum est, l. Quod sæpe, §. Veneni, ff. de contrah. empt. aut vendit. Sed in hoc genere pharmacopolis diligenter videndum est, quibus hoc venenum dent aut vendant: & cuius rei vsui emptor sibi coëmat, atque diligenter memoriæ, siue potiùs literis fidis memoriæ custodibus, mandet, si forsan apud eos isthac de re facienda veniret inquisitio: aliàs certè tenerentur pœna legis Cornelię de sica. d. l. 3. §. Alio:
7 Alia verò duo † venenorum genera, nulli fas est dolosè seruare domi, nec ea emere aut vẽdere, nec dare cuiquã, aut cõcedere vllo modo sub pœna capitali, l. 1. §. Præterea & l. 3. ff. ad l. Cor. de sicar. & in d. l. Quod sępe, §. Veneni, ff. de cõtrah. emp. & ven. Similiter cũ superiori, quisquis † aliquẽ letali potione, aut edulijs herbaceis ex venenosis cõfe. herbis, cicuta, salmãdra,

aconito, pintuocarpa, bobustro, man dragora, cantharida malignè permit, tam est in noxa, eademque pœna mulctandus, ac si veneno sustulisset hominem, d. l. 3. §. Alio. Ad 9 hæc † quisquis noxia potione, aut huiusce modi veneno mulieri procurat abortum, is capitaliter puniendus est, si quidem fœtum in vtero vixisse constiterit, l. 1. ff. ad l. Pompe. de parricid. & melius in l. penult. ff. ad l. Cor. de sicar. l. 1. in princ. ff. eod. titu glos. in verb. exilium, in l. Diuus, ff. de extraor. crimi. De his abundè D. Paulus Grillandus in suo tract. 10 de Sortilegijs, q. 12. & 13. Sin fœtum † nondum concepisse vitam, certum est, haud tam enormis est noxa: alia tamen pœna extraordinaria, relegatione, exilio, vel simili ad arbitrium Iudicis, secundum qualitatem facti, & personarum conditionem, is proscribendus est, l. Si quis aliquid, §. Qui abortionis, ff. de pœnis, l. Diuus, ff. de extraor. crimi. l. Cicero, §. fin. & l. Prægnantem, ff. de pœnis, & l. Si mulierem visceribus, ff. ad l. Cor. de sicar. Et hanc distinctionem inter partum animatum, & inanimatum facit text. in c. Moyses, 32. q. 2. & in c. Sicut ex literarum, De homicidio, in an 11 tiq. at si quis † fœtus in vtero priùs emortui arte medica eiectionem curauerit, in laude is est, nedum culpa vacat, si de ea morte certò constiterit.

12 Mulier † verò quæpiam, quæ technis dolosis sibijpsi fœtus viuentis abortionem facit, ea quoque similiter vt antè de iure scripto, & ex recepta consuetudine, putei suffocatione damnan 13 da est. Si verò † fœtum talis mulierculę sibijpsi poculum noxium prębentis, nondum vixisse certum fuerat: ea exilio item releganda, aut certè alia pœna extraordinaria mulctãda, l Diuus, l. Cicero, §. fin. l. Si prægnantem, & l. Si mulierẽ visceribus, suprà crebrò 14 memoratis. Verũtamen † si isthæc mulier imprægnata ante fœtus animationem, vllam ab aliquo accepisset pecuniam, vt præmaturè fœtum illum embrionis nõdum animati per noxia quæpiam, aut per medicamenta corruptum eijceret: ea non solùm, vt prior, exilio, sed grauiùs multò punienda esset, nempe pœna capitis, citra vllam distinctionem, an vixisset partus, an verò minimè: idque propter detestabilem illam pecunię receptæ turpitudinem, quam assassiniam vocant, l. Cicero, in prin. ff. de pœnis. Bart. in d. 15 l. Diuus Quoniam † verò mota est suprà illa distinctio, de fœtu animato & non animato, non ab re facturum me arbitrabor, si quanto tempore fœtus in vtero materno animaretur, hic obiter ostenderem. Secundum igitur quorundam doctorum opinionem, fœtui vita infunditur trigesimo à conceptione die, aut trigesimoquinto ad summum. Ita habet dominus Consiliator in suis differentijs physicis, differ. 49. Alij verò autumant fœtum masculum animari die quadragesimo: fœtum autem fœminium, non nisi octuagesimo die vita donari. Ita dicit glos. 5. distinct. in princ, in verb. 40. quam etiam sequitur abbas in c. Si aliquis, in fin. ext. de homicidio. In iure tamen ciuili non est discedendum ab opinione glossæ singularis in d. l. Diuus, quam quidem glos. ob summam authoritatẽ, summè etiã cõmuniter approbant omnes. Bart. tamen ibidem vult masculũ fœtũ animari vita, quadragesimo die: fœmininum autem die sexagesimo: ea tamen naturalibus discutiẽda relinquit. Atq; hactenus de co namine fœt⁹ expellẽdi declarata, intelligas oportet, si conatũ illũ secut⁹ fuerit effect⁹, hoc est, si mulier partũ abortiue-

16 tiuerit. Nam si conatum † non sequitur effectus, nec sumptum noxium poculum operetur effectum: sed si præter suam expectationem, & spem fœtum viuum pepererit, qui aliquan tulo tempore superuixerit: ipsa quæ poculum obtulit, aut ea quæ vltro sumpserit, punitur quidem, non tamen capitaliter, teste D. And. Barba. in suis consilijs, consi. 23. in 2. volumi.

17 Et hodie in † maleficijs potiùs spectatur euentus, quàm solus animus delinquẽtis sine effectu, & ponderat textum in d. l. Siquis aliquid, §. Qui abortionis, in verb. perierit: vbi ita imponitur pœna vltimi supplicij danti poculum abortionis, si perierit partus: sed hoc casu non perijt partus, ergo &c. Attamen nõ impunitus euadet quisquis aut sciens tradidit, aut sciens sumpsit: poterit enim relegari, per ea quæ habentur in d. l. Si quis aliquid, §. Qui abortionis, ff. de pœnis, quem ocium nactus perlegere poteris. Porrò laniones, † salsamentarij, ac

18 cœnopolæ, qui corruptas carnes, putridosq; pisces, ac scientes noxia infectáque vina, siue infectas lagenas largiuntur aut vendunt, vnde violenta alicuius mors sit exorta, iure puniendi sunt, vt veri homicidæ. Quod vti-

19 nam † tam ipsis esset persuasissimum, quàm in iure ac ratione est certissimum, cautius puto ac syncerius nobis suos pædores, maláque venderent, nosq; feliciùs concessam vitam ageremus. Sed (quod non sine summo mœrore commemorare possum) tanta passim permittitur his in rebus libertas, vt si ita in suis maleficijs pergere sinantur, nec necessario remedio per senatum occursum fuerit, plures tandem (metuo) quàm ipsi carnifices sustulerint. Vnde quæso tam crebræ pestes? vnde tot tormina? tot dysenterię? Vnde hæ chiragræ, podagræ? atq; sexcenta milia penè morborum genera? nisi ex corruptis obsonijs, ex putidis piscibus, vermiculosis atque infectis carnibus, atque vitiatis vinis, sulphure, calce, vt peiora nõ memorem. Quibus non sat est, quòd fallis mercibus aut obsonijs manifestum furtum committant, nisi etiam suis vitiosis admixtis nos miserè excarnificent, ac mille morbis morte durissima grauioribus infeliciter exagitent. Quocirca optarim omnibus votis iustitiã hic oculatiorem, ac senatum temporiùs huic inualescenti malo adferre remedium. In summa, quisquis malicioſè alteri adimit vitam, quocunque modo, ac forma id fiat: is damnandus est ad formas prędictas, l. 1. §. Præterea, & l. In lege Cornelia dolus, ff. ad l. Cornel. de sica. Atque itẽ omnes cooperarij, coadiutores, qui ipsis homicidis scientes volentesq; sua solacia, fauorem, ac opem suam contulerunt, l. 4. §. Cuiúsve opera, ff. ad l. Iul. Maiest. l. Si pignore, §. Cum furti, ver. Qui ferramenta. ff. de furt. l. 1. ff. de recepta. quorum vtcũque meminimus capitibus prędecentibus. Possent ditissimæ huic materiæ plura sanè vtilia adiungi: verùm ne immodica prolixitate vos detinerem, ea præterire volui.

CAPVT LXXV.

De inspectione occisi.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 75.

Inſpectionis occiſi forma. 2

2 *Vulneratus tantùm* { *Propria* { *Culpa, vel Incuria,* } *Imperitia* { *Medicorum, vel Chirurgorũ,* } } *moriens, non grauat vulnerantem crimine homicidij.*

Inſpectionis ratio & forma apud Brugenſes. 3
Relatio Burgimagiſtri ad Senatum poſt inſpectionem. 4
Forma querelæ Conſulis communitatis, coram Senatu per Scribam. 5
Homicidam oportet ante tertium diem ſeſe per amicos de facto prodere. 6
Formæ abſentes homicidas proſcribendi, ex conſuetudine Brugenſium. 7

Præ-

PRæsens caput de interfecti inspectione iamiam præcedentibus capitibus subiũgere non inutile fuerit, vt in prædictis casibus æqua consideratio atque cognitio talium læsionum & vulnerũ causa, ante sepulturã certò Iudici constare posset: néve interfecti minùs certæ cognitionis in isthac interfectione
1 desideretur. Prætor† igitur seu ipsius vicarius, vna cum duobus scabinis, cum scriba iudicij, cum vno alteróq; chirurgo, & medico (si haberi possint) ante inspectionem quidem ad hoc iuratis, eundé illum cęsum, mortuumq; priusquam sepeliatur, diligenter inspiciant, & si sepultus fuerit, effossum cadauer accuratè considerent, & omnia accepta ipsius vulnera, verbera, ictus, & iactus, iuxta compertã notitiam & veritatem, summa cum diligentia notari consignarique curent, quod ita fieri voluit Bart. in l. Damni, §. Sabini, ff. de damno infect. vt describantur tempus locusq; vulneris. Summa item cum obseruatione notanda sunt vulnera mortalia, & non mortalia. Bart. in l. fin. ff. de quæstionib. Ang. in l. Si in rixa, ff. ad l. Cor. de sicar. Nam
2 †si per negligẽtiam & incuriam propriam, aut imperitiam medicorum ac chirurgorum vulnus fortè mortale fiat, vulnerans tunc tenetur de vulnerato tantùm, nequaquam de occiso, l. Qui occidit, §. fin. & l. Si ex plagis, ff. ad l. Aquil. c. Significasti, de homicidio. Bart. in tract. de percussionibus, vers. Quid si est percussus non mortiferè, &c. Bild. consilio, 136. Proponitur 2. parte. Nisi sit vulnus illatum in homine non sano; bonus text. in l. Qua actione, §. Sed etsi quis seruum ægrotum, ff. ad l. Aquil. Vel nisi coniunctio, ac vulnerum non mortalium pluralitas, mortem coniunctim induceret, Bart. in d. l. Si in rixa, ff. ad l. Cornel. de sicar. Vel de occiso non tenebitur, si vulnerati vulnus sua negligentia siue culpa propria efficiatur mortale, veluti si non sinat se curari: vel si cum vxore, aut alia muliere concubuit: vel si medicorum aut chirurgorum præceptis parêre neglexerit, aut planè noluerit, non abstinendo à potu cibóque vetitis, vulneríque suo contrarijs, huic seruit quæstio. 323. mi nimè incelebris, 2. parte decisionum aurearum quæstionum insignium D. Nicolai Boërij, viri inter iuris interpretes maximi nominis: quæ habet multa insignia de vulnere, & inter alia vulnus mortale quale dicatur, & quando mors ex vulnere vel aliunde probetur subsecuta: & quæ sint partes in humano corpore letalibus vulneribus obnoxiæ, quæ verò minimè: deinde an iudicio medicorum aut chirurgorum in hac inspectione standum fuerit: quam quidem D. Nicolai quęstionem introspiciendam nequaquam dissuadeo. Cuius gratia vnum exemplum proferam vbiuis locorum vsitatissimum, potissi-
3 mum autem in inclyto † Brugensi oppido, vbi hic mos, & consuetudo receptissima inoleuit: vt quoties denunciatus fuerit quispiam interemptus, ad cadauer occisi ilicò properet Prætor, vel suus vicarius cum duobus senatoribus seu scabinis, cum scriba, & vno atque altero chirurgo iurato: quò quum ventum fuerit, diligentem occisi inspectionem habent, ita vt interrogent cæsi qualitatem, conditionem, & exercitationem, nomen, cognationem, affinitatem, & similia: cui notus, cur, & quomodo ea cædes commissa sit. Ideóque notent locum, vbi primò occisum reperierunt, notent omnia vulnera letalia & nõ letalia, & loca vulneribus affecta, notét diem, tempus, & horam quãdo

occisus, quando ita à senatoribus seu scabinis repertus, notent instrumenta, notent postremò per quem ea cædes commissa habeatur, ea autem omnia scriba, hac aut simili forma verborum breuissimè complectetur.

Anno 1550. sexto Iulij, hora 3. à prandio, inspectus est Ioannes Lupus F. Petri, maritus Annę Vulpis, faber murarius Gandensis, iacens interfectus Brugis in platea lapidea ante œnopolium Cerui, vno aut pluribus vulneribus affectus, quorum vnum (quod per se letale fuerat) inflictum fuit in capite, alterum per se etiam letale in pectore, reliqua verò eo, atque eo loco, non tamen letalia. Que omnia inflixisse ferebant Petrum Simonis F. Pauli aurigam Bruxellensem, gladio, aut hasta, anno & die suprà scriptis, hora decima ante prandium, qua hora è viuis excesserit. Acta est hæc inspectio anno, die, & hora, vt ante, præsentibus dominis M. Iodoco Casletano, & Henrico Stratio senatoribus seu scabinis, vna cum Prætore, vel ipsius vicario, vel satellite. Huius autem inspectionis nota inscribenda est
4 registro. Porrò † quoniam Burgimagister communitatis, verè caput est totius reipub. sibi illatum meritò putat, quicquid vlli suarum partium illatum fuerit. Quocirca in florentissimis nostris Brugis, vbi æquissimè atque omnium optimè politica singula constituta sunt, hæc consuetudo post dictam inspectionem perpetuò seruatur, vt dictus Burgimagister communitatis ob illam partis suæ iniuriam & læsionem, ante finem tertij diei, querelam suam referat ad collegium senatorium (siquidem id conuenerit) aut coram duobus eiusdem collegij magistratibus, per D. scribam ad hanc formam pronunciandam.

Forma † querelæ per D. Consulem communitatis ex relatione Scribæ.

5

A Equissimus D. Consul communitatis Brugensis, Petrus Tutor, grauiter conqueritur, de Petro Simonis F. Pauli, auriga Bruxellensi, homicida nefario, qui Ioannem Lupum, F. Petri, maritum Annæ Vulpis, & fabrum murarium Gandensem grauissimè vulnerauit gladio, hasta, & cæt. in capite, in pectore, & cæt. ex quibus illatis vulneribus hic Ioannes Lupus è viuis excesserit. Contigit autem hoc homicidium Brugis in platea lapidea ante œnopolium cerui, anno 1550. sexto Iulij, hora decima ante prandium. Cuius querelam D. Consul deponit ante finem tertij diei ab inspectione facta, nempè nono Iulij, anno vt suprà, coram vobis dominis in collegio senatorio huius ciuitatis Brugensis. Si autem Burgimagister communitatis per absentiam hanc querelam referre non potuerit, idem scriba eandem relationē faciet ex nomine alterius sequentis consiliarij, aut ipsius sequentis vicarij, hoc modo: *D. Matthæus Viues legitimus vicarius ac locum tenēs Domini Petri Tutoris, ob ipsius absentiam grauiter conqueritur, & cæt. vt*
6 *antè.* Cæterum † non absre hic diligentissimè obseruandum hoc receptissimum apud Brugas nostras statutum, quo sancitum est, vt ipse homicida debeat ante finem tertij diei sese de homicidio per ipsum perpetrato coram senatu accusando notificare, idq; per duos eiusdem ciuitatis ciues, quibus homicidæ nomine coram senatu aut duobus senatoribus comparendum fuerit, & eadem homicidæ notificatio ipsis referenda, quam dicent iuramento adstricti habuisse ab ipso homicida in mandatis ad referendum ipsius nomine, qui fatetur sese hoc homicidiū commisisse tali loco, tempore, & instrumento,

ita

ita vt ea confessione hoc factum sibi tantum asscribat, reliquósque innocuos excuset. Nam si hac accusatione sui, homicida ante diem tertium de commisso homicidio minimè se proderet, Iudex homicidium ipsius pro latrocinio habendū censeret, ipséque per absentiam & non comparitionis contumaciam, exilio centum annorum ac vnius diei Flandria proscribitur sub pœna capitis, vt verus
7 latrocinij Reus. Porro † si ante tertium diem à commisso homicidio ipsemet corporaliter citatus (nam semper à patrato homicidio per Consulem communitatis citātur ad obediendum iustitiæ) compareat, & se captiuum offerat pro defensione sua, & expurgatione facienda, semper auditur, & causa ipsius iuridicè peragitur. Si verò corporaliter non compareat post omnes citationes factas: sed per amicos delatores coram duobus senatoribus sese homicidij alliget ante tertium diem, iuridicè contra eum absentē proceditur: isq; interim proscribitur tota Flandria, & comitis protectione priuatur, donec ipsius clementiam & remissionem super homicidio impetrauerit. Sin nec corporaliter per se, nec per alios sese magistratui notificauerit, vt dictum est, ipsius homicidium sua culpa, silentio, & significandi negligentia fit latrocinium, ob quod totus eijcitur, & Comitis benignitate inpetranda indignus efficitur.

CAPVT LXXVI

Cui permissum occidere.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 76.

1 *Occidere quatuor modis permittitur.* { *Ob defensionem* { *Sui.* / *Bonorum suorum.* / *Nominis ac famæ.* / *Amicorum suorum.*

Inuaso permittitur sui defensio, etiam vsque ad internecionem alterius. 2
Quot sint necessaria, vt quis sui defensionem legitimè præstruxerit. 3
Inuasorem interimens defendendi sui gratia, puniendus non est. 4
Quando quis in vitæ discrimine constituatur. 5
Quando propria defensio approbanda. 6
An is qui inuaditur, fugere cogatur. 7
Inuaso quando fugiendum. 8
Inuaso quando non fugiendum. 9
Homicidium tempore meditatum, negat defensionem sui. 10
Homicidium quando non est tempore præmeditatum. 11
Pauper potentiorem prior adortus, occidens quando excusabilis. 12
In sui defensione modum excedens, non excusatur. 13

In moderata defensione requiruntur { 14 *Factorum paritas.* / 15 *Temporis æqualitas.* / 16 *Facti cum defensione iusta collatio.*

Defensio præuiam læsionem arguit. 17
Prior pugnam mouens, prior quoque offendit, non defendit. 18

Minarum cauſſa, quando mouenda pugna? 19
Prior inuaſus, ac poſtea inuadentem in fugam conuerſum occidens, homicidij reus efficitur. 20
Pugnam prior iterans, inuadens, & occidens, reus eſt homicidij. 21
In pugna dubia de priori inuaſore, vterque ex æquo puniendus. 22
In pugna dubia, vtri adiudicanda defenſio ſui. 23
In tumultuaria pugna aliquo dubiè occiſo, quomodo damnandi pugnantes? 24
Nemo morte condemnandus ob ſuſpiciones. 25
In tumultuaria pugna, ſolus letalis vulneris author capite plectendus. 26
Homicidij coadiutores quomodo puniendi? 27
In pugna tumultuaria homicidij dubia, inceptores puniendi. 28
Si duo è populi conflictu pugnarint, bene famati verbis potiùs credendum. 29
Vt bona fama patrocinetur, diligens ſeruanda cautela. 30
Qua pœna ſuos homicidas iura Canonica afficiant. 31
Homicidæ ſpirituales præter debitam pœnam etiam irregularitatem incurrunt. 32
Homicidiorum materiæ quanta difficultas. 33
Iniqui Iudices, Rei damnis omnibus reparandis obnoxij fiunt. 34
Indocti Iudicibus à doctioribus conſilium petendum eſt. 35

1 MAteriam præſentem † continuaturus, nulli non compertiſsimum eſſe volo, iuxta ſacratiſsimas leges ciuiles permitti quatuor modis quempiam occidere: nempe, in defenſionem ſui, alioqui perituri aut periclitaturi: Ob defenſionem bonorum ſuorum: Nominis ac famæ ſuæ defendendæ gratia: Poſtræmò, amicorum ſuorum de vita periclitantium liberandorum cauſſa. Qui omnes modi pro excuſatione Rei communi appellatione dicũtur neceſſaria ſeu coacta defenſio. Hos igitur 4. modos capitulatim explicare decreuimus. Quiſquis itaque (vt
2 à primò modo incipiamus) ab † altero inuaditur, huic profectò permittitur ſui defenſio: adeò vt ſi alterum ipſe in hac defenſione interemerit, crimine apud omnem Iudicem vacabit, & extra damnum erit, l. Is qui aggreſſorem, & ibi Bart. Bald. & Hippo. de Marſil C. ad l. Cornel. de ſicarijs cui concinens eſt l. Scientiam, §. Qui cùm aliter, ff. ad l. Aquil. l. Vt vim, ff. de iuſtitia & iure, l. Sed vt partus, §. fin. ff. Quod met. cauſ. Clementi. vnica. de homicidio. necnon l. 1. C. vnde vi. Verum
3 hic ſciendum eſt, †quòd qui coactam neceſſariàmque huiuſmodi defenſionem ſuo facto præſtruere voluerit, is priùs inuaſionis ab altero certitudinem per articulos proponat, & probet, oportet, Primò quòd ab illo priùs inuaſus fuerit, nam ſi hic prior inuaſiſſet, nullaha-
4 beretur coacta defenſio. †Deinde doceat, oportet, articulatim, ſe in ea inuaſione adeò fuiſſe in anguſtia cõſtrictũ, vt ſine ſummo vitæ ſuę periculo, imò nec vllo alio modo potuiſſet ex ea aflictione effugere, niſi ſemet defendendo, ac aduerſarium cędendo, d. l. Is qui aggreſſorẽ, & ibi abundè D. Hip. de Mar. & d. l. Sciẽtia, §. Qui cũ aliter. Ludo. Ro. in ſuis ſingularib. ſingulari 28, Incipien. Accuſatus de homicidio, cũ additionib. ibidem. Ad hæc ex noſtris legum interpretib. Iaſonis iuriſconſultorum noſtræ ætatis facilè principis commentaria ruminabitis in l. Vt vim ff. de iuſtitia & iure, vbi nonnullorum opiniones & ſententias non incelebres refert & ex-

& examinat, quas (breuitatis gratia)
5 præterire censuimus. Iura † autē tum
præsumunt & censent eum fuisse in
extrema vitę angustia constrictū, quo
ties martialibus armis, vt macheris
seu gladijs, spathis euaginatis, aut si-
milib. armis seu instrumentis comi-
nus, arteq; assilitur, quorū plurima
meminim⁹ Cap. 69. de homicidio ma
nuali: huic cōsonant scripta prefati D.
Hip. in d. l. Is qui aggressorem, & in l.
Idē §. Qui armati, ff. de vi & vi arma.
& in l. Sed & si quēcunq;, in prin. ff. ad
l. Aquil. vbi hoc voluit glos. atq;. An-
gel. Aret. in tract. suo maleficiorum, in
ver. Et dictus Titius se defendēdo, in
verb. Aduertas quod &c. quem Areti-
nū plurima cōducibilia suo laudabili
more citante cōsulite. In hac enim ex
purgatione Rei, legitimus requiritur
ordo: nēpe, vt dicat se passum ingentē
terroré ob illius minas & inuasionē,
antequā se defenderet: necesse estenim
talem territationē precessisse, vt tuā
cædē expurgare posses ab immunita
te pœnæ: non tamē requiritur, vt ex-
pectes aduersariū prius cedentē, vt di
cit glos. in l. 3. ver. Qui armati, ff. de vi
& vi arma. Præstat enim tempori ad-
uersarij assultū prēuenire, quā à plaga
accepta postea tandē vindicare, l. vni-
ca, C. quādo liceat vnicui. sine iudic. se
vindica. Vnde dicebat Bart. in l. Sed
& si quemcunque, ff. ad l. Aqui. Aduer
6 sarij vis † & terriculamenta priora sa-
tis probata fuerint, si probare quiue-
ris ipsum districto gladio tibi occur-
risse, teq; inuasisse conatū esse: id fe-
cerit, tuq; vicissim illum adortus occi
deris, probata est tua defensio, vbi re-
fert Ioan. de Anania in c. Si perfo-
diens, in vlt. colum. ext. de homicid.
& illud dictum Bart. refert Bartho.
Cepolla. in suo consilio 29. Hic obi- 9
ter mouenda est non ociosa quæ-
7 stio; An is quem alius † aggreditur, ce-
dere cogatur & fugere? Quod autem
non teneatur fugere, videtur tenere
Bald. in l. Vt vim, colum. fin. ff. de iu-
sti. & iure: hac ratione scilicet mo-
tus, quòd inuadens, ac fugans ali-
um seu terrens, illicitum committit: vnde tenetur actione iniuriarum, l. Item apud Labeonem, §. 1. ff. de in-
iurijs, ergo alter non fugiendo fa-
cit licitum. Verum hæc ipsius Baldi
opinio parum tuta est ac Christia-
na. Quocirca præfata venia, ego ita
potiùs statuendum puto, vt is qui
commodè aufugere potest, teneatur
fugere, ita vt si non aufugiat, ho-
micidium punibile committat: hæc
sententia probatur in l. Scientiam,
8 § Qui cum aliter, ff. ad l. Aquil. vbi
† tum demum quis impunè homici-
dium facit, quum se defendendo, ho-
minem occidit, si aliter euadere non
potuisset: ad idem tex. in Clement.
vnica, de homicid. vbi ita conclu-
dunt Zenzelinus & Petrus de An-
cha. Huic consentit text. in c. 1. 23.
q. 3. vbi dicitur, Christum profugis-
se in Aegyptum à facie Herodis, e-
tiam si potuisset se defendere, & oc-
culto instinctu manus Iudæorum
in Herodem conuertere: ita glos.
in c. Suscepimus, de homicid. Hæc
est conclusio Bart. in effectu, in l.
Vt vim, colum. fin. ff. de iusti. & iure:
Ita idem Bart. Angel. & Salice. in l. 1.
C. vnde vi. Anto. de Butrio in c. Olim
de restit. spoliato. Abb. in c. Signifi-
sti, 2. de homicid. in antiq. Alex. de Imo.
in consilio 109. colum. 3. primo vo-
lum. consiliorum: Ioan. Faber in §.
Ius autem gentium, institut. de iure
natural. gent. & ciui. Ex his dictis infe
runt Petr. de Ancha. & Zenzelinus
in d. Clementina vnica, de homici-
dio: quòd † si verisimiliter fugienti
immineret fugiendo periculum, sci-
licet cadendi: aut quòd fugiens ab

aduer-

aduersario insequente posset citius comprehendi, & à tergo accepto vulnere necari, ob velociorem insequentis cursum, quem fugiens metuit: tunc volunt ijdem autores, fugiétem in eo casu non debere fugere, quia tum nō nisi periculosè fugere posset, Alex. in suis consilijs, consilio 109. nu. 8. Idem dicit Zenzelinus, si fuga esset vituperium aggresso allatura: puta, si rusticus aggrediatur militem: tunc miles non tenetur fugere: Ratione hac mouetur Zēzel, quòd hæc æquiparentur, non posse absolutè recedere: & posse, sed non nisi cum dedecore recedere, l. In eadē, ff. ex quibus caus. maio. vbi dicitur esse in vinculis, qui à loco in quo est, non potest recedere sine dedecore. Nam conseruatio personæ & famæ æquiparantur, l. Iusta, ff. de manu. vindi. & honor cuilibet pecuniario commodo præferendus est, l. Iulianus, ff. si quis omis. caus. testamen. d. l. Vt vim, ff. de iusti. & iure, colum. fin. Quòd si tu es Perusinus, famam ac dedecus metuens, ad actum occisionis vsque procedere potes: quòd summum sit dedecus Perusino magnanimo & generoso, turpiter aduersario inuadenti cedere. Sed ille, cui nulla est gloriæ, nominis, ac honoris ratio (qualis est Florētinus) & commodè fugere potest neglecta nominis gloria, certè modis omnibus fugere tenetur: & si non fugit, punitionis crimen incurrit. Istud autem verum est, quantum ad pœnam legalem euitandam: non quantum ad irregularitatem, quam quis vitat solùm tunc, cùm aliter vitare non potest: ita Petrus de Ancha. in d. Clemen. vnica, de homicidio. Tertiò doceat, oportet, se eam† cædem cōsimisse, non post diutina inuasionis interualla, sed ilicò & penè è vestigio, atque in ipso primo aggressionis furore. Nam si post spacia aliquot, aut interualla temporis id homicidium contigisset, vindicta esset æstimāda, (quæ proculdubio prohibita) non defensio, l. Nullus, C. de Iudæ. & cœlico. cui concordat c. Porrò, iūcta glos. 2. ext. de diuort. l. 3. §. Eum qui, ff. de vi & vi arma. Tum† autem intelligēdum est ilicò seu è vestigio, & sine interuallo crimen fieri, quando in aggressu ipso, atque in pugnæ continuatione, cædes ipsa cōmittitur, hoc est, in flagranti crimine seu animo priusquam diuulsi sint ab inuicem, & antequam sedatis animis se ad alia conuerterint negotia, vt probatur in l. Quod ait lex, §. fin. ff. ad l. Iul. de adult. Dicebat tamen notabiliter Ioannes Fab. in §. Ius autem gentium versic. Sed quid dices potens, &c. Institut. de iure naturali gent. & ciuili. Quod si præpotens quispiam magno †constipatus satellitio, interminatus fuerit necem alicui pauperi, nullo comitatu munito, quemq; forsan defiduerit: ideóque pauper hunc diuitem metuens, non ausus expectare ipsius inuasionem, vtpote conscius sese interemptum iri, si aduersarius diues assiliat: cuius potentiæ ac multitudini resistere requiret ipse impotens, & nullo comitatu armatus: si (inquam) tali loco, & hora à diuite captatis pauper diuitem prior adortus occiderit, non tenebitur homicidij crimine, potissimum si aliter effugere non potuisset, quin aut occideret diuitem, aut ipse à diuite occidendus fuisset. Erat enim pauper ita semper in periculo mortis quam diues interminabatur, quam actu explere per se aut per alium potuisset, si quando ipsi libuisset. Itaque tale pauperis homicidiū censendū est fieri ob iustam defensionem sui, quòd metu mortis id commiserit, d. l. Sed & si quemcunque, in princ. ff. ad le. Aquil. Odium enim

Odium enim & minæ potentis, mortis periculum indicant imminere, c. Pastoralis, de senten. & re iudica. in Clementi. & per hoc videtur secundum eundem, quòd si intoxicet eum in casu præfato, non teneatur in conscientia aut foro iudiciali, quem perlegite oportunitatem nacti. Itaque vt defensionem dicamus impunitam, opus est temporis rationem ac necessitatem diligenter expendere. Quartò probet, necesse est, se eam cędem admisisse omni cum moderamine, citra omnem excessus enormitatem.

13 Quandoquidem si †in facto grauiter excessisset, puniendus esset ad arbitrium seu discretionem Iudicis: potissimum si excessum hunc ex deliberato animo & proposito commisisset. Porrò moderamen hic in coacta necessariáque defensione tribus modis fieri debere intellige. Primò,

14 vt sit factorum paritas, † hoc est, defensionis ad offensionem proportio: verbi gratia, Si me quispiam inuadat inermis, sed pugnis tantum bellaturus: inermis quoque me defendam, ac illi pugnis tantum resistam oportet, id est, non est mihi licitum illum percutere gladio, nisi sit ille me multò maior & fortior, vt notat

15 glos. in l. 1. C. vnde vi. † Secundò, vt temporis seruetur æqualitas, hoc est, si subitò adortus, me subitò item defendam, sicuti antè declaratum

16 est. † Tertiò requiritur, ne amplius admittat, quàm ea defensio requirebat, aut quàm ad defensionem sui opus fuerat: attamen sanè ifthæc intelligas, velim. Nam si quispiam baculo ab aliquo subitò sit inuasus, nec aliud sit in promptu ad defendendum instrumentum, quàm gladius, gladio se tueri potest: in qua defensione dictam moderationem non excedit, nec vt excessor puniendus est. Nam armis scilicet baculo inuasus, armis sese vi- 17 cissim defenderat. † Hic notandum est, priusquam defensor sese defendere dicatur, oportet prius vllam offensionem, læsionem, aut inuasionem ab altero præcessisse. Itaq; priusquam se defendere permittatur, oportet offensionem alterius prius expectet: quæ fit aut armis, aut armorum metu, aut inuasionibus, aut simili ex causa. Quis 18 quis †autem primus pugnam mouet aut inuasionem tētat, is primus etiam 19 offendere dicitur. Solæ † autem minæ non tam grauem habēt offensionem, vt ob eas solas, alterum cædere liceat: nisi certè minitator iamiam sese pararet ad minarū executionem: aut consuetus esset suas minas ilicò executioni mandare, vt multi autumant: vide Cynum in d. l. 1. C. vnde vi Bald. in l. Ad inuidiam, C. quod met. caus. Ang. Aret. in §. Ius autem gentium, institu. de iure nat. gent. & ciuili: D. Iasonem in l. Vt vim, num. 14. ff. de iust. & iure. Alijs verò secus videtur, ob nullas quamlibet atroces minas cuiquam permissum esse alterum cædere. Sunt enim (inquiunt) minæ verba tantum: & verba verbis repellas oportet, non factis. Si tamen ex minis ob moram minato immineret periculum, veluti, si minitator misisset pro subsidiarijs, pro adiutorio: aut misisset adferri sua arma: aut expectaret adiutorium, quò fortior minitatum cæderet & opprimeret: eo in casu non cogitur minatus minantis inuasionem expectare: sed illi permittitur minantem adoriri, sese defendere, & minantis vim præuertere, si quidem aliter effugere non potuisset.

20 Aliud † esset si me adoriretur quispiā, aut prior cæderet, moxq; arrepta fuga, sese in pedes profugiendo conijceret: ego verò ipsum fugientem celeri cursu consequerer, assecutū contunderem,

tunderem, læderem, atque interficerem: cædis enim & homicidij in eo casu ipse reus essem: verum non imputaretur cædes illa mihi ex dolo, aut malicia facta, quod in ipso furore ab altero excitata contigerit, cui non facilè temperari conspicimus. His seruit quod scribit Bald. in l. Vt vim, ff. de iustit. & iur. quem insequi nec erubuit Ioan. Fab. in d §. Ius autem gentium, institu. de iur. nat. gent. & ciui. Si agressus non obseruet inculpatę tutelæ moderamen, non poterit puniri à Iudice tanquam dolosus, sed veluti errans culpę obnoxius: quia inconsultus calor caret vitio calumniæ, l. 1. ff. ad S. C. Turpil. c. Si quem, §. Notandum, 2. q. 3. quod refert & sequitur Felinus in c. Dilecti filij, de except. Difficillimum enim est iustum temperare dolorem, l. Si adulterium cum incestu, §. Imperatores, ff. Ad le. Iul. de adulter. vixq; potest vir iustus habere stateram in manibus suis, & dare ictus, percussiones, seu verba cum mensura, pro quo est tex. notabilis in c. fin. de homicidio, lib. 6. cuius etiam meminit Cepolla, consilio 1. colum. 3. homo enim vehementi affectu, dolore, vel tremore percitus, rarò suæ mentis compos est, testi. Bald. in c. 1. §. 1. in fin. de pace iura. fir. Hip. de Marsil. in d. l. Is qui aggressorem, nu. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

21 Si quando †duos pugnam, seu rixam committere contigerit, qui aut sponte aut intercessione aliorum ab inuicem diuulsi, aliquādiu fuerunt diuulsi, & vtcunq; (si ita fari liceat) frigefacti seu pacati: postea verò iracundia perciti, alter alterum inuadat, lædat, aut interimat: is profectò adoriens, lædens, aut occidens in crimine est læsionis aut homicidij, ob interuallum

22 temporis. Quoties in seditione, †pugna, seu rixa, alter alterum grauiter

23 † si duo reperiantur atrociter vulnerati, & non appareat vter eorum fecerit ad defensionem: tum oritur dubium, vter ipsorum ad sui defensionem fecisse iudicandus sit. Ad quod respondet Vber. de Vrbi. quòd ille qui fortiùs est vulneratus, præsumitur inchoasse, & alius ad defensionem fecisse, arg. l. Scientiam, §. Cum stramenta, ff. Ad l. Aquil. Albericus autem in l. Vt vim, ff. de iustit. & iur. 3. colum, dicit posse distingui: Vter eorum esset magis rixosus: vt ille præsumatur incepisse, & alius ad defensionem fecisse: Nam consuetudo rixosi attenditur, l. Vel vniuersorum, ff. de pigno. actio. l. Qui semisses, ff. de vsur. facit l. fin. ff. de actio. & obligat. vbi variè ex personis hominum

24 iura constituunt. Quando † in multorum tumultuaria pugna, seu conflictu, quispiam è numero multis affectus vulnerib⁹ occiditur, quorū quidē vulnerum vnū tantum letale est, neque certò sciri potest, quis omniū idipsum inflixerit: nemo certè ex toto numero puniendus est, vt homicidij reus: sed omnes quotquot pugnarunt, simul puniendi sunt de læsione, non amplius quàm ciuiliter, aut arbitrariè ad reparationem seu emendam pecuniariam, ad discretionem Iudicis, tanquam adiutores, auxilia tores, ac complices: ita tenet gloss. in l. Item Mela, §. Sed etsi seruū plures, ver. Sed si. ff. Ad l. Aquil. Præclarè Vlpianus I. C. in vulgata l. Absen-

tem

tem, ff. de pœnis : Ita sustinet expressè Bart. in l. Qua actione, §. Si plures ff. Ad le. Aquil. Eiusdem opinionis ac sententiæ est Philippus Decius in regula, Fauorabiliores, numero 6. ff. de reg. iur, nec absimilis sententiæ legitur D. Nicolaus Euerardi à Middelburgo in loco à ciuilibus ad criminalia ad fin. 2. colum. in suo Topicorum lib. quia melius est nocētem absoluere, quàm innocentem condemnare, d. l. Absentem, & illud dictum sequitur Specu. in tit. de homicidio, §. 1. versic. Pone quòd quatuor homines : Ioan. de Anania, in c. Significasti, in 13. colum. ext. de homicid. vide ibi eum. Ratio est, quòd Iudici constare non potest, quis vulnus letale inflixerit, atque in criminalibus causis oportet probationes luce esse clariores, l. Qui sententiam, C. de pœnis, & trita l. Sciant cuncti, C. de probat. vnde teste Bald. ibidem inferente, in maleficijs probandis, Lex requirit claritatē probationis in quadā excellentia, hoc est, per amplius quàm in causis ciuilibus : itaque si ageretur contra omnes percussores criminaliter, nemo eorum posset condemnari vel capitaliter puniri, sed omnes deberent absolui ob prædicta, & sic alia est ratio cum agitur ciuiliter, & alia cum agitur criminaliter : de quo vide plenissimè Gandinum in tit. de homicidiarijs, in versic. Pone quæstionem, quam ego multoties vidi de facto contingere, ac per Salice. in l. Quoniam multa facinora, C. ad le. Iul. de vi publ. vel priuat. & per Petrum de Ancha. in consilio suo 216. incip. In Christi &c. Nos Bartholomæus de Saliceto, &c. & per Alexan. de Imol. in consilio 15. primi voluminis, incip. Redemptorem & c. Viso processu inquisitionis &c. & per Feli. in c. 2. de homicid. atque in locis per eos commemoratis, quos istic de hac re plura disputantes videte. In criminalibus, nec debemus vti mendicatis suffragijs, l. Singuli, C. de accusat. & pœna non debet egredi vltra quàm reperiatur delictum esse commissum, l. Sancimus, C. de pœnis, & principaliter per l. Si in rixa, vbi dicitur : ictus vniuscuiusque contem
25 plari oportet. † Nec quispiam condemnandus est morte ex præsumptionibus, d. l. Absentem, iuncta glos. in verb. damnari, allegante multas concordantias, ff. de pœnis. Verùm
26 † si constaret ac appareret de letalis vulneris authore seu inflictore : is solus nimirū gladio veluti homicida ad mortem iure puniretur, l. Item Mela, Sed si seruum plures percusserint, & l. Huic scripturæ, §. Si seruus vulneratus, ff. ad le. Aquil. Cæteri
27 † autem tantum de læsionibus : nisi isthæc pugna tumultuaria, atque huiusmodi conflictus contigisset data opera, studio, & ex deliberato animo omnium simul ad aliquem occidendum : ita vt omnes simul coniunctis animis, sese aliquo conferrent, vt aliquem occiderent, ac postea conclamatum esset in eo conflictu : Interficite, interficite. Nam in hoc casu, omnes esse eius homicidij culpabiles, indubitati iuris est, Bart. in d. l. Qua actione, §. Si plures : nec dissimile notatur per Cynū in d. l. Quoniā multa facinora, atque Bartolus in l. Si in rixa, iuncta glossa in verb. vniuscuiusque, ad finem ff. ad leg. Cornel. de sicarijs & D. Hippolitus de Marsil. in suis consilijs, consilio 67. numero 46. & Gandin. in tracta. maleficiorum, sub rubrica de homicidiarijs & eorum pœnis, 3. colum. versic. Pone quæstionem, quam ego multoties vidi de facto contingere,
28 circa medium. Sunt † his in casibus qui

qui contendant in huiusmodi conflictibus tumultuarijs, in quibus nescitur quis ferientium letaliter vulnera 31 uerit, eos primò esse capitaliter puniendos, quos primos constat fuisse inceptores, quique primi pugnam inuasione inceptarunt, deinde reliquos omnes tanquam coadiutores, ne tam dira mors inulta remaneret: Alij tamen contrariam sentẽtiam sustinent, ex caussa priùs enarrata. Quoties
29 †duo inter se pugna conflictantur seorsum, ac semoti ab omnibus testibus, nempe, nemine videnti, quorum alter incontaminatæ est famæ, alter verò minimè: Benè famatus autem dicat, quicquid actum est, id à se factum esse ob necessariam defensionem sui: quod aliter docere nequit, nisi suo iuramento, quod pro veritatis certitudine præstare offert: profecto iuramentum hoc ipsius bene famati acceptabile est Iudici, cuius gratia, & illibati nominis caussa, à Iudice absoluetur indemnis. Aequum enim
30 est, vt † boni nominis synceritas, bono sit patrocinio: & vt nigri nominis macula, famoso sit detrimento.

Vnde caueat sibi vnusquisque ab infamia, quærat{que} bonam famam: quia teste Baldo in l. vnica, C. de cõfes. Bo 32 na fama, quam multi populi amant, est thesaurus hominis inæstimabilis & iucundus, & sicut lilium, dat suauitatem odoris. Infamis enim non solum in eo, in quo est infamatus, sed etiam in alijs grauatur, c. Defleat pec cator, ext. de regu. iur. not. in l. 2. C. qui testa. face. poss. Sed hic diligenter imò prudenter Iudici consideranda est vtriusque personæ conditio, cum omnibus circunstantijs, & pertinentijs, ne sit iniquus personarum acceptor: atque tandem his omnibus ritè consideratis, exequatur quod iustum est. Atque ita hactenus de homicidij materia, & de homicidarum punitione iuxta iura ciuilia. Prius tamen, †quàm hanc materiam planè deseramus, paucissimis discutiendam assumpsimus quæstiũculam huic materiæ minimè extraneã: nempe, qua pœna homicida ex iure canonico puniendus sit? Ad quam quidem quæstionem paucis respondendum fuerit: quod quoties talis homicida à Curia spirituali comprehensus fuerit, & legitimè conuictus, damnandus est ilico, vt detrudatur in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam, tex. est in c. Tuæ, de pœnis, in antiquis: vel vt conijciatur in perpetuum vel temporalem carcerem pro qualitate personæ, & delicti, & (vt textus habet) eius excessu, & persona, cæteris{que} circunstantijs prouida deliberatiõe pensatis: vt in ea carceris angustia constitutus, pane doloris vescatur, & aquã bibat tristitiæ, c. Quamuis, de pœnis, in vj. & si post hæc monitus non resipiscat, declarabitur incorrigibilis, c. Nouimus, de verb. signifi. c. Cùm non ab homine, De iudicijs: & vt in illis textibus dicitur, tradetur Curiæ seculari: hac ratione plerunque puniuntur homicidæ per Curiam spiritualem. Præter † quam tamen punitionem etiã remanet crimen irregularitatis, quod ipso facto prius incurrebant: ob quod inhabiles sunt ad quæuis munia eccleasistica peragẽda, etiamsi pœnitentiam iniunctam plenè peregissent, vt tenet glos. in c. fin. de temporib. ordinat. Vnde Dominus dixit Dauid Prophetæ post pœnitentiã: non ædificabis mihi templum, qui vir sanguinum es, c. Si quis omnem, 1. q. 7. Paralipo. 28. Ex hactenus in hoc capite, pie lector, enumeratis, manifesto cernis negotij huius difficultatem ac perplexitatem in iudicando, quam{que} temerè multi imperiti

& ar-

& arrogantes Iudices, indocti tamen, in homicidij materia iniquas cẽsuras ferant, minimè personarum, rerum ac delictorum circunstantias expendentes: sed ilicò ex caussa apparẽte, citra cæterorum obseruationem, sese ad sententię promulgationem accin-
33 gentes. Quocircaſ vt in hoc negotio, multo omnium difficillimo, & matura consultatione maximè indigente, à rudioribus Iudicibus minùs peccaretur, suaserim vt à iurisperitis alijsque in locis cõsilium capiant: nec ipsi sibi singulares aut proprias nullius legitimæ rationis regulas seu cõstitutiones in his decernendis statuant iuri aduersantes, veluti nõnunquam in publicis iudicijs stultissimè, imò pernicioſissimè hucusque factum esse cõspeximus. Magna enim & insignis
35 stultitia committitur, quum Iudices discrimina distinctionesque cuiuslibet caussæ nõ animaduertũt, audiunt vel expendunt: Atque ob hoc plurimùm ab æquitate iustitiæ aberrãt, & alijs grauem indè iniuriam inferunt gratia cuius ipsimet Rei & obnoxij sanguinis illorum cõstituuntur. Aliàs verò vsuuenit ex hoc errore, vt Prætor ac Iudices malefactoribus faueant, eóq; ius & causſam diutiùs protrahant ac differant, manifestos quidem facinorosos, hoc modo iniquè liberantes, quum tamen ipsi nimium simplices, ac iustitiæ rudes arbitrenturſese hac liberatione bellè pieq; suo perfunctos esse officio, si maleficos hac protractione à supplicio redimãt
34 ac liberent. At ſisti contrà sciant, se in hoc grauiter peccare atque delinquere, vt qui certissimè ob hanc liberationem deuincti sint actoribus siue accusatoribus ad dãni restitutionem. Quandoquidẽ Prætor omnis, & Iudex ob iuramenti Sacramentũ præstitum, & ob animæ suæ salutem, tenetur pro virili sua æquè iustéque
35 iudicare. Et ſit quæ res causſáque esset fortè suo ingenio prudẽtiáve maior aut sublimior, à iureperitis consiliũ requirant. In arduis enim & grauibus caussis, qualis certè homicidium est (quo non minùs priuata persona effusione sanguinis quàm respu. læditur) summa cautela, & diligẽti prudentia opus est.

CAPVT LXXVII.

De inuasione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP 77

Inuadere quid sit. 1
Inuasionis iniuria, quomodo punienda. 2
Inuadens armis (etiam citra vsum) mulctam statuti incidit. 3
Simul & { *Arma gestans vetita,* / *Armis alterum inuadens,* / *Armis alterum vulnerãs,* } *grauissima tantũ mulcta damnandus.* 4
Vno verbere plura inflictans vulnera, quomodo puniendus? 5
6 *Inuadere in domo, & in domus vestibulo* } *crimine sunt paria.*
7 *Petere aliquem gladio in domo, & præ foribus* }



Qui aliquem aut lædendum, aut interimendum vi retinet, eodem crimine cum lædente, aut interimente inuoluitur. 8

In homicidio ex multorum vulneratione orto, singuli contra famam sibi aduersam in probationibus audiendi sunt. 9

Certa probatio { *Homicidij & Non homicidij* } *fieri debet per* { *Medicos & Chirurgos* } *peritos.* 10

Medicina ars est longè certissima. 11

Medicinæ regulis fidunt vel sacri canones. 12

{ *Medici & Chirurgi* } *in probatione* { *Letalitatis vel Non letalitatis* } *à quibus eligendi sunt.* 13

Vni medico, vel chirurgo, in probatione non semper fidendum. 14

In

In censuris { *Nullum adhibere medicum* & *Quemlibet & imperitum adhibere* } *paria sunt.* 15

Quando uni medico aut chirurgo credendum. 16

Medicis aut testibus ratione probantibus potius credendum, quàm alijs ratione nil probantibus. 17

Qui alterum inuaserit, aut letali uulnere conflixerit (etiam si læsus semel è lecto ægritudinis leuatus plateatim inambulauerit) tenetur crimine homicidij, non læsionis. 18

19 *Letaliter uulneratus, & moriens uel* { *Sua negligentia, Malo regimine, Concubitu uenereo, Larga potatione, Mala custodia, Medicorũ aut chirurgorum inobedientia, Noxio cibo, aut potu,* } *sui ipsius homicida est, & uulneratorem ab homicidij crimine liberat.*

Sese interimit, qui medicorum præcepta negligit. 20

21 *Vulnerum quæ* { *Letalia.* *Non letalia.* }

Medicorum laus à certitudine & necessitate. 22

23 *Moriens imperitia* { *Medicorum aut Chirurgorum* } *uulneratorem, non mortis, sed læsionis tantùm Reum efficit.*

Euentus mortis nunquam imputandus docto, diligentiq; medico, aut chirurgo. 24

Medicus etiam doctus, studio ac negligentia mortis caussam præbens, morti item fit obnoxius. 25

Pharmacopolæ indulgentes, stupidaq; medicamina, contra præscripta medicorum, pro efficacibus præbentes, quorum caussa ægrotus moritur, morti sunt obnoxij. 26

Medicorum quinque qualitates necessariæ. 27

{ *Medici* & *Chirurgi* } *peccantes lata culpa, puniendi arbitrariè.* 28

Multis unum adorientibus, singuli statuti uiolati Rei constituuntur. 29

Vnus plures inuadens, una quoque mulcta damnabitur. 30

Vno tempore simul multa committens, grauioris peccati mulcta damnabitur. 31.33.34.

Diuersis uerò temporibus interceptis plura delicta committens, plurimarum etiam mulctarum Reus efficitur. 32 35

Criminales pœnas homicidij, quidam uolunt posse conuerti in pœnas ciuiles: sed perniciosè. 36

Contra plura distincta peccans statuta, plurium item statutorum mulctam incurrit. 37

In ſtatutis nihil commutandum, quæ ad literam intelligenda ſunt. 38
Qui aliquem vulnerauerit, læſionis mulcta damnabitur: qui verò eundem occiderit, is homicidij crimine tenebitur. 39
Infirmum vulnerans etiam non letaliter, homicidij (ſi moriatur) fit obnoxius. 40

1 INuadere nihil † aliud eſt, quàm irato animo quempiam adoriri hoc modò, ſi te quiſpiam adoriatur inermis ſine vllo corporis tui contactu, is profectò tibi iniuriam intulit. Si verò te contigerit citra omnem læſionem, grauiorem iniuriam dedit, l. 1. §. Iniuriam autem, ff. de iniur. eo(q)
2 puniendus is † eſt per Iudicem, iuxta qualitatem facti, & perſonæ, l. Atrocem, & ibi Salice C. de iniur. quorum fortitan per ocium in ſequentibus capitibus meminerimus. Si ſtatutum eſſet, vt quiſquis alterum inuaderet armis, is mulctam incurreret de
3 cem lib. Pariſienſium: Deinde † ſi te quiſpiam adoriretur accinctus gladio, is haud dubiè in ſtatutam mulctam decem lib. Pariſi. incidit, etiam ſi gladium non exemerit. Armis enim facta fuit illa inuaſio: ad quam probandam ſufficit eum armis fuiſſe in inuaſione munitum & accinctum, nec requiritur ipſa euaginatio, aut armorum violenta illatio: quandoquidem is inuaſor ita armis paratiſsimis inſtructus, multo eſt ſe inermi audacior & violentior, & inuaſum reddit multo etiam timidiorem: quocirca cenſent. Doct eum ceu violentum inuaſorem etiam eſſe puniendum, quum per arma parata, illi in manu ſi violentam aduerſario vim inferre cum voluerit: ita ſingulariter Bart. in l. 3. §. 1. ff. de vi & vi armat. huic aſſentit Angel. Aret. vir doctiſsimus, & practicorum criminalium profectò decus in ſuo inſigni tract. maleficiorum, ſub gloſ. dictus Andreas armatus, &c Cui etiam ſuffragantur annotationes ibidem, quæ diligenti Lectori ibidem manifeſtò aperiuntur. Dictis præterea † non abs re adiungenda videtur quæſtio illa frequentiſsima, cuius meminit excellentiſsimus vtriuſque iuris interpres Dominus Hippoly. de Marſil. in ſuis Comment. ſuper tit. ff. ad l. Corne. de ſicar. ſub l. Si in rixa, videlicet: Statuto cauetur, vt arma geſtans puniatur pœna centum. Altero ſtatuto cauetur, vt inuadens alterum, puniatur item pœna centum. Tertio ſtatuto cauetur, vt vulnerans aliquem, puniatur ſimiliter pœna centū. Ex his tribus ſtatutis nunc exoritur quæſtio: An is qui Titium vulnerauerit, trium ſtatutorum mulcta, ſcilicet trecentarum librarum, ſimul puniendus ſit, quum aduerſus tria enarrata ſtatuta ſimul peccauerit: Nam arma geſtauit, armis inuaſit, armis item & læſit: An verò ob illam læſionem tantùm puniendus ſit ſemel pœna centum? Cui quæſtioni (potiùs quàm quorundam Prætorum inexhauſtæ habendi libidini) præfatus D. Hippo. in loco præcitato ſatisfaciens, aſſerit eum ſolùm puniendum eſſe, pro vulneratione, vna pœna centum: nempe, quòd infractio duorum primorum ſtatutorum, ſcilicet de geſtatione armorum & de inuaſione, ſimul confundatur cum violatione tertij ſtatuti & vulneris illatione: ita ſingulariter habet gloſſ. in verb. Plurima, in l. Qui de crimine, C. de accuſat. quam ibi ſequuntur omnes ſcribentes, arguni. l. Quoniam, C. Ad le. Iul. de vi. Idem tenet Bart. in l. Quemadmodum, §.

Illud

Illud,ff.ad le.Aquil.& in l.Inficiando. in §.Infans,in fin.ff.de furt.Bald. in l. Aduerſus in fine,C.eod. titu. de furt. atque idem Bald.in l. Quicunque, in 1.colum.C.de ſeruis fugiti.& in l.Diuortio,ad fin.2.colum.ff.ſolu. matrimo.Gandi.in ſuo tract.maleficiorum ſub tit.de pœnis reorũ, in 19. colum. verſic.Pone inſuper,&c.& Ioan.And. in additione Speculi,in titulo,de homicidio, ſuper rubr. ibi, vulgata eſt quæſtio,&c.Alberi.de Roſa.in 2. parte ſtatutorum, quæſtione 29.incipien. Tertia q. eſt. cuius etiam recordati ſunt Bald.in l.Cum ancillis, C. de inceſt.nupt.in vlt.colum. & Bart. in l. Nunquam plura, ff. de priuat. delict. necnon D.Abb. ac alij in c. 1. extr. de pœnis,atque Angel.Aret in ſuo tract. maleficiorum,in verb.Fecit inſultum in prima charta,in verb. Aduertas tu Iudex,& ibi in additionibus,& in eodem tract.in verb.Admenauit,in prin
5 cip. Poſſent † ex dictorum occaſione in hac materia item plures proponi quæſtiones: nempe, quoties vno verbere ſimul concurrunt plura delicta, verbi gratia,Si ſtatutũ eſſet, vt ſi quis læſerit alium, puniatur decem: Quidam verò contra hoc ſtatutum alterum vno ictu bidenti, aut tridentis ſimul infligit duo aut tria vulnera: quæſtio naſcitur,an lædens ſit punien 7 dus pro ſingulis vulneribus iuxta ſtatuti tenorem pœna decem? an ſolùm ceu pro vna inflictione ſemel pœna decem? Atque aliæ ſimiles quæſtiones hic moueri poſſent.Sed omnibus his & ſimilibus quęſtionib⁹ per primam ſolutionem præcedentem reſpondendum erit,omnia huiuſmodi plura delicta concurrentia ſimiliter pro vno delicto eſſe iudicanda: ideóque rantùm vnam mulctam decem eſſe pendendam. Ita dixit Barto.in l.Si gemina arbor,ff.arbor.furt. cæſar. & Gandi.in tract.ſuo maleficiorũ, ſub rubr. de pœnis reorum,in 10 colum. verſi. Sed pone, & Angel. Areti. in tractat. etiam ſuo maleficiorum, in verb. Et ipſum Titium percuſsit: præſentis quæſtionis etiam meminit Alberi. de Roſa.in 2. parte ſtatuto.q. 23. & ibi in q.38. incip. Septima q. eſt,&c.& ibi in q.29.incip. Statuto cauetur,quòd ſi a-
6 liquis aliquem percuſſerit. † Si præterea conſtitutum eſſet,vt quiſquis alterum inuaderet in domo ſua,is duplo puniretur: tóque deinde aliquis aſſiliret in domus tuæ veſtibulo ſeu porticu, is certè eiuſdem mulctæ ſtatim reus fieret,quòd veſtibulum ſeu porticus pars domus tuę ſit,c. Si quis contumax,17.q.4.Barto.Bald.& Doct. in l.Cætera,§.Hoc ſenatus,2.ff.de lega. 1.argum.l. Qui ædes,in fin. ff.de incend.rui.naufra. neque hoc in facto vlla eſt facienda diſtinctio, an domus ſit conductitia,vel gratis data ſeu conceſſa: an emptione, vel hæreditate propria.Huic ſeruiunt,l. Lex Cornelia,§.Domum,& ibi ſcrib. ff. de iniurijs,l. 1. §. 1.ff.de lib agnoſcen.l.1. §.Habitare, ff. de his qui deiece. vel effud. Bart.in l. Qui domum,& in l. Nec in ea,ff.ad le. Iuli. de adulter. Bart.Albe. Bald. Paul. Caſtr. Iaſon ac reliqui in vulgata l. Plerique, ff. de in ius vocand. Si etiam † ſtatutis ordinatum
7 eſſet,vt qui alterum in domo ſua inuaderet,is duplo damnaretur: ac deinde quiſpiam te ſedentem pro foribus peteret gladio, aut baculo, is ſimiliter eiuſdem latæ pœnæ reus teneretur, non ſecùs quàm ſi te in domo tali modo fuiſſet adortus.Nam is maleuolum atque lædendi cupidum animum, hoc modo foris per facta edocuit: atque is in domo fuiſſe cenſendus eſt,qui domus ſuæ pro foribus
8 fuiſſe cognoſcitur. Si † te quiſpiam doloſè prehenſis veſtibus tam diu

remoraretur, donec alter aduenies te inuasum aut læderet, aut interimeret: vterque & factor & facti causſam præbens, pœnæ læsionis, aut mortis obnoxius haberetur: huic congruit l. Qui occidit, §. In hac, ff. ad le. Aquil. §. Cæterum, iuncta glos. institu. de
9 le. Aquil. Socrates† inuasus à multis, atque ab ijs omnibus læsus, atque affectus multis vulneribus, tandem moritur: & fertur mortu⁹ ex vulnere inflicto à Platone: qui Plato probare vult contrariũ, vulnus à se inflictum nunquam fuisse letale: sed vulnus illud, quod à Diogene inflictum fuerat, verè fuisse letale: quod si probare velit, audiendus est haud dubiè in sua probatione, ita vt si eam comprobare posset, nulla pœna damnandus sit, quàm pœna læsionis & vulneris: mortis verò mininè, d. l. Qui occidit, §. fin. & l. Si ex plagis, in princip. ff. ad le. Aquil. per glossam §. Cæterum,
10 institu eod. tit. Istiusce modi† autem probatio potissimùm confirmanda est, non per quoslibet, nec per insipidos & imperitos, sed tantum per peritos ac doctos medicos aut chirurgos, quibus potissimũ ob nobilium artium suarum certitudinem, hac in re credendum, & ipsorum medicinæ regulis inhærendum fuerit, non secùs quàm Bononienses adhæserunt Carocio, vt no. glos. in l. Omnis diffinitio, ff. de reg. iur. Quandoquidem† ars medicinæ, ars est longè cer
11 tissima & verissima, cuius regulæ ab experientia & lõgo rerum vsu, & obseruatiõe exortæ sunt, veluti ait quidam magni nominis philosophus in proœmio Metaphysicæ. Cuius item
12 † regulas ceu verissimas ac certissimas, non verentur imitari sacrę leges l. Septimo mense, ff. de statu. homin. & in Authen. de restitu. & ea quæ parit in xj. mense, §. Vnum. Hi tamen
13 medici ac † chirurgi ad probationem eligendi fuerint vtrinque & per proximos consanguineos, aut affines interfecti, & simul per ipsius factoris putatitij consanguineos & affines, vel ad arbitrium & ordinationem Iudicis, si quidem in hac electione facienda, minimè inter sese concordare po-
14 terunt. Cæterùm † vnus medicus solus, aut vnus chirurgus solus, etiã doctus & suæ artis expertus, non sufficit ad talem probationem confirmandam: sed oportet ad minimum esse duos: nisi ob raritatem vnus tantum haberi potuisset: tunc huic vni medico etiã credi poterit, si eo in loco plures haberi nequeant, per text. in Authen. de non alienam. §. Quod autem ver. vt neque vlla, ibi, aut etiam vno, si vnum solum ciuitas habeat, vel reperiatur ibi, & in l. Quòd si nolit, §. Si mancipium, versic. Culpam, ibi non adhibuerit medicum vel malum adhibuit, & sic tenent Bald. Angel. & amplè Cepol. ff. de ædili. edict. Ex habi
15 tis † nunc facilè collegeris, paria esse, nullum adhibere medicum, & quoslibet adhibere medicos vel chirurgos indoctos & imperitos: quando ne doctissimo quidẽ satis totò credendum fuisse monstrauimus, nisi plures haberi nequissent: aut certè nisi is vnus è multis esset celeberrimi nominis & medicorũ penè pręcipuus habitus in republica iuratus, ac pręclaro stipendio quopiã remunerat⁹, cui certè vni tũc credendũ fuerit, vt voluit Bart. in l. 1. per illũ text. C. de põdera. & auri illatio. li. 10. Vni etiã credẽdũ fuerit, si
16 partes† vtrinq; huius vnius arti conferẽt, adeò vt eo solo se cõtentos declararẽt, per l. 1. §. fi. ff. de ver. obligat. & ibi Lu. Ro. & And. Barb. Hic aũt notãdũ, plus fidei adhibẽdũ duob⁹ medicis affirmãtibus nõ esse mortale vulnus, quã vni dicẽti cõtrariũ, l. 1. §. 1. in

exor-

exordio, ff. de vēt. inſpi. & ibi hoc no. Bar. in ver. vlteriùs hæc lex facit in argu. cū alijs, per eū allegatis. Poſtremò
17 †tutiùs credendū fuerit duobus teſtibus allegantibus legitimam cauſſam vel rationē dicti ſui, quàm alijs duobus, nullam dictorum ſuorum rationem reddentibus, vt notat Bald. in l. Presbyteri, colum. vlt. C. de Epiſcop. & cleri. & Ludo. Rom. in l. 1. in prin. ff. de no. oper. nuncia. Horū latè item meminit D. Nicolaus Boërius in ſuis deciſionibus aureis q. 323. quem caſu
18 emergente conſulite. Aliud, †quando quiſpiam inuaſus aut læſus, diu lecto ex vulnere aut inualionis terrore decubuit: poſteà verò è ſtrato ſeſe erigens, templa adeat, fora, plateas, aliáque loca frequentet, putans ſe à morbi ac vulneris periculo liberatum: ac deinde mox ſubitò in debilitatem recidit ac moritur: factor, inuaſor, aut vulnerator eo caſu reus erit homicidij, & de morte damnandus, non de læſione, ſi quidem apertè conſtiterit, vulnus inflictum priùs fuiſſe letale, & mortuum ex eo vulnere tantum, & per ſe obijſſe, non aliunde. Nam ſi ſua
19 negligentia, † ac aliunde vulnus poſtea redditum fuiſſet letale (nēpe ſuo malo regimine: ſi vxori aut iuuenculæ concubuiſſet: ſi liberaliùs æquo ad ebrietatem ferè bibiſſet, tabernáſque frequentaſſet: ſi malè ſe cuſtodiuiſſet: ſi medicis aut chirurgis non paruiſſet vel contra ſalutares medicorum regulas aliquid peccaſſet, &c.) liber eſſet ab homicidio, Ludo. Bolog. in conſilio 5. colum. 3. ver. Primus, & ver. Alius: tunc enim ſuæ negligentiæ, & ſibi imputandum eſſet, & non vulneratori: quia dictis calibus ſeipſum necare videtur, non necari ab alio: Idem dicit D. Auguſtinus in homilia, quæ in ſancto die Penthecoſtes cantatur: Quòd
20 ille † ſe interimit, qui præcepta medici obſeruare negligit: Et idem præſtant leges negotijs, quod medicamenta morbis, Authen. quibus modis natura. effic. ſui, poſt princip. Et ſi curam medicantis expectas, oportet & vulnus detegas: vnde bona cuſtodia requiritur, per quam ſæpe curari ſolent ea quæ mortalia videntur, l. 1. §. fin. ff. ad Sylla. Et econtra, mala cuſtodia vulnerati, non mortalia vulnera ſæpe reddit mortalia, mortémque inducit, d. l. Quòd ſi nolit, §. Si mancipium, verſi. culpam omnem, de ędil. edict. quo caſu Lex apertè determinat, percuſſorem de homicidio non teneri, d. l. Qui occidit, §. fin. Quum
21 hic de letalitate, † ac non letalitate vulnerum ſæpe meminerimus, ea vulnera potiſsimùm letalia cenſenda ſunt, quæ in locis periculoſis, & certę morti obnoxijs inflicta ſunt, vbi præcipuè medicorum cenſuræ confidendum fuerit: Ea ſimiliter per ſe non fuiſſe letalia, quæ in locis fuere inflicta non periculoſis, nec morti obnoxijs. Quocirca quiſquis in huiuſmodi locis nō letalibus alterū vulnerauerit, ab homicidio liber iudicandus erit: potiſsimùm ſi medici iuramento adſtruant, eum vulneratum ex accepto vulnere nunquam obijſſe, quod in tali loco nunquam potuiſſet eſſe letale, ſed ex alio morbo aut alio accidente, aut latente malo, non ex vulnere, nato. Nam ſi malum aliquod ex læſione illa, tanquam ex ipſa cauſa fuiſſet exortum (veluti ſi ex vulneris malo acciditſſent ardentes febres, aut alius quiſpiam morbus, ex quo moreretur) In eo caſu ſuſpicio mortis eſſet contra factorem, qui ob id de mortis crimine damnandus eſſet. Parui enim refert an re & morte ipſum occiderit, an mortis cauſſam dederit, l. Item Mela, §. Si alius tenuit, & l. Qui occidit, §. fin. ff. ad le. Aquil. & l. Nihil

intereſt, ff. Ad l. Cor. de ſicar. Angel. in §. Cæterùm, inſtitu. de leg. Aquil. Porrò in dictis rerum euentis, & factis potiſsimum (vt dixi) ſtandum erit iudicio medicorū aut chirurgorum, vt qui certiùs hac in re iudicare poterunt: Nempe, an verè ex vulnere mortem obierit: an forſan ex vulneris aliqua exorta occaſione: quapropter ip ſi medici (vt hoc obiter inſeram) & docti chirurgi ob artium ſuarum no-
22 bilitatem vel † in hoc periculoſiſsimo negotio honore omni perſequendi ſunt, teſte etiam Eccleſi 28. Honora (inquit) medicum propter neceſſitatem: nam & illam creauit altiſsimus.
23 Veluti ſi cōtingeret † vulneratū mortem occumbere ipſius medici aut chirurgi imperitia, vulnerator non eſſet Reus mortis, ſed tantum læſionis, l. Qua actione, §. fin. ff. ad l. Aquil. §. Prætereà, & ibi Angel. inſti. eo. tit. de l. Aquil. l. Illicitas, §. Sicuti. ff. de officio præſi. l. Si quis fundum, §. Celſus, ff. loca, et l. Imperitia, ff. de reg. iur. Atque in hoc caſu ipſe medicus & chirurgus arbitraria pœna damnādi per Iudicē eſſent. Verū ſi medicus aut chirurgus artis ſuę peritia diligenter, & ad regulas ſuas operatus fuiſſet, & vulnere affectus ille nihilominùs moreretur, nihil imputādū eſſet medicis aut chirurgis iſtis, qui ab omni culpa eſſent liberi, etiam in foro cōſcientiæ, Abb. in c. Tua nos, §. Ad vltimū, ext.
24 de homicid. Euentus † enim mortis, docto ac diligenti medico aut chirurgo nunquam imputandus eſt quando quidem non eſt in midico, ſemper releuetur vt æger, d. l. Illicitas, §. Sicuti, gloſ. in c. Ad aures, ext. de ætat. & quali. Si verò medicus & chirurgus indocti reperiantur eſſe in culpa, nempe ob craſſam artis imperitiam, aut non adhibitā ſtrenuam diligentiam, tunc (vt prædictum eſt) tenentur ſe. Aquilia, Angel. in §. Prætereà ſi medicus, inſtit. de le. Aquil. & Feli. in d. c. Tua nos. Si verò ſtudio &
25 ex † conſcientia (licèt doctus fuerit & peritus) mortē procurauerit, præbendo aut præſcribendo medicamina noxia, aut ſtupida, & emortua: aut ad curam aſſumptum data opera reliquerit, vt vel his malis & medijs tandem mortem oppeteret, is haud dubiè mortis obnoxius fieret, & de morte damnandus eſſet, l. 1. §. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſicar. & l. 1. C. eo. titu. Iſthæc autem maximè notanda ſint
26 pharmacopolis: Nam † ſi medicus culpam incidit præſcribendo noxia & ſtupida medicamina, multò magis ipſi pharmacopolæ in culpa erunt, & execrabiles, qui ex auaritia & lucri inexhauſta libidine etiam contra medicorum præſcripta, vel ex propria temeraria audacia, quaſuis medicinas conficiunt ex corruptis ſpeciebus, & herbis aut radicibus planè emortuis, quibus languidis nihil opis præſtant, imò ipſius mortis ſæpe etiam cauſam præbēt: cuius quidem mortis non ſolùm in foro cōſcientiæ, verū etiam in foro fori (quòd per conſcientiā & induſtriam fecerint) ſunt obnoxij, Ang. in d. §. Prętерea ſi medicus. Quoniam autem ſuperius medicorum periculum non nihil attigimus, non abs re futurum arbitrabar, ſi quibuſdam triuialibus medicis & chirurgis hic pauculas conditiones explicarē, quibus præditos eſſe conueniat bonos & cordatos medicos, & qui omne periculum euitare ſtudent. Quinque
27 † igitur conditiones, ſiue qualitates medico conueniant, oportet: de quibus Panor. in d. c. Tua nos. Primò enim requiritur, medicum & chirurgum eſſe laicum, non clericum: quandoquidem cuiuis clerico medicinæ & chirurgiæ exercitium de iure prohibitum

bitum est in c. Scientiam, in c. Non magno, & in c. fin. ne cleri. vel monachi. Vnde clericus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, etiam si sit peritus & diligens, efficitur irregularis, d c Tua nos. Secundò requiritur, vt suæ artis & professionis sit peritus. Tertiò requiritur, vt adhibeat omnem diligentiam secundum artem. Quartò, vt ægrum informet, & doceat de his, quę sunt suo morbo pernicioſa & contraria. Quintò, ne in dubijs sit nimium audax & temerarius, veluti si dubitet an præscripta aut præscribenda medicamina sint ægro tanti profutura, & salutaria, an non: in hoc casu potiùs reseruanda sunt præscripta, & vt languidus abstineat consulẽdum potiùs, quam vt sumat, Innoc. in c. Tua nos, sæpe allegato. Præstat enim tunc ægrotantem tum mo committere medico Deo, quam temerè quippiam per imperitiam, & ambiguitatem in eo curando tentare, & dubiæ suæ sententiæ committere velle. In his autẽ † omnibus casibus, in quibus medic⁹ aut chirurgus peccat culpa lata, puniendus est, non ex aliquo senatusconsulto (quod iura nusquam quorundam testimonio exprimunt) sed potiùs pœna aliqua mitiori, & pecuniaria: aut certè extraordinaria ad arbitrium ipsius Iudicis, vt dicunt Bart. & Ange. in l. In lege, ff. ad l. Cor. de fica. quia vbi non est pœna expressa à lege vel statuto, illa est imponenda Iudicis arbitrio l. 1. §. Expilatores, ff. de effrac. & expila. l. Hodie, ff. de pœnis, l. 3. vers. Stellionatum, ff. de crim. stelli. c. Felicis, §. Cæterum, de pœnis, lib. 6. l. 1. ff. de iure deliber. l. fi. ff. de actionib. empt. l. Mora, ff. de vsur. l. Continuus, §. Cum ita, ff. de verb. obliga & Felinus in d. c. Tua nos, ext. de homicid. Hactenus de medicorum & chirurgorum officijs prædicto statuto conuenientibus, satis superq; dictum esto, reliqua persequamur. Si legibus † constitutum esset, vt quisquis alterum iuuaterit, dependat lib. decem, & per occasionem vsu ueniret multos simul coniunctim vnum adoriri: omnes & singuli inuasores dictarum decem li. Rei constituerentur. Quandoquidẽ tot sunt iniuriæ, quot sunt iniuriarũ illatores: & contra: Hinc fit, vt si † vnus plures inuadat, vnius mulctæ punitionẽ tantum incurrat. Singulę tamen personę inuasæ exigere possent pasi dispendij & iniuriæ reparationẽ, quam certè singulis exoluere teneretur. Si † statutum esset, quisquis alterũ inuaserit, mulctabitur decẽ li. Paris. Et quisquis vulnerauerit alterũ, damnabitur viginti lib. Paris. deinde si cõtingeret Demosthenẽ inuadere Socratẽ, eumq; ita vulnerare, tum Demosthenes posteriori mulcta viginti lib. Paris. tantũ damnabitur, scilicet de læsione. Nam à priori mulcta inuasionis liberandus erit secundũ Bart. in d. l. Illud, §. Si idem, ff. ad l. Aquil. Verum si is † Demosthenes Socratẽ vno tempore inuasisset, deinde alio tempore intercepto vulneraſſet, vtriusq; mulctæ certè Reus efficeretur, d. l. Illud, §. Si idem, & ibi Bar. Si ex duobus alter alterum inuasisset, è quibus non constaret, vter prior inuasisset alterum, suspicio vehementior esset contra ipsorũ alterutrum, qui huiusmodi facinoribus infamis esset, & publica fama ad similia perpetranda delicta ex consuetudine haberetur addictus & propensus, l. Vel vniuersorum, ff. de pignora, actio. l. Qui semisses, ff. de vsur. Si statutum esset, † vt quisquis alterum cædat in faciem, mulctetur quinquaginta lib. Paris. cuius meminit Angel Aret. in §. A-

trox, inſtit. de iniur. Deinde ſi alio edicto cautum eſſet, vt qui alterum cędat in plateis, mulctetur duplo. Tertio ſtatuto prætereà edictum eſſet, vt omnes eiuſmodi mulctæ de nocte incurſæ, duplo dependendæ eſſent. atque tunc contingeret Martinum cædere Egidium in faciem, in plateis, atque de nocte, ita vt contra illa tria Statuta ſimul vno delicto cõmitteret: in his caſibus volunt iura mulctam centum lib. Pariſs. tantum duplicari, hoc eſt, ſummam nouiſsimam, & non amplius: atque vt in eam ſummam Martinus perpetrator condemnetur. Nam principale 36
factum expendendum, vtpote, quod præcipuè executioni obnoxium eſt, eóque mulcta potior condemnanda, non quæ acceſſoriæ ſunt, aut indè
manantes. Si † ſtatutum haberetur 34
tale, vt qui alterum inuadat, mulctam exoluat quinquaginta lib. Pariſs. & qui alterum lædat, ſoluat emendam centum lib. Pariſs. & qui alterum occiderit, dependat mille lib. Pariſs. deinde contingeret, vt Demoſthenes inuaderet Socratem, atque poſt inuaſionem, ipſum tam grauiter læderet, vt eam læſionem mors ſequeretur, non teneretur exoluere omnes mulctas: ſed per ſolutionem mulctæ mille lib. Pariſs. abſoluendus eſſet, quoniam factum tale propter continuationem æſtimatur pro delicto vnico, Bart. in d. l. Si gemina arbor, Gandi. & Angel. in 37
dictis ſuis tractatibus maleficiorum, in locis ſup. allegatis: Idem Bart. in l. Illud, §. Si idem, ff. ad l. Aquil. vbi inquit: quòd quando plura delicta tendunt ad eundem finem, pro vno tantùm puniuntur, ſi fiant eodem impetu, eodemque durante affectu.
Nam † ſi huiuſmodi facta cõtigiſſent 35
diuerſis tẽporibus, atque poſt intervalla temporis, Reus tunc fieret omnium illarum mulctarum, d. l. Illud, §. Si idem: & ibi Bart. infert, Si te adoriar & vulnerem, me non eſſe puniendum, niſi de vulnere tantum: quia aſſultus fit ad finem vulnerandi, vt notatur in l. Qui de crimine, C. de accuſat. Bart. in l. Nunquam plura, ff. de priua. delict. Non mirum tibi pie Lector hic videatur, quòd in hoc ſtatuto dixerim, illum, qui ad mortem ſequentem vulneraſſet, damnari poſſe pœna pecuniaria mille lib. Pariſs. quum ſit crimen homicidij, & non niſi gladio plectendum. Quandoquidem ſunt nonnulli † doct. qui 36
contendunt criminales pœnas homicidij poſſe conuerti in ciuiles punitiones & pecuniarias, arg. eorum quæ pro conſtanti tenent Bar. eiúſque ſequaces in l. 1. ver. vltimò quæro, ff. de publicia. in l. 1. ff. vi bono. rapto. in d. l. Nunquã plura, & Bald. in l. Nõ ideo minus, C. de accuſa. Alij verò cõtrarium adſtruũt, nempe Archid. in c. Duo iſta nomina, 23. q. 4. & in c. fin. ne cler. vel mona. lib. 6. Hoſtien. & Ioan. And. in c. fin. de cõſuetud. Nã ſi (inquiunt) illorũ ſententię iura ſubſcriberẽt, daretur populo aperta peccãdi occaſio, & liberiùs occidẽdi quoſlibet nefaria licentia, Panor. in c. Ex parte, de conſuetud. in antiq. iunctis additionibus ibidem, Felinus in Rub. ext. de homicid. & Ludo. Ro. in ſuis ſingularib. ſingulari 756. incip. Iudex poteſtatis, Porrò, ſi † ſtatuto cautũ eſſet, vt qui alte- 37
rum vulneraret, mulctam incurreret decem lib. Pariſs. Et ſi in platea vulneraret, duplum dependeret. deinde verò contingeret, vt Demoſthenes Socratem vulneraret in platea: is Demoſthenes profectò dependet vtramque mulctam, quòd duo diſtincta ſint delicta: alterum ex cauſa vulneris: alterũ ratione loci; cuius gratia delictum

eſt

est enormius (vt quidam autumant.) Alij volunt esse absoluendum dupla punitione: alij verò minima mulcta eum esse absoluendum. Atque † in
38 his omnibus statutis, ipsa statutorum verba, textus, & forma ad literam sunt seruanda, quod omnia stricti iuris sint, vulgatis. l. 3. §. Hæc verba, & vbi Bart. ff. de negot. gest. & l. Quicquid adstringendæ, & ibi Scribent, ff. de verb. obligat. cum infinitis nec disimilib. iurib. Si postremò †
39 constitutum, esset légib. municipalib. vt quisquis inuaserit, cæciderit, vulnerauerit alterum, mulctetur decem lib. Paris., & qui alterum occiderit, vicissim iustitia occidendus sit. Postea verò Demosthenes adoriretur & vulneraret Socratem: & deinde accederet Plato, qui Socratem occideret: Demosthenes tantum mulctaretur decem lib. Paris. ratione vulneris: Plato verò criminaliter veniret exequendus vltore gladio. Si deni-
40 que † quispiam vulneraret infirmum etiam citra læsionem letalem, vulnerator Reus esset (si moreretur) homicidij, non secùs quàm si validum aliquem vulneraſſet, l. Qua actione, §. Sed & si quis seruum ægrotum, ff. ad l. Aquil. de his satis superque.

CAPVT LXXVIII.

De necessaria suorum bonorum defensione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 78

Furem nocturnum an occidere fas sit? 1
Furem nocturnum ad hoc vt occidere liceat, plura requisita. 2
Furem diurnum an occidere permissum sit? 3
Fures ob leuiuscula bona non sunt occidendi. 4
Minima non sunt in consideratione. 5
Ab altero inuasus & citra periculum euadere compos, tenetur effugere. 6
Inuasus & sine magno periculo suorum bonorum effugere nequiens, non tenetur effugere. 7
Inuasus ad arctum vsque & præsentissimum periculum, illicò tantùm sese defendere tenetur. 8
Vim patiens ab altero, bonorum caussa, se defendere potest subito ipso momento, & quouis etiam tempore futuro. 9
Volenti capere debitorem licet telo resistentem occidere, & eius procuratori. 10

1 PErmissum est † mihi (ex necessariæ defensionis titulo) furem aut alium quempiã, qui de nocte ædes meas, villam, aut septa mea latenter ingressus, mea suffurari conatur, aut vim vllam mihi aut meis, tum familiaribus, tum alijs rebus inferre satagit, occidere sine vllo metu pœnæ iuridicæ, text. est in l. Furem nocturnum, ff. ad l. Cor. de sica. l. Itaque, §. Lex, ff. ad l. Aquil. & c. Si perfodiens, ext. de homicid. huic etiam quadrat insignis tex. in l. Sed & si quemcunque., ff. ad l. Aquil. vbi dicit, Si occidisti furem, quem capere poteras: ergo à contrario, si capere non poteras, poteris impunè occidere: Cui præterea seruit

seruit tex.notab.Exodi.22. Vbi dicit: Quòd si fur perfodiens domum occidatur, occidens non est Reus sanguinis, illumque textū allegauit S. Tho. secunda,2.q.64.art.7. volens probare, quòd longè magis licet occidere pro defensione vitæ: & arguit, si pro rebus, longè magis pro vita: his item subseruit l.1.& ibi gloss. & doct. C. vnde vi: Bart.atque eius sequaces in l.Vt vim,ff. de iustit. & iure, Ang. Aret.in suo celebri tract. maleficiorum,in gloss.Et dictus Titius se defen
2 dendo.† Vt autem furem nocturnum occidere liceat,secundum opinionem communem,plura requiruntur, Primò,vt istud fiat pro defensione suipsius,vel rerum suarum: alioqui enim nulli fas esset occidere furem, maximè si illinc absque vlla rerum ablatio ne recedat, textus est in d. l. Furem, cum supplemento gloss. & Bartoli: Defensionem autem illam intellige, non rerum quarumlibet, sed magnarum duntaxat: nam de paruis rebus nullum haberet locum illa violēta ad alterius internecionem defensio, l. Si explagis,§.Tabernarius,ff.Ad l. Aquil. Secundò requiritur,vt clamando inuocet aliorum subsidia, l. Itaque, ff.ad l.Aquil.Talis enim præcedens clamor à factore,tollit omnem clandestini homicidij aut læsionis suspicionem, vt inquit Hippol.Marsilius in d.l.Furem. Tertiò requiritur, vt furem nec ipse ante occisionem agnoscat, nec vllus testium præsentium quorum operam inclamauerat.Nam si fur ille notus fuisset aut domus domino aut testibus præsentibus, non ita impunè fas esset tunc eum furem occidere, quum testimonio multorum cum fure de furto iuridicè agere posset, Bart.in d.l. Furem. Quartò requiritur,ne eum apprehendere potuisset.l.Sed & si quemcun
3 que,ff. Ad l. Aquil.Pari † ratione cum superioribus permittitur mihi occidere furem, qui etiam interdiu domum meam ingreditur aut septa mea, præcipuè si baculis,lapidib⁹,telis, aut armis alijs munitus ingreditur, méque ita petat, vt mea mihi violenter abripiat:& si ego eundem furem aliter à meis nec arcere, nec abigere possim citra summum corporis mei aut bonorum meorum periculum,l. Itaque, & l.Sed & si quemcūq, ff.Ad l. Aquil. præallegatis. Isthæc autem intelligas oportet, si eum furem violentū non cognoscas, teste Bart.in l. Furē:Nam si eum personaliter cognoscerem, non tā tutò eum occidere licet. Similiter si fur quispiam alterius domum aut septa interdiu&clara luce ingreditur, nullis prędictis armis munitus,nec vllam domino vim inferēs,sed tantum furandi malo studio exagitatus,in eo casu non licet tunc furē diurnum occidere, quum eum etiam cognoscere posset, & cum eo agere iustitia: atque hę sunt communes omnium de furibus nocturnis & diurnis opiniones. Ego verò præfata ab omnibus venia, ab his opinionibus in parte dissentire me fateor: volens nulli licitū esse, vt furem nocturnum pro rebus tantùm occidat, nisi accedat graue corporis sui periculum:& fur aut actu,aut præsumtiue tibi armis vim inferat,d.c.Si perfodiēs,ext. de homicid.vbi textus apertè etiam causam reddit,cur magis liceat nocturnum occidere furē, quam diurnū:nempe, quòd de nocte nulli certò cōstet, an is furandi, an occidendi gratia eò venerit, quod luce magis est perspicuū. Et in dubio periculo,peius semper malū suspicatur, quod vt quis repellat. ad alteri⁹ interemptionem etiam se defendit & vlciscitur.Si enim constaret, furē tantùm furandi studio domū tuam fuisse ingressum (quod euidentiùs fit clara luce,ideo-

ce,ideoque non tam temerè licet furem interdiu occidere)nec tuæ perſonæ vim vllam armis inferat : dico tibi non conceſſum eſſe, vt ei furunculo,bonorum tuorum ſolùm gratia,vitam eripias.Porrò an furandi,an occidendi gratia venerit,vel hoc indicio (quod iura volunt eſſe neceſſarium) cognoſces,ſi magno clamore aliorũ ſuppetias implorueris. Nam ſi hoc clamore territus aufugerit, argumentum eſt eum non te,ſed tua petere : atque hoc caſu,non licet tibi furem inſequi & occidere. Si verò poſt clamorem non terrefactus permanſerit,ſuſpicio eſt eum occidendi tui gratia vſquam delitescere. Atque eo caſu fas *eſt eum tibi talem furem occidere,* etiam ſi actualiter non videas eum telo,aut alijs ſimilibus armis, petentem. Ratio igitur furis occidendi, aut non occidendi,tota conſurgit ex ſuſpicione homicidij tibi inferendi, aut non inferendi : adeò vt ſi vim inferat vel inferre præſumatur, occidere poſſis. Si verò nullam vim tuæ perſonæ inferre conſtiterit, ſed tantum rebus tuis,nulla ratiõe puto tibi permiſſum eſſe,vt eum occidas : atque ita intelligo l. Itaque, §. Lex, ff. ad l. Aquil. ponderando aduerſitatiuam (autem) poſitam in verſic. Interdiu. Non tamen per illum textum probatur id, ad quod adducit eum dominus Iaſon(ſalua interim pace tanti viri) in præcitata l. Vt vim,ff.de iuſti.& iure: qui *vult,quòd pro ſola rerum defen-*ſione liceat occidere,quia ibi non occiderat,aut nõ probatur occiſio facta pro ſola rerum defenſiõe : imò etiam pro defenſione perſonæ. Nam cùm non aufugit poſt clamorem, latro potius,quàm fur eſſe præſumitur: & ita non malè concordat cum l.Furem,ff. ad l. Cor. de ſica. licèt D. Iaſon in d. l. Vt vim,dicat contrarium : dum inquit illos textus vix poſſe ad concordiam reduci. & in hoc differt à diurno, quem occidere ſolum potero, ſi actualiter telo aut ſimilibus armis me lędere tentet. Ex his nunc clarè colligitur, quòd non eſt licitum occidere furem diurnum aut nocturnũ : niſi is plus ſit,quàm fur : aut plus quã fur eſſe pręſumatur. Nam ſi ſe telo,aut alijs nõ diſſimilibus armis defendat, plus eſt quã fur: ſi verò poſt clamorem nõ aufugerit,præſumitur eum plus eſſe quàm furem, & ideo his caſibus occidere licet,alias verò minimè. Atque hanc opinionem meam, tametſi pace omnium protulerim , cuiuis tamen communibus opinionibus adhærere permittitur. Cæterùm † prædicta in-4 telligas,velim,nõ de minutijs,rebuſq; paruj precij,veluti pomis,pyris,atque his ſimilibus : ob hæc enim nulli licet furẽ occidere,imò ne lædere quidem etiam ſi armis ſeſe defendere conaretur : ſed de magnis bonis hoc oportet,intelligas,quæq; magni precij ſunt (vt antè memini) d. l. Si ex plagis, §. Tabernarius : huic ſeruit quod voluit Alex.in d. l. Furem: Quòd ſi parcitur famæ hominis pro re vili ac modica,vt in l. Si oleum,§.fin.cum l.ſeq. ff.de dolo.ergo multo magis parcendum eſt vitæ : ad quod allegat l. Si adulterium,§. Liberto.ff.de adulter. huic conſonat regula illa notiſsima: 5 Quòd † minima non ſunt in conſideratione,vt habetur in l.Seio,ff. de in integ.reſti.in l. Omnino,ff. de impen. in reb.dotali.fact.& in c. Licet cauſam in verb.Nulla vel modica,ext de proba.D. Hippo. â Marſil.in l. Si vt allegas,C.ad l.Cor.de ſicar..vbi nonnul-6 lorum ſimilium meminit. † Si meam perſonam quiſpiam inuaderet, egoq; citra periculum inuadentem poſſem effugere,profectò eo in caſu planè tenerer effugere(vti & ſuprà dictũ eſt)

Si

7 Si verò quiſpiam † mea peteret inuadere bona, non tenerer hoc caſu inuaſorem effugere: quandoquidem mea fuga graue mihi poſſet bonorũ meo-
8 rum inferri diſpendium. Si † prætereà me quiſpiam adoriretur, ita vt in arctam me conſtringeret periculi anguſtiam: in hoc caſu è veſtigio tenerer
9 meipſum fortiter ad alterius etiam internecionem (ſi effugere nõ detur) defendere, & non per interualla temporis, vti dictum eſt ſuprà. Verùm † ſi quiſpiam bona mea violenter furripere conaretur, aut me extrudere poſſeſſione mea: in eo caſu poſſem me defendere contra aduerſarium, non ſolum tempore præſenti, atque in ipſa animi cõcitatione, ſed etiam quocunque alio tempore oportuno ſequenti aſſumendo plures viros ſubſidiarios ex meis fautoribus, potiſsimum, ſi damnum illud quod mihi aduerſarius inferre vellet, graue eſſet & irreparabile. Superioribus autem annectere nec omnino extraneum fuerit inſigne illud verbum Baldi in l. Si vt allegas, C. Ad l. Corne. de ſicar. Quòd
10 ſicut † licet occidere furem ſe telo aut ſimilibus armis defendentem: ita etiam licitũ eſt creditori volẽti capere debitorem fugiẽtem, ſe telo, aut alijs ſimilibus armis defendentem & reſiſtentem eum occidere: Quod D. Hippol. ibidem extendit etiam ad procuratorem creditoris, cui etiam licet capere debitorem domini fugientem, ſecundum gloſ. in l. 1. C. vbi quis de curi. vel cohor. quam ad hoc refert, & ſequitur Iaſon. Inſtitut. de actionib. in princip.

CAPVT LXXIX.

De neceſſaria proprij honoris defenſione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 79

Alapam impingentem licet repellere gladio. 1
Prius infamiam inferentem interimens, excuſatur defenſione neceſſaria. 2
Nobilibus maior ſuæ gloriæ defendendæ ratio. 3
Omnibus permiſſa ſui honoris defenſio. 4
Conſeruatio perſonæ & famæ æquiparantur. 5
Forti potior ſui defendendi ratio, quàm inualido. 6
Sunt cauſæ, quibus fugere non eſt ignobile. 7

1 SI adoriretur me quiſpiam, † ala pam in faciem mihi impacturus bono iure mihi permittitur eam iniuriam impedire gladio meo, ſi aliter eã à me propellere nequeam.
2 Et † ſi ea in defenſione eum interfecerim, ea quidem interfectio cenſenda eſt neceſſaria defenſio: nam illam infamiæ labem non cogebar perpeti.
3 Nobilibus † ſeu claris item permittitur, ſeſe grauiùs defendere cõtra ignobiles ſeu obſcuros, adeò vt ſi ea in defenſione ignobilem interemerint, excuſentur de neceſſaria defenſione admiſſa. Hippol. Marſil in l. 1. num. 44.
4 ff. ad l. Cor. de ſica. Omnibus † enim iure permittitur honoris ſui defenſio & ignominiæ violenta repulſio: imò tam

tam infamiam, quam corporis proprij pericula, aut rerum noſtrarum damna, à nobis propellere cogimur. Nempe, † quòd perſonæ, & famæ conſeruationem iura æquiparent, l. Iuſta, ff. de manumiſ. vindic. Et quòd honor, & fama cuilibet pecuniario commodo præferantur, l. Iulianus, ff. Si quis omiſ. cauſ. teſtam. Cy. in l. 1. C. vnde vi: eam autem iniuriam ſi non vlciſcatur, perpetuò infamis fit & repellibilis. Similis infamiæ nota † viro forti quoque permittitur excuſabilis, contra infirmum quempiam & debilem, cuius vim ſi perferat, fortitudinis ſuæ iacturam facit, & infamiã impingit, quòd in tali ſtatu rerum, ob dedecus & infamiam profugere non teneb atur: fuga enim talem viliorem redderet, & magis contemptibilem, & crudelis eſt, qui ſuam famam negligit, teſte Cyno in l. Si ex plagis, in §. Tabernarius, & in l. Scientiam, §. Qui cùm aliter, ff. Ad l. Aquil. cuius etiam meminit Hippol. in d. l. 1. tametſi † occaſiones incidant, quibus fugere non ſit indecorum & ignobile, potiſſimùm ſi per eam fugam grauiora impediantur mala.

CAPVT LXXX.

De neceſſaria defenſione amicorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 80

Defenſio oppreſſi proximi cuiuis licita. 1
Defenſionem implorantem qui defendit, ad alterius etiam (ſi res vrgeat) internecionem, excuſatur ab homicidio. 2
Ignoto, ſuppetias ferre licet ciuibus, non tamen tenetur. 3
Oppreſſum recuſans defendere, ab omni pœna liber manet. 4
Iura ciuilia neminem ligant ad obſiſtendum malo. 5
Pro altero defendendo licet pecuniam accipere. 6
Malum ſecretum nemo alteri detegere cogitur. 7

8, 9, 10 *Fallit hoc in* { *Seruo.* / *Crimine læſæ Maieſtatis.* / *Crimine parricidij.* }

Iura pontificia quemuis ligant ad prohibitionem mali. 11
Non reſiſtens malo punitur, ſed non pari pœna cum factore, niſi &c. 12

13, 14, 21, 21, 21, 21, 21 *Permittitur* { *Patri.* / *Patri.* } *defendere* { *Filium oppreſſum.* / *Filiam contra ſtupratorem famulum.* }
Parentib.
Conſanguineis / *Affinibus* / *Tutoribus* / *Amicis* } *defendere aut* { *Filiam* / *Virginem pupillam* / *Matronam honeſtã* } *contra raptores.*

15 Per-

15		*Patri,*		*Mœchum filiæ, vnà cum filia.*
18		*Patri,*		*Filiã mœchantẽ domi suæ vel generi tantũ.*
19		*Genero,*		*Adulterum solum.*
22 28		*Marito,*		*Adulterantem cũ vxore sua, nõ vxorem.*
23 28		*Vxori,*		*Adulteram mariti in actu, non maritum.*
25		*Marito,*		*Seruum,* } *iocãtem impudicè cum* { *Vxore*
25	*Permittitur*	*Patri,*	*occidere*	
26				*Seruum,* } *iocãtem impudicè cum* { *Filia.*
29		*Marito,*		*Riualem suum, sæpe prohibitum.*
29		*Concubinario,*		*Mœchantem cum concubina sua.*
30		*Concubinæ,*		*Mœcham amasij sui.*
31		*Sponso,*		*Mœchantem cum sponsa sua.*
32		*Filio,*		*Oppressorem patris aut matris.*
34		*Nepoti,*		*Oppressorem aui aut auiæ.*
35		*Fratri,*		*Oppressorem fratris sui.*
40		*Conuiatori,*		*Oppressorem consocij itineris.*
		Filio.		*Adulterantem cum matre vel nouerca.*

Patri non licet occidere filiam in domo aliena, sed in domo propria vel generi. 20.

36		*Dominus*		*Seruum conductum.*
37	*Tenetur*	*Seruus*	*defendere*	*Dominum suum.*
38		*Quilibet*		*Eum cui defensionem addixit.*
39		*Feudator*		*Feudatarium vassallum, & contra,*

16	*Patri*	*occidere licet*	*adulterum, & filiam simul.*
17	*Marito*		*adulterum tantùm, non vxorem*

Vxor propter adulterium priuanda est dote & bonis paraphernalibus. 24

Clericus post frequentem admonitionem non abstinens à colloquio meretricum, excommunicandus est. 27

33	*Filius*	*Non defendens*	*Parentes*	*puniendus est.*
33	*Nepos*		*Auum, Auiam*	

1 CViuis homini iura † permittunt defendere, ac citra crimen omne protegere con fratrem suum, etiam ignotissimum, ab altero grauiter oppressum: potissimum si is oppressus de vi illata clamitet, & patrocinium inuocet: vt eleganter notat Bart. in l. Si quis in seruitute, in fin. ff. de furt. In l. Vt vim, in versi Quærit glos. quid &c. & ibi glos. ff. de iustit. & iure. Cy. & Pet. in l. 1. C. vnde vi. Elegans tex. in c. Dilecto, de senten. excom. lib. 6. versi. Et quidem cum liceat, c Non in ferenda, 23. q. 3. c. Error, 83. dist. Prædicta tamen consuluit sano iudicio esse intelligẽda Bart. in d. l. Vt vim, in versic. Quærit glos. quid &c quem in eadem opinione sequitur Angel. Are. in suo tract. maleficiorum, in glos. Et dictus Titius se defendendo: nempe hac caussa moti, vt vitetur opinionum multarum varietas. In hoc † tamen ferè consentiunt & dicunt, si ille tertius interueniens videat

videat confratrem suum grauiter oppressum, eiusque periculo metuens, iubeat oppressio, vt suum imploret auxilium: quòd si oppressus id faciat, & tertius interueniens ob implorationem oppressum defendat, oppressorem lædat, aut etiam interimat: in eo casu volunt occisorem non teneri, vt notat Bald. in d. l. 1. C. vnde vi. cuius sententiam sequuntur plerique omnes, argu. l. Gracchus, C. ad l. Iul. de adult. quod ait Bart. esse notandum in praxi, & hanc opinionem sequuntur Petr. & Iacob. in d. l. 1. C. vnde vi. Alienigenæ atque
3 † ignoto licitum est (si velit) ciui alicui aut viro vrbico, ab altero periculoso oppresso, ferre suppetias: verùm ad eam defensionem humano iure non obligatur, nec ad eam cogi potest, Bart. & doct. in d. l. Vt vim, pro quo allegant glos. in c. Quantæ, in verb. Interpretamur, ext. de sententen. excommu. & est casus etiam, & ibi doct. in l. Metum, §. Sed licet, ff. de eo quod met. caus. Nam & si is alienigena cernat quempiam opprimi, quem tamen defendere potuit, & protegere, humano iure nihil dam ni incurrit, nec oppresso vllam iniuriam inferre dicitur, tametsi defendere potuit & non fecit: quia in illius voluntate totum situm est, vt oppressum defendat, aut non defendat, vt est textus, & ibi Bald. & Raph. in l. Filio pater, ff. de lega. 1. Nicolaus Boërius in suis decisionibus aureis,
4 q. 83. numer. 6. Quocirca † nullum crimen non defendendo, cum possit committit, quamquam non ferendo auxilium, si quando potuerat, & oppressum ita negligendo, videatur oppressori fauere, ac esse particeps propterea culpæ: ita dicit ad literam text. in d. c. Dilecto. versi. Et quidem cùm liceat. Huic loco non inconcinnè adijcientur tres conclusiones. Prima:
5 Consentiens † per negligentiam, de iure ciuili non tenetur, quia nemo tenetur obuiare delicto, & malum alteri illatum perpetuò defendendo propellere, ita dicit glos. in l. Culpa caret, ff. de regu. iuris: Bart. in l. 2. §. Sed in eo, ff. ad S. C. Sylla. Bart. in d. l. Metum, §. Sed licet, per illum tex. in quo
6 dicitur, Quòd † liceat pecuniam pro altero defendendo accipere: ex quo colligitur, quòd iure ad defensionem alterius nemo teneatur. Nam si quis iure ad alterius obligatus esset defensionem, nulla ratione pecuniam accipere posset, per text. in l. Iurisgentium, §. Si ob maleficium, ff. de pact. vbi quis non debet accipere pecuniam pro eo faciendo, quod de iure communi facere tenetur: Et hanc opinionem videtur tenere glos. in c. Quantæ, ext. de senten. excommun. & sequitur Salic. in l. Quisquis, §. Id quod, C. ad l. Iuli. Maiesta. Abbas in c. 1. de offic. delegat. Et hæc est communis omnium opinio: licèt quidam respondeant ad text. præallega. vt Philippus Decius in d. c. 1. de offic. delegat. Ex his infert Bald. in d. l. Vt vim: Quòd
7 † si potui iuuare aliquem oppressum clamando, & non feci, de iure ciuili ad hoc non teneor: similiter si sciebam, quòd Mæuius velit occidere Sempronium, idque illi non significauerim, nec dixerim, illud similiter dicere non teneor. Verum ista prima
8 conclusio limitanda est. Primò † in seruo, qui cum possit, non defendit dominum, quia punitur pœna vltimi supplicij, l. fin. C. de his quib. vt indig. l. 1. ff. ad S. C. Sylla. Ita intelligitur, l. Culpa caret, priùs citata, si in ea sumas argumentum á contrario sensu.
9 Secùdò † locũ non habet in crimine lęsę Maiestatis, cui defendendę omnes ex iure obligati sunt, si possint, l.

Quiſquis, §. Id quod, C. ad l. Iuliam Maieſta. Ex quo infert Bartolus in l. 1. §. Occiſorum, ff. ad S. C. Syllanian. quòd ſciens coniurationem contra Principem, punietur, ſi non reuelet, quia ita celando, illius Maieſtatem quum poſſet, non defendit, quam opinionem ſequuntur Abbas, & Philippus Decius in c. 1. extra de officio, & poteſtate iudic. delegat. Tertio † non habent locum, quæ prædicta ſunt, in crimine parricidij: quia ſciens aliquem velle occidere patrem aut filium, grauiſsimè tacendo peccat, & ideo ob non denuntiationem punitur, textus eſt in l. Vtrum, in verb. Conſcij criminis, ff. ad l. Pomp. de parricid. Quanquam ſint qui dicant, quòd debemus ſupplere, de conſcijs participibus, quam ſolutionem etiam habet Baldus in d. l. Quiſquis cuius magna (haud dubiè) eſt auctoritas. Poſſet tamen aliquis acutioris ingenij, Conſcios illos dicere eſſe eos, qui cum conſcientia delicto fauebant: ad hunc ſenſum quanquam ita conſcios intelligere poſsis: priori tamen opinioni magis, vt adhæreas, ſuaſerim: atque hactenus ita in hac concluſione habita de iure ſunt ciuili. Secunda † autem concluſio eſt: De iure Canonico omnes tenentur obuiare delicto: Si enim (cùm poſſent) malo non occurrerent, grauiter ipſi, non præſtando Chriſtianum officium delinquerent, text. eſt in d. c. Quantę, vbi dicitur, illos fauere alterius maleficio, qui cùm poſsint reſiſtere, non reſiſtunt, textus in c. Sicut dignum, §. Illi etiam, extra de homicid. In d. c. Dilecto, in d. c. Non in ferenda, 23. quæſt. 3. c. final. & c. Qui poteſt, eadem cauſſa & quæſtione. Et hanc opinionem tenet gloſſ. in d. l. Culpa caret, licet Andreas Siculus, in d. c. 1. extra de officio. & poteſtate iudic. delega. dicat hoc locum habere ſolùm in foro conſcientiæ, & Anton. de Butrio in d. c. Quantæ, & Abbas in c. 1. de reſtitu. ſpoliato. Philippus Decius tamen adhęret priori opinioni, cùm textus preallegati loquantur ſimpliciter: & ideo intelligendos eſſe de foro contentioſo. Quum enim iura canonica aliter obtinere volunt in foro conſcientiæ, quàm in foro contentioſo, hoc clarè & ſeparatim exprimere ſolent, c. Quicunque vult, 17. quæſt. 4. vnde cùm hoc apertè non exprimunt, tutior eſt opinio gloſſ. Tertia † concluſio hæc ſit: Negligens obuiare manifeſto facinori, non punitur etiam de iure Canonico tanta pœna, quanta faciens, niſi eſſet prælatus, vel ſuperior, qui vitijs obuiare tenetur: Ita tenet gloſſ. in c. 1. de officio & poteſta. iudic. delegat. per text. in. c. Nihil, & c. Error, 83. diſtin. c. Quamuis, de regulis iuris, lib. 6. Patri, iura † permittunt defendere filium oppreſſum, atque adeò, ſi tum oppreſſorē interficiat, culpa vacabit: Nam ea interemptio, coacta defenſione excuſabitur. Filius enim parentum ſuorum ſubſtantialis pars eſt, ex ipſorum viſceribus genitus, & commune bonum coniugatorum, l. Iſti quidem, ff. de eo quod met. cauſ. in eo ſaluatur pater, & paterni nominis diuturnitas conſeruatur. l. Liberorum, & l. Pronuntiatio, §. fin. ff. de verborū ſignificatione. Quod intelligas tam de naturalibus ac illegitimis, quàm legitimis filijs, oportet quia natura communis eſt, l. Hos accuſare, §. final. ff. de accuſationib. Nec poteſt conſtitutio naturam immutare, nec coarctare naturales ſtimulos, l. Amiciſsimos, §. Lucius, ff. de excuſat. tuto. facit l. 2. & 3.

& 3. ff. de libera. cauſ. Neque iſta ſolum de iuris ciuilis intentione, ſed de ipſa etiam rerum omnium probantur natura, quum vel animantia bruta, catulorum ſuorum ac partus ſui ſalutem naturali quadam iuſtitia inſita tueantur, quam omnibus animantibus naturæ ſagacitas inſæuit mirificè. † Patri ſimiliter permittitur neceſſaria defenſio filiæ, contra famulum, aut filiam conſtuprantem, aut filiam moribus, indiciſque apertis cõ ſtuprare conantem: adeò vt ſi hunc oppreſſorem in furore interimat, cul pa vacat. Patri † item concedunt iura, interficere quemcunque mœchum filiæ ſuæ, ſi quando ambos in opere mœchantes compererit, vel ad opus paratos domi ſuæ, aut domi filiæ ſuæ ſeu generi ſui, l. Quod ait lex, & l. Marito, ff. ad l. Iuliam de adulterijs. Sed ſi mœchum occidere velit, etiam filiam mœcham occidat, oportet: aut ſaltèm ita grauiter vulneret, vt foris & vulneribus declarare poſſet, ſe animum habuiſſe vtrumque occidendi cupidum, & ita ſi malum vlciſcatur, nullo modo punitur, l. Nihil intereſt, ff. ad l. Iuliam de adulterijs, ſicuti poſtea declarabitur in Cap. de adulterio. In hoc tamen nouiſsimo caſu notanda ſunt duo. † Primò, quòd pater poteſt occidere adulterum & filiam. Maritus † autem vxorem impunè occidere non poteſt, ſed ſolùm adulterum, l. Nec in ea, l. Patri, & l. Nihil, ff. ad l. Iuliam de adulterijs, d. l. Marito, ſicuti mox probabitur. † Item poteſt pater occidere filiam deprehenſam, ſiue in domo ſua, ſiue in domo generi: & tamen gener † poteſt ſolum adulterum interficere, quem deprehendit in domo ſua, non foceri, dicta l. Marito. Si quis autem roget, quænam ſit ratio, quòd patri dentur laxiores habenæ, quantum ad occiſionem adulterantium, quàm marito? Breuiter in hoc iuriſconſultus aſſignat rationem in l. Nec in ea, ff. ad l. Iuliam, de adulterijs verſiculo. Ideo, quòd plerunque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: cæterùm mariti & calor & impetus facilè ſæuientis fuit refrenandus. Secundò, † eſt aduertendum, quòd pater non poteſt occidere filiam in aliena domo repertam: licèt poſsit occidere inuentam in domo propria vel generi, l. Quod ait lex, ff. ad l. Iuliam de adulterijs, qui text. cauſſam addit, quòd maiorem ac dedecoroſam magis iniuriam putauit legiſlator, quòd in domũ patris aut mariti auſa fuerit filia adulterum inducere. † Permittunt itẽ iura parentibus, conſanguineis, affinibus, tutoribus, curatoribus, vel amicis alicuius virginis, iuuenculæ, aut honeſtæ viduæ, defendere ſuam filiam, virginem, aut honeſtam viduam contra violentum raptorẽ, & eas vi abducere conantẽ: ita vt ſi eum raptorẽ cum omnibus etiam cooperatoribus interimant, culpa vacent & crimine, l. vnica, C. de raptu virg. & ibi Salicetus, l. Raptores, C. de Epiſc. & cleric. huic ſeruiunt, l. Lex cornel. in princip. ff. de iniurijs & ibi gloſſ. & Bar. in d. l. Vt vim, & doctores, in d. l. 1. C. vnde vi. † Permittitur item marito occidere eum, quem comperit adulterantem cum vxore ſua, d. l. Marito, ff. ad, l. Iuliam de adulterijs, & l. Gracchus, C. eod. tit. Sed quid † ſi occidat vxorem maritus? certè propter iuſtum animi dolorem, excuſatur à pœna, l. Corneliæ, & mitiùs punitur, l. 1. §. Item Diuus, ff. ad l. Corneliam de ſicarijs & l. Si adulterium cum inceſtu, §. Imperatores, ff. ad l. Iulia. de adulterijs. Iſtud limitationem recipit, vt non

procedat de iure Canonico : quia non eſt licitum occidere vxorem: nec eam occidés releuatur à peccato, neque etiam minuitur peccatum, 27 text.eſtin c.Inter hæc,33.q.2.vbi dicit text.Quòd eſt licitum de iure Cano- 28 nico marito propriam vxorem interficere,etiam quédamodũ licet ſecundum legem mundanã : modò non licet occidere vxorẽ ſecundũ legẽ mundanam,niſi quantum ad mitigationẽ pœnæ: ergo de iure canonico per illum textum,etiam quantum ad mitigationem pœnalẽ, non licet occidere vxorem . Et rationem iſtius aſsignat text.in c.Admonere, eadem cauſſa & quæſtione,quia Deus non vult mortem peccatoris,ſed vt potiùs conuertatur ad pœnitentiã,& viuat: iſte autem maritus eſt cauſſa perditionis 24 animæ eius.Et eſt notandum†ſingulariter vnum circa hoc,quòd licèt regulariter vxor propter adulterium priuetur dote, vt probatur in c . Plerunque, de donat . inter vi.& vxo. & in ſingulari c.penult.ext. de cõſuetu. & nedum dotem perdit , ſed etiam bona paraphernalia, vt voluit gloſ, 29 ſingularis in d. c. Plerunque , quam ad hoc dicit mirabilem Ludo . Roma.in ſingul.cccxi.incipien . Propter adulterium tamen, in hoc caſu maritus vxorem interficiens,non lucrabitur dotem,gloſ.eſt in d.c.Inter hęc. 25 Marito† & patri etiam licitum eſt occidere ſeruum quem reperit inhoneſtè ac impudicè iocantem cum vxore 26 aut filia. Licitum† quoque marito eſt 30 riualem ſuum occidere,aut eum quẽ adulterij cum vxore ſuſpectum habet, quique non ceſſat vxorẽ ad venerem ſolicitare, & cũ ea colloqui non deſinit, præcipuè ſi hoc ei tertiò corã tribus fide dignis prohibuerit, text. eſt apertus in Authen. Si quis ei quẽ, C.ad l. Iul. de adul. & in Authen . vt liceat matri & auiæ, §. His quoque, pro quo facit text.notab.in c.2. de cohabita.cleri.& mulier . in antiq . vbi probatur: Quòd†excommunicari debet clericus, qui monitus nõ abſtinet à colloquio inhoneſtarum mulierũ.† Sicut marito permittur occidere mœchum : in opere pro defenſione vxoris,d.l.Gracchus,& d.l.Marito, ita vxori permiſſum eſt occidere mœcham in opere pro defenſione mariti,quia ſpiritualiter ſunt vniti vinculo fœderis,vniti(inquã) in carne vna, & vnum corpus eſſe cenſentur,c. Admonere,33.q.2.l.3.ff. de libe. cauſ. tametſi ſint qui ſecùs arbitrẽtur, vxorẽ non poſſe defendere maritũ,ſicut nec agere pro eo cauſſam, ſed horum opinio certè nõ minùs eſt ridicula, quã naturali ratione caſſa. Nam ſi concubinis(vt mox infrà)permittitur iuſta ſui amalij defenſio , ne perdat ipſum: multò magis ea defenſio concedẽda eſt vxoribus pro ſalute maritorũ, vt eos ſcilicet iuſta ratione defendant, à quibus ipſarũ pẽdet ſalus,gloria& plerunq; vitæ neceſsitas, teſte Bald.in re pet.l.1.C.vnde vi.Pari † item ratione permittitur concubinario occidere mœchantẽ cum ſua cõcubina, & contrà: propter immẽſam inter ipſos initam amicitiam, ac domeſticam inter eos conſuetudinem & carnalẽ ſocietatem , non minori ſæpe amore flagrantẽ, quàm in legitimo coniugio, l.Si vxor,vertic.Quod & in concubina,ff.ad l.Iuli.de adulter.l. Quod'ait Lex,ff. de diuort. & repudi.Sponſo † prætereà fas eſt mœchantem cum ſponſa ſua occidere, propter zeli & amoris inter ipſos magnitudinem, quo alter alteri ſic connectitur, non ſecùs , quàm ſi matrimoniali iure completo , mutuò iam eſſent coniuncti: atque ob hoc , idem de ſponſis & coniugatis hac in re

semper est iudicium, l. Oratio, ff. de sponsalibus l. Si vxor, §. Si minor, ff. ad le. Iul. de adulter. l. Non sine, C. de bon. quæ liber. & Bald. in præallegata sua repetit. l. 1. C. Vnde vi.

31 Permittunt † iura filio occidere oppressorem aliquem pro defensione

32 patris aut matris. Idem † nepoti fas est occidere oppressorem pro de-

33 fensione aui aut auiæ, adeò vt si ipsos non defenderent, scilicet † Parentes, Auum, aut Auiam, contra oppressorem: tum filius, tum nepos in culpa essent & crimine, cuius gratia, ceu fautores, condemnandi forent, argum. l. Vtrum, ff. ad l. Pompe. de parricid. & §. Aliud quoque capitulum, in Authent. vt cùm de appellatione cognoscit. collat. 8. Fra-

34 tri † similiter occidere quempiam permittitur pro defensione fratris

35 sui. † Et vni conscio viatori in itinere, permittitur occidere inuasorem pro defensione alterius consocij sui in eodem itinere: quòd qui vnum inuadit, omnes inuadere censetur, & singulis communem inferre iniuriam, vt notatur in l. Item apud Labeonem, §. Tenetur, ff. de iniu-

36 rijs. † Dominus tenetur defendere conductum seruum seu famulum.

37 Et seruus † tenetur ad alterius etiam internecionem defendere ac iuuare dominum suum, armis, clamoribus, aliisve iuuandi rationibus, quas comminisci poterit, citra personæ suæ periculum: licèt serui teneantur mori pro dominis, l. Cùm dominus ff. ad S. C. Syll. sed liberis licet se exponere morti pro domino, non tamen coguntur: huius meminit Bald. in d. repetit. l. 1. C. vnde vi, qui nonnulla ibidem adducit præsenti materiæ admodum conuenientia, quem

38 videte. † Tenetur item omnis defendere eum, cui defensionem promisit

39 & addixit. Feudator † similiter defendere tenetur vasallum, seu feudatarium suum: & contrà, feudatarius dominum seu feudatorem suum, Bald. in repetit. l. 1. C. vnde

40 vi. Licet quoque † filio occidere eum, quem reperit actu adulterantem vel incestuantem cum matre sua, aut cùm vxore patris sui, id est, nouerca, glos. in l. Quod ait lex, ff. ad le. Iul. de adulter. Angel. tamen in suo tractat. maleficiorum, in glos. super verb. *Che me hai adulterato la mia donna:* Cynus & Salicetus in d. l. Gracchus, contrariam ac negatiuam opinionem sustinent, quos ibidem videte. Glossæ tamen multi eo libentiùs assentiuntur, quòd filio acerbum sit conspicere matrem suam meretricari: atque adeò vix animo suo moderari posse, quoties conspicit tantum scelus offerri â mœcho matri, quod ad ipsum vsque ignominiosè & cum summo dedecore deriuetur. Verum omnia quæ hactenus iure permissa diximus, si excusationem mereantur, oportet facta fuisse & fieri in ipsa animi impotentia, & in ardenti ob nefarij operis compertum actum furore, non post interualla temporis: atque adeò etiam cum moderatione ad talem defensionem requisita; non autem ex vindicta & vltione, l. Quod ait lex, ff. ad le. Iuli. de adulter. quia nulli vnquam permissa fuit vindicta, quàm soli Deo, & Iudici in iustitia Dei ministro, & ad mala punienda ex officio Dei vicario, & ad hoc constituto. De his satis.

CAPVT LXXXI.

De alijs homicidijs licitis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 81

Occidere licet { *Omnibus* 1 *Hostes in bello.* 2 *Exules quosuis* } *ad* { *occidendum* } *Damnatos.* 3 *Hostes patriæ* } *ad* { *mortem* } *Damnatos.* 8 *Turcas, & fidei Christianæ inimicos.* 9 *Hostes pro defensione patriæ tuæ.* 10 *Tortoribus, maleficos ex officio.*

An occisor exulis, habilis sit publ. dignitatibus. 3
Homicidium quoduis, suo facto infames reddit. 4
Homicidia, sæpius ex vindicta, quàm ex amore iustitiæ. 5
An occidens bannitum impunè, peccet in foro conscientiæ. 6
Iudex iusta occisione malefici, non peccat, sed meretur. 7
Iudici tortore carenti permittitur viles personas ad iustitiæ executionem cogere. 11
Eidem permittitur rusticorum currus ad eosdem actus sistere. 12
Priuatus à Iudice cogi potest, ad vendendum fundũ iustitiæ executioni idoneum. 13
Consilium de proprijs aurigis habendis pro executionibus iustitiæ. 14

1 COncessum est iure † hostes vel transfugas occidere in bello in subsidiũ Principis, sub iuramento & ductu capitanei, l. 3. §. fi. Ad l. Cornel. de sica. c. Cùm homo, 23. q. 5. l. Proditores, ff. de re milita. Et si bellum (vt ferunt) iustum sit, occidens in eo hostem, contra leges non peccat, de quo latiùs sumus tractaturi c. proximè sequente. Concessum est
2 item † interficere exules, atque hostes quoscunque patriæ, qui per latã sententiam ad interficiendum damnati sunt. Quoniam autem hic nobis sermo fuit de interfectione exulum aut bãnitorum, obiter hic mihi subijt nõ
3 indigna quæstio: † An talis occisor exulis, post homicidium habilis sit ad publicas dignitates gerendum: possimùm, quum ius municipale omnes homicidas ab eis arceat & excludat. Ad quam quæstionẽ breuiter respondendũ mihi videtur: Tales homici-
4 das † omnibus dignitatibus publicis esse indignos: quod homicidio ipso, licet tolerabili, nõ tamen laudabili, facti sint infames: & talia homicidia sępe etiã ex vlciscẽdi libidine, & ex inimicitia cõmittant potiùs, quàm ex a-
5 more iustitiæ: quòd † Iudex ipse non eo animo facit, sed pro executione iustitiæ, & ex necessitate officij: & ideò verba odij nõ debent ad illum trahi, arg. l. Quãuis, & quod ibi per Doct. in q. de barbitonsore, ff. de in ius vocando. Si aũt ius municipale ita esset constitutum, vt exules quibusuis licitè & impunè occidere liceret: in eo casu homicidiũ nullo modo maleficiũ esset, propter illud aduerbiũ (licitè) adiunctũ: Ita pulchrè Bald. in l. Decuriones, in fin. in ver. Et hoc est vtile scire, C. ex quibus caus. alicui infamia irrogatur, l. 3. §. Transfugas, ff. ad le. Cor. de sica.

de ſicar. & l. 1. & 2. C. quando liceat vnicuique ſine iudi ſe vindic. Sed hinc rurſus alia ſe profert quæſtio: An occidens † bannitum, impunè ad prædictam formam ſtatuti, peccet in foro conſcientiæ? vbi reperias, qui affirmatiuam partem amplectantur, allegantes c. Inter hæc, 32. q 2. Mihi tamen apparet contrarium: (ſalua interim pace rectiùs ſentientium.) Talis enim occidens, quicquid facit, authoritate legis facit, & ita vt miniſter & executor legis habendus eſt. Vnde, ſicut Iudex † puniẽdo & occidẽdo malefactorem ſecundum formam legis nõ peccat, imò meretur, vt 23. q. 5. qua ſi per totam q. & maximè c Reos: ita & iſte, qui hoc facit authoritate legis & ob vindictam & vtilitatem publicam. Atque tanto apparebit hæc opinio verior, ſi ſolo vindictæ zelo & publicę vtilitatis ratione ſe motum fuiſſe confirmet ac teſtetur: ſecùs verò atque inexcuſabilior, ſi liuore & delectatione effundendi ſanguinem humanum percitum, id tantùm feciſſe conſtiterit: tunc enim peccaret mortaliter. Poſſent hic plures aliæ oriri quæſtiones, nempe, an pater bannitus poſsit occidi à filio, dominus à ſeruo, vaſallo, vel liberto? & his non diſsimiles, quas compendij gratia omitto, & ſtudioſo indagandas relinquo. Omnibus † item iure conceditur interficere Turcas, Sarracenos, & fidei Chriſtianæ inimicos, pro defenſione fidei catholicæ, ſa. l. 1. ſecũdum Bart. C. de paganis & ſacrificijs eorũ, & l. fin & ibi Bal. C. de poſtliminio reuerſ. c. Noli, 23. q. 1. c. Diſplicet, & c. Si non, 23. q. 4. Interficere † licet item hoſtes tuos, pro defenſione ciuitatis aut patriæ tuæ in qua natus es. Occidere † item licet ei, cui hoc ex Iudicis authoritate commiſſum eſt, miniſtro nempe, iuſtitiæ: veluti tortoribus, lictoribus & carnificibus, c. De occidendis, c. Miles, c. Cùm homo, & c. Homicidium, 23. q. 5. Circa hoc poſtremum autem (vbi de iuſtitiæ executore agitur) animaduertendum eſt: Quod † Iudex miniſtrum iuſtitiæ ſeu carnificem non habens, poſsit pro exequenda iuſtitia poſt ſententiam capitalem apprehendere quemuis nebulonem vilem, aut alioqui ſimplicem perſonam, etiam inuitam & reluctantem, modò ea vilis ſit, vt ea (ob defectum carnificis) carnificis officio in exequenda iuſtitia fungatur: Ita habet Flo. in l. Liber homo, in 2. colum. ff. ad l. Aquil. vbi inquit Guilielmum de Cuneo hoc voluiſſe in l. final. §. final. ff. de pignora. actio. & ibi Bartolus. expreſſè illius meminit, ſubijciens: Quòd † iudici etiam liceat, alterius etiam inuiti capere currum, & equos, aut iumenta, quibus ad iuſtitiæ executionem vtatur, nempe vt maleficos, aut inſtrumenta, aut materias quaſuis ad iuſtitiam neceſſarias vehant ad locum ſupplicij; quod ſequitur Flor. in l. Ita vulneratus, ff. ad l. Aquil. Cui admodum ſeruit dictum Io. Andreæ in addit. ad Specu. titu. de execut. ſenten. in rubr. vbi (quod maius eſt) dicit: Quòd priuatus à Iudice † poteſt cogi, vt fundum iuſtitiæ idoneum & cõmodum vendat, ad erigendas ibidem furcas: cuius latiùs meminit Alex. in addit. ad Bart. in d. l. fin. ff. de pigno. actio. Hæc autem tametſi ita iure habeantur, vt ſuperiori modo inuiti cogi poſsint: ne tamen † multa hinc emergant incommoda, & pericula, pugnæ aut homicidia: néve ſimplices ruſtici ad inuitas cogantur operas, quas infames putant, & ſuperſtitionibus aliquanto addictiores quàm par eſt, credunt hinc alterutrum

equorum ſuorum, aut ambos morte mox perituros, ſi maleficos ad crucem vehant: ne (inquam) huiuſmodi mala contingant, ſed vt omnia diſsidia vitentur, & omnium animis & rationabilibus volũtatibus obſequatur, non abs re facturos Magiſtratus putarem, ſi ſingulæ ciuitates ſuos in hunc vſum proprios haberẽt currus, aut proprios aurigas ſtipendiarios ad eas operas inſtructos.

CAPVT LXXXII.

De bello.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 82

Bellorum mala potiſsima. 1
Non ex leui cauſſa bella ſuſcipienda. 2
Non ſatis tutum de bellis multa conſcribere. 3

Iuſta

4 *Iusta bella permissa sunt iure* { *Gentium.* / *Naturali.* / *Canonum.* / *Diuino.*

In iustis bellis, qui hostem occidit, non tenetur de homicidio. 5
In iustis bellis, omnis deprædatio vt iusta permittitur. 6
In Christianorum bellis capti, non fiunt captiuorum. 7
Captiuitas Christianorum, redemptione pecuniaria commutatur. 8
Prædæ nobilium in bello, per duces prædatoribus distribuendæ. 9
Vsus prædas singulas singulis permittit. 10
Occupatio rerum immobilium ad Principem pertinet. 11

12 *Vt bella iusta habeantur, requiritur* { *Personarum idoneitas.* / *Iusta caussa.* / *Recta intentio.* / *Authoritas Principis.*

Viri ecclesiastici bellis gerendis inidonei. 13
Ecclesiasticis permittitur in iustis bellis, vt opem conferant opibus. 14

15 *Iusta belli ratio est* { *Defensio sui.* / *Defensio suorum.* / *Defensio gloriæ & dignitatis suæ.* / *Recuperatio rerum iniquè ablatarum.* / *Defensio libertatis reipub. & fidei catholicæ.*

16 *Recta belli intentio est quæ assumitur* { *Non ex prædominandi libidine.* / *Non ex odio.* / *Non ex inuidia.* / *Non vt alijs sua eripiat.* / *Ex legitimis & vrgentibus caussis.*

Authoritas belli est, cum fit ex mandato Principis. 17
Soli Pontifici, & Imperatori iura permittunt bella indicere. 18
Reges citra decretum Imperatoris bella gerentes, sua propria authoritate vtuntur. Iure abutuntur. 19
Bellum gerens citra authoritatem sui superioris, crimen læsæ Ma. committit. 20

21	*Romanum. i. pro defensione fidei,*	*est*	*Iustum.*
22	*Iudiciale. i. Principis contra subditos,*		*Iustum.*
23	*Præsumptuosum. i. subditorum contra Principem,*		*Iniustum.*
24	*Bellum* *Licitum. i. pro defensione sui, & suorum,*		*Iustum.*
25	*Temerarium. i. contra authoritatem iuris,*		*Iniustum.*
26	*Voluntarium i. ex ambitione, vel auaritia,*		*Iniustum.*
27	*Necessarium. i. pro defensione familiæ, &c.*		*Iustum.*

Authores aliquot iuridici de bello tractantes. 28

AGgressurus proximum caput de bellis, priùs concepe-ram multa de bellorum ratione cõscribere, vnde & ex quibus causis ea oriri conueniat: quæ bella censenda sint iusta, quæ iniusta: quid in illis, quidque in istis aut iustè aut iniquè fieri soleat. Quæ commoda ex iustis bellis: quæ contrà incommoda ex iniquis bellis proficisci soleãt: postremò quam horrenda, ac deploranda sint pleraque Christianorum bella

vt à pio quouis viro latrocinia ac omnium malorum lerna dici posſint potiùs, quam bella. In quibus atrociſſima (pròh dolor) comperimus regna re facinora, non quòd ea Principes velint, aut tollerent: ſed quod ea omnia, bellorum tumultus non ſecùs quam vmbra corpus conſequi ſolent: nempe, † blaſphemiæ, ſortilegia, diuinationes, cum dæmonibus inita fœdera, ſimoniæ, hæreſes, apoſtaſiæ, furta, ſacrilegia, adulteria, inceſtus, homicidia, latrocinia, rapinę, incendia, monetarum adulterationes, monopolia, falſa quælibet, diſſlorationes, ſtupra, zodomitica, mutilationes, iniuriæ, aſſaſsinationes, atque his ſimilia innumera, quæ bellorum experti, tibi certiori fide retulerint. Quamobrem † non leui ex cauſſa nemo non videt eſſe bella ſuſcipienda: quum iſthæc mala omnia in caput recidant illorum, qui præter rationis æquitatem, & ex cauſsis leuibus, bellorum camerinam mouent. Verum quum de bellorum malicia, ac pacis commodis multi, & potiſsimùm magnus ille D. Eraſmus, noſtræ ætatis ac totius Europæ decus incomparabile, abundè multa conſcripſerunt: perpendi tandem non eſſe mearum virtum, amplius ac abſolutius quiddã ea de re proferre poſſe: deinde † cognoui non ſatis tutum eſſe ea de re multa afferere, & os meum in cœlum (vt dicunt) ponere, & Principum animos, & conſilia, & geſta, meis ſcriptis probare aut improbare, malens hic prudenter tacere, quàm imprudenter ſine fructu multa effutire. Et quanquam multa ſint noſtratiũ bella prorſus execrãda, vt in quibus regnẽt iuxta decreta in c. Noli, 23. q. 1. 1. ocẽdi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellãdi, libido dominandi, & his ſimilia: ſunt tamẽ alia bella iuſta & laudanda, eóque conceſſa, non tantùm iure gentium, ſed iure naturali, canonum, & iure diuino. † Primo ſiquidem iure ſcilicet iure gentium, introducta bella ſunt, l. Ex hoc iure gentium, ff. de iuſti. & iure, quæ non niſi pro rerum aut perſonarum iuſtitia proſequenda permittuntur, c. Iuſtum, 23. q. 2. Secundo quidem iure, animalia bruta, inſtinctu naturali mouentur ad iniuriam propulſandam, l. 1. §. Cùm arietes, ff. Si quadru. paup. feciſs. dicat. Tertio item iure canonum, c. Dominus noſter, 23. q. 2. per Innoc. in c. Olim, de reſtitu. ſpoliato. ad hoc facit, quod idem no. inc. Poſtulaſti, de foro competẽ. Quarto ſimiliter diuino iure, filij Iſrael contra Amorrhæos terram ipſorum patribus repromiſſam adepti ſunt, c. Nolo tandum, 23. q. 2. hoc eodem iure, Iudith vt liberaret populum, ſua priuata manu Olofernem occidit: quia nullus erat in terris, qui de prædictis iuſtitiam miniſtraret. De huiuſmodi quoque carnalibus bellis iure diuino permiſsis pro iuſtitia conſequenda, tota veteris teſtamenti pagina plena eſt, c. Niſi bella, 23. q. 1. Qui igitur plura deſiderat de bellis, alios authores lecturus conſulat. Ego hic nihil agere tandem ſtatui, quam quæ hoc libro atque hac materia noſtra de criminibus digna videbuntur. Quum igitur in homicidiorum mentionem iuſto ordine incidimus, ea quoque priuatim homicidia nobis tractanda ſunt, quæ in bello contingunt. Quoſcunque † igitur in iuſtis bellis aliquis occiderit, is iuſto homicidio occidere dicitur, cùm Lex permittat eos occidere, l. 3. §. final. ff. ad le. Cornel. de ſicarijs, l. Proditores, ff. de re militari, c. Cùm homo, 23. quæſt. 5. Ideóque nonnulli doctores autumant,

eos

eos de occisionibus non teneri neque apud mundum, neque in conscientia apud Deum, potissimum si ad bellum tale non vltro procurrant auaritiæ, homicidij gloriæ, aut lucri, sed tantum obedientiæ Principum suorum gratia: Et ad tale bellum non nisi inuiti, & coacti compellantur, vbi, velint nolint, Principum placitis post iuramenti Sacramentum parere coguntur, c. Quid culpatur 23. q. 1. Et
6 quicquid †in ijsdem bellis aut capitur aut furto vel prædatione tollitur, id bene & iustè prædatum, aut captum volunt, adeò vt ad proprios vsus iure, & in foro conscientiæ illud pertinere debeat, Innoc. in c. Sicut, & infrà ext. de iureiuran. Bart. in l. Hostes, ff. de capti. & postlim. reuers. l. Hostes, ff. de verborum. significat. §. Item ea quæ ex hostibus, institut. de rerum diuisi. l. Si quid in bello, ff. de capti. & postli. reuers. & ibi Barto. Alberi. de Rosa. & Alexand. notatur, in c. Olim, extra. de restitu. spoliato. Car. in Cle 2. quæst. 3. de re iudica. & idem Cardi. in Cle. Dudum, §. finali. de
7 sepultur. Animaduertendum † tamen, quòd hodie ex communi obseruantia, & ex laudabili inter Christianos recepta consuetudine, quòd (inquam) homines capti non efficiuntur capientium, nec captori cedunt in possessionem propriam, vt olim in bellis gentium, vbi capti captorũ perpetua manebãt mancipia: apud Christianos verò, mitiùs capi-
8 untur. Nam illa † captiuorum proprietas commutata est redemptionis precio, quo sese è captoris potestate liberant, de quo scribent. in l. Manumissiones, ff. de iustitu. & iur. Ita habet D. Nicolaus Boërius vir omnibus numeris absolutissimus, in decisionibus suis aureis, q. 178. hanc autem redemptionem, barbari Ran-
9 sonem siue financiam vocant. Qui Ranson, siue deditionis precium, aliàs capientis est, aliàs ipsius Principis aut superioris, vti commonstrat D. Nicolaus Boërius in suis decisionib. aureis, quæst. 178. Præda verò rerum mobilium, quam butinum vocant, an ducibus, †an captoribus tradi debeat, Doct. disputant. In hoc tamen consentiunt, eam esse capientium: Sed allatam, ilicò ducibus, aut superioribus tradendam: non vt eam sibi propriam seruent, sed vti eam militibus omnibus, qui communi periculo in eadem deprædatione fuerint, ex æquo secundum qualitatem personarum distribuant. Ego tamen †cum
10 recepta consuetudine cẽseo, captam eam prædam non esse pro distributione superioribus tradendam, sed relinquendam singulis suis captoribus, vt hac spe militum animos ad diligentiorem deprædationem erigerent, & vt quisq; capiat, quod capere
11 potest. Cæterùm † prædæ vel occupatio rerum immobiliũ, quando ipsorum sint Principum, hic nihil dicendũ esse putaui: de his itẽ D. Nicolaus Boërius, quæstione vt suprà. Iusta au-
12 tẽ † bella ea volũt, in quibus quatuor simul concurrunt, videlicet Personæ bellis idoneæ: Iusta suscipiendi belli causa: Recta intentio: Authoritas & mandatum Principis aut superioris.
13 De primo † sciendũ est, sacerdotes, & viros ecclesiasticos, in ordinibus sacris constitutos, inidoneos & inhabiles esse ad bella gerenda, & ad bellorum officia: neque ijs concessum esse alios occidere, seu aliorum effundere sanguinem, c. Si quis vult, 26. distinct. c. 1. c. Si quis Episco-
14 pus, &c. Si vobis, 23. q. 8. Verùm † hoc ipsis iura permittunt, vt in iustis bellis, alijs militantibus, opibus, consilijs, adhortationibus, suppe-

ſupperias ferant, vt alacriùs pugnent pro defenſione fidei catholicæ, vt bona Eccleſiæ & libertatem Eccleſiaſticam fortiùs defendant patriamq; & rempublicam tutentur, pugnantes pro focis & aris: verùm negatur ipſis ne proclament: occidite, occidite, d.
15 c. Si vobis, 23.q.8. Iuſtæ autem † belli aſſumendi rationes ſunt, propria defenſio, ſui ipſius, defenſio ſuorum bonorum, amicorum cognatorum, & affinium, Deinde Maieſtatis ditionis, ac celſitudinis ſuæ defenſio, ad reſarcienda ea omnia, quæ ſibi vi ab hoſte, aut ablata ſunt, aut retenta, ſiquidem aliter recuperari non poſſint. Iuſta præterea aſſumẽdi cauſſa eſt, qua quis bellum indicit alteri, qui ex contemptu non vult iniqua bona aut feuda iniquè erepta & occupata reddere. Nam ſi iniquus poſ-
21 ſeſſor ratione, & conſilijs ſe ab iniquis liberare detrectat, vi & armis ad reſtitutionem cogendus eſt. In ſumma, eæ iuſtæ belli aſſumendi rationes habentor, quæ pacis ac tranquillitatis reipub. gratia, verè excuſantur,
16 non ob alias cauſſas. Recta † verò intentione bella indicuntur, quoties non ex dominandi furioſa libidine, non ex odio, aut inuidia alterius, non ob vindictæ cauſſam, c. Quid culpatur, 23.q.1. neque vt cui quam ſua iniuſtè quis eripiat, ſed ex cauſsis tantum ſuperiùs enarratis ſuſcipiuntur.
17 Authoritate poſtremò bella † permittuntur, quando ex mandato & iuſſu Principis indicuntur, & incipiuntur, & peraguntur: nulli enim alij fas eſt bellum alicui indicere, & ſuſcipere, niſi ſolis Principibus, qui non agnoſcunt ſibi ſuperiores, quales ſunt Summus Pontifex, & Imperator. Cæteri
18 † enim Reges, quales ſunt Rex Franciæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, & ſimiles: Ad

19 hęc Comites, Duces, & reliqui ſubſidiarij Principes, bella gerere iure non debent: quod ſi faciant, non ex iure, ſed ex ſua authoritate propria faciunt, quam contra veritatem, & iuſtitiam contendunt nulli eſſe ſubiectam. Atque ob hanc † mentitam & falſam perſuaſionem ſępenumero contra iuris æquitatem (qua omnes Reges vni capiti ſubſunt) alijs Principibus, citra Imperatoris authoritatem bella mouent; imò caput authoritatis, Imperatorem ipſum oppugnare non metuunt. Quiſquis autem
20 bellum citra † ſui ſuperioris authoritatem indicit, is crimini læſæ Maieſtatis fit obnoxius, niſi illud bellum indicendum ſubitò cooriretur, ita vt ili cò ob ſubitum periculum imminens ſuſcipiendum foret ob ſalutem propriam, aut patriæ. Bellum † quod ſummus Pontifex, aut Imperator ſuſcipit pro defenſione fidei Catholicæ, ad arcendos & fugandos Turcas, Sarracenos, aut ſimiles fidei noſtræ inimicos: aut quod contra Hæreticos ſuſcipitur ob rectam & religioſam illam & piam intentionem, iuſtum bellum vocatur: atque adeò bellum Romanum, quod Roma ceu caput noſtræ religionis, & fidei, huiuſmodi bella per Romanum Pontificem, præcipuè per exhortationem Imperatoris, ac imperij Principum, mouere ſoleat, & propriè debeat, c. Excommunicamus, 2. ext. de hæret. c. Hæc eſt fides, & c. Quoniam, 24. q.1. & c. 2. §. pe. ext. de ſum. Trin. & fid. catho. Atque ob hanc iuſtiſsimi belli geſti rationem, Imperatores Aquila Romana pro inſignibus & gloria donantur quam in omnibus bellis, etiamnum pro inſignibus glorioſis oſtentant.
22 Bellum † quod Princeps quiſpiam ſuſcipit contra ſuos ſubditos rebelles, vt ſubſeruiant, vel coacti ſuis legibus

bus & iurisdictionibus,& statutis pareant & obediant, similiter iustum bellum dicendum est: vocatur enim ob id bellum iudiciale,l. Continet, §. 1. ff. de eo quod met. cau. l. 3. & 4. ff. de iurisdict. omnium iudic. c. Dilecto,de senten.excōmuni.lib.6. † Contrà,bellum quod subditi mouent contra suum Principem,bellum est iniustum,& vocatur bellum præsumptuo sum,arg. de pe. dis. 5. §. 1. ad fin. c. Si quis, ext. de maiori,& obedien.l.Qui restituere, ff. de rei vendica.l. 3. ff. ne vis fiat ei, qui in possess. miss. est. Quod intelligendum est, nisi Princeps ipsis denegaret iustitiæ administrationem,quam aliundè sibi recipe re non possent.Bellum †quod assumi tur pro defensiōe propria, aut rerum suarum, aut pro recuperandis suis vi ablatis,etiam iustum bellum vocandum est: modo id bellum quis instituat subitò & in ipso furore, sine temporis interuallo: vocatur autem hoc bellum,bellum licitum, c. Si verò,1.§ Nec ille,ext.de senten. excommunic. l. 1. & 2. C. quando liceat vnic.sine iudic.se vindic. Verum si superioris deesset copia, à quo impetrandus esset consensus belligerandi,in eo casu licitum esset bellum cum interuallo temporis ex caussis dictis suscipere. Bellū †verò quod suscipitur, aut geritur, aut defenditur contrà authoritatem iuris,& contra eos, quibus sese iustè defendere licet,planè iniquum est, & iniustum: quod iura vocant, bellum temerarium: nam & is qui defendit se contra authoritatem iuris,temerariè se defendit: prudentiùs autem faceret,si maturè resipiscens vitā suam corrigeret, c. Cùm non ab homine, ext. de iudic. c. Perpendimus , & c. Contingit, 2. ext. de sentent.excommuni. Iniusta † quoque bella sunt, quæ Principes ex ambitiōe & ex prędominandi libidine suscipiunt, vt vicinis Principibus noceant, vt potestatem ipsorum diminuant,vt ex auaritiæ ratione(quæ tamen est charitatis toxicū,teste S.Augustino) latiùs contra æquitatem per vim suā ditionem proferant, sibi aliorum finibus per vim adiectis, ob quam iniquitatem huiusce modi bella, vocant bella voluntaria, quibus Principes nostri tempore nimis quàm libenter, & æquò vtuntur frequentiùs.†Bellum autem quod suscipitur coactè pro defensione vxoris,liberorum,agrorum,patriæ aut ciuitatis suæ, prorsus est licitum, & iustum: adeò vt tale vocari velint bellum necessarium, c. Dilecto,de senten.excommuni. li. 6. c. Sicut, 3. §. vlt. ext. de iureiuran. c. Olim,in fine, ext. de restitu. spolia. c. Si verò, §. 1. ext. de senten. ex communi. Ex iam dictis hoc præsenti capite satis perspicuum esse puto,an licitum sit bella gerere,& quibus ex caussis potissimum fiant licita vel illicita,iusta aut iniusta. Qui tamen † plura de bellis desideret,is legat S. Thomam,secunda,2. q. 40.articu.1. Hostien. & Geminianum in c. 1. de homicid.lib. 6. Ioannem Lupi,in Dialogo de confœderatiōe Principum.Atque eundem in suo tract.de bello& bellatoribus.Item Martinum Garritum Laudensem in suo tract.de bello. D. Antonium Corsetū in quinta & vltima parte tractatus, de potestate & excellentia regia. Item & his similes,qui magis arridebunt animo. Apud quos authores imo re ipsa comperimus,bellum esse omnium malorum lernam, ex quo tam infinita pullulent mala,tot consurgant maleficia, vt etiam post confectum bellum maleficia sedari nequeāt. Tempore nāq; belli tum rusticis ,tum bonis ciuibus, passim nefanda inferuntur incōmoda,tam ab amicis quàm ab hostibus (ex-

(excepto vno incẽdio) prẽcipuè in regionum finibus. Confecto verò bello non minora incommoda perferenda sunt à nostratibus militibus, qui passim vel ob propriam inertiam, vel ob Principum seram solutionem peragrare & ex rapinis viuere coguntur. Vnde fit vt vbique audiatur ingens oppressorum clamor, opprimentium necessitate coactorum (ob non solutionem) iustę interdum querimonię, & ob Principũ seuera ædicta, talium militum indebita suspendia. Quid plura? Tum in bello, tum post bellum vbique indigna audiuntur, miserandáque rerum facies cernitur.

CAPVT LXXXIII.

De assasinijs.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 83

Assasini qui dicantur.
Assasinorum crimen, & pœna debita.

Assasi-

Assassinatus consummatus, simplici homicidio maior est. 3
Delictum mercede interueniente, fit intensius. 4
Assassinos conuictos, omnibus impunè occidere licet. 5
6 *Assassinator, id est mandans,* *Assassinus, id est, sese locans,* *Assassinorum hospes,* *Assassinus subsidium ferens,* } *pœna pari plectendi.*
7 *Assassinorum* *Assassinis fauentium* } *bona, post factum adjicienda fisco.*
8 *Assassinator pœnitens* & 9 *Assassinus pœnitens* } *ante factum, leuiùs puniendi.*
Assassinatus in muliere prægnante committitur. 10
Assassinatus enormitas. 11
Assassinatorum pœnitentia & reuocatio, quando pœnam mitigent. 12
Assassinatus vocabulum barbarum. 13

1 ASsassini sunt occisores † cõductitij, hoc est scelerati sicarij milites aut emeriti, aut exauthorati, ad hoc ab alijs mercede conducti, precibus aut præmio, aut alios (in quorum necem coniurarunt) incautos opprimant: opressos miserè & subdolè, vbi & quando sese cõmoda præbebit occasio, necent, & interimant. Tales item sunt, qui idem præstant sub alicuius ducis iuramẽto ad-
2 huc militantes. Huiusmodi igitur † assassini simulátque suam operam ad alicuius occisionem alteri addixerunt, ob pollicitum præmiũ, & ob pactam pecuniam, homicidij criminis Rei ilicò fiunt, & vltimo supplicio plectendi sunt: etiã si facto, & re nunquã tale homicidiũ cõmittant, c. 1. & ibi glos. in ver. mandauerit, de homicid. lib. 6. Bart. in l. Cicero, ff. de pœnis. Et in l. Non solũ, §. Si mãdato meo, ff. de
3 iniurijs. Si verò scelus † tandem ex pacto perpetrarint, tũ grauiùs illi, quàm pro simplici homicidio puniẽdi sunt, quando ipsum etiam dilictum quod
4 pecuniæ gratia † committitur, enormiùs sit, quàm quod citra pecuniæ mercedem perficitur, ideóque pœna debita grauiùs etiam intenditur, Bal. in l. Non ideo, in princip. de accusat. faciunt quæ habentur in l. 2. §. final. ff. de eo per quem fact. erit. Panorm. in c. At si clerici, extr. de iudic. D. Fredericus Schenck in triade sua Cap. 3. de his quæ iudicibus obijci & opponi
5 possunt. Huiusmodi † præterea assassinos, & homicidas conductitios omnibus & passim iura (citra hoc vt vllam humanam pœnam incurrant) interimere permittunt: potissimum autem quando talis criminis Rei defamãtur, & per Iudicem conuicti fuerint, Angel. in consilio incipiente. Nos Carolus, Alex. in l. 3. §. 1. ff. ad le. Cor
6 nel. de sica. Quisquis autem † huiusmodi nefarios assassinos cõducit, ipsisque præmiũ & mercedem statuit aut numerat, assassinatorem vocamus, quĩ non secùs puniẽdus est per iustitiam, quàm ipse principalis perpetrator, d. c. 1. iuncta glos. in verb. Mandauerit, de homicid. lib. 6. Quin & eadem pariq; pœna mulctandus est, quisquis dictos assassinos hospitio recipit, defendit, abscondit, aut ex simili

fauore

fauore vllum ſubſidium confert. Hoc
7 prætereà nefarium † malum, id eſt, aſ-
ſaſinatum, iura adeò habent exoſum,
vt præter corporalem mortem, tum
aſſaſinatorum, tum aſſaſinorum bo-
na omnia, (præcipuè poſt factum) de-
inde etiam ipſorum fautorum bona
fiſco adijcienda ſtatuerint, l. 1. & 2. C.
de his qui latro. occulta. iuncta gloſ.
in verb. Eos, multas concordantias
allegante: peſsimum enim genus eſt
receptatorum, ſine quibus latere ne-
mo diu poteſt, l. 1. ff. de receptatori-
bus, niſi ij aſſaſini aut aſſaſinatores ci-
ues eſſent talium ciuitatum, quæ per
priuilegium, longam conſuetudinem
aut poſſeſsionem, aut alijs ex cauſsis,
liberæ eſſent, & priuilegiatæ ab omni
bonorum confiſcatione: qualis eſt
ciuitas noſtra Brugenſis, & aliæ huic
8 ſimiles. Verùm † non inutilis hic mo-
ueri poſſet quæſtio, nempe, Si condu-
ctor ille pœnitentia tandem ductus
adeat conductitium ſuum militem, di
cens, ſeſe pœnitere pacti, nec vllo mo-
do velle, vt ex ſtatuto pacto, aut ex
conducta mercede & mandato, faci-
nus committat, ſed potiùs hortetur &
mandet, ne tale homicidium conſpi-
ratum vlla ratione tentet aut perfi-
ciat: An talis conductor pœnitens pa 9
ri & tam graui pœna plectendus ſit,
ac ſi nunquam pœnituiſſet, & ſenten-
tiã nõ reuocaſſet? Hanc quæſtionem
luculenter reſoluit D. Hippo. de Mar-
ſil. in ſuis conſilijs, conſ. 105. incip. Cor
di meo: vbi apertè vult eum poſt pœ
nitentiam & per reuocationem mi-
tiùs puniendum eſſe, & citra mortem
præcipuè ſi pœnitens eam reuocatio-
nem fecerit re adhuc integra & inſe-
cta, hoc eſt, ſi ille conductus nihil appa
ratus, nihil violentiæ adhuc feciſſet, &
ſi ad perpetrationem necdum ſe ar-
maſſet, aut ad locum committendi
criminis nondum iuiſſet: atque hæc
Hippo. ſententia (mea quidem opinio
ne) videtur certiſsima, & æquiſsima:
tametſi, ſint qui contra rationem, ip-
ſius ſententiæ refragari videantur.
Plura enim (vt idem Hippol. eodem
loco narrat) iura ſunt & rationes æ-
quiores, tam diuinæ quàm humanæ,
quæ faciunt pro iſtius pœnitentis, a-
deóque reuocãtis abſolutione, quàm
pro ipſius condemnatione: atq; hinc
non eſt puniendus pœna ordinaria,
ſed extraordinaria. Ad hęc eodẽ conſ.
in fin. numer. 39. & 40. clariùs confir
mat pœnitentiam & affectum reſipiſ-
centis, in quibuſuis criminibus etiam
enormibus, prodeſſe debere, iuxta te-
xtum, in l. Qui falſam, ff. de falſ. & iu
xta Bald. in l. 3. colum. 1. C. de ſer. fu
giti. vbi vult affectum leuius punien-
dum quàm delictum: deinde multum
eſſe differẽtiæ inter delictũ ordinatũ,
& delictũ conſummatũ & perfectum,
eóque alterum altero leuiùs punien-
dum. Quare ſi delictum conſumma-
tum puniatur pœna mortis tantùm,
delictum ordinatum, id eſt, non con-
ſummatum, non eſt tam graui pœna,
ſcilicet mortis, puniendum, ſed pœna
mitiori, & citra mortẽ. Ex hac enarra
ta † quęſtione correlatiuè naſcitur alia
ſimilis quæſtio, de milite conducto &
pœnitente: veluti ſi miles ille condu-
ctitius poſt pactum, poſt mercedem
acceptam, tandem pœnitentia motus
factum promiſſum perpetrare nolue
rit, ſed ad conductorem ſuum redeat,
dicens: ſe iniquè egiſſe, & pœniten-
tia ductum, nulla ratione tale crimen
committere velle: An is conductus
miles pœnitens æquali pœna punien
dus ſit, ac ſi nulla pœnitentia permo-
tus facinus ſuum perpetraſſet? Ad
quam quæſtionem pari ratione con-
uenit illa ſuperior Hippol. ſententia:
quia correlatiuorum criminum idem
ſemper cenſendum eſt iudicium, teſte

D. Ni-

D. Nicolao Euerardi in ſuo Topicorum lib. de correlatiuis. Si igitur re adhuc integra, & ante aliqua præparata, & antè vllam vim illatam ita pœniteat, malum animum reuocet & factum renunciet, mitiùs quidem, & citra mortem, extra ordinem etiam puniendus eſt, vti conductor ille pœnitens ſuperior. Si queratur an clericus aut ſacerdos hoc crimine aſſaſinatus grauatus, per laicum iudicem capi poſsit & citra degradationem, morte puniri? Hanc quæſt. non nihil attigimus in ſuperiori cap. 37. de quæſtione vbi de ea egimus, ideo te lectorem huius quæſtionis percupidum ad idem caput legẽdum remittimus.

10 Enarratis † aſſaſinatus criminibus, non admodum abſimile videtur illud ſcelus, quod vſuenit mulieribus prægnantibus, veluti ſi mulier fœtu grauida, ſuique perteſa ponderis, & fructus ventris, aliam mulierem aut virum adeat, conſiliúmque petat, quomodo fœtum in vtero aut viuum enecet, aut non viuum abortiat & eijciat. Si enim accepto conſilio 13 cõſulentis operam precibus, præmio ac mercede conducat, vt optatum præſtet, hoc eſt, vt abortiuum fœtum pariat: tunc poſt taſe pactum initum, & ipſa conducens alterius operam, & ipſa vel ipſe locans ſuam operam, ambo ſimul aſſaſinij Rei fiunt: quod intelligendum eſt, tam de fœtu non

11 animato, quàm animato: † quandoquidem à tali crimine propter ipſius turpitudinem & enormitatem (quã merces parit & mali patrandi promiſſum præcium) non ſolùm iura, ſed ipſa quoque natura prorſus abhorreat, l. Cicero, ff de pœnis, ſuprà allegata Bart. in l. Diuus, ff. de extraordi. criminib. D. Paul. Grillandus in ſuo tractat. de ſortilegijs, 13. q. numer. 12 2. Quod autem † de aſſaſinatoris & aſſaſini pœnitentia, crimen & pœnam mitigante dictum eſt, de pœnitentia intelleximus, quæ ante factum contigit, vti hactenus: deinde de ea pœnitentia, quæ ante capturam, citationem, aut delationem contingit, pariter intelligendum eſt. Nam ſi aſſaſinator & aſſaſinus ea pœnitentia peragantur, poſt factum ſemel tentatum, aut poſt præparatum, aut poſtquam ſenſerint ſeſe apud iudicem defamatos, aut delatos, aut ſi eius criminis gratia citati fuerint, aut comprehenſi, tunc ea pœnitentia ſera foret, nam ea de ordinata pœna nihil remittere poſſet, ſed eſſent ambo tunc plectendi, non ſecùs quàm ſi crimen perpetratum fuiſſet, ſcilicet vltimo ſupplicio, vt antè. Cæterùm † hic te rogatum velim candide Lector, ne doctas tuas offendant aures hæc vocabula (quibus vſi ſumus) aſſaſinium, aſſaſinatus, aſſaſinator, & aſſaſinus, quum enim proprio deſtitueremur vocabulo, rem ipſam explicare oportebat vocabulo (licet incondito) repertu commodiſsimo: & quo doctores & ipſi practici vti non verentur, teſte etiam Bald. in l. Si accuſatoribus, C. de accuſat.

CAPVT LXXXIIII.

Qui excusandi ab homicidio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 84

1 Pueri vel infantes { Septennio minores & Doli nondum capaces.
6 Furiosi vel phrenetici, scilicet in ipso facto.
9 Dormientes, de facto euenturo non præscij,
15 Immodicè ebrij.
22 Occidentes casu fortuito.
27 Qui instinctu diuino occidunt. Exempla varia.
30 Occidens partus monstruosos, & humanæ speciei non participes.
Ab homicidio commisso excusantur
31 Occidens æmulum suum collactatorem in certamine gladiatorio.
32 Maior septennio, & adhuc impubes.
33 Senex, alioqui vitæ moribusq; puris spectabilis.
34 Qui homicidiū commisit { a 10. annis: accusari tamē potest. a 20. annis: qui nullo modo accusari potest.
35 Satellites in violenta periculosaq; malefici captura.
36 Filius homicida per patrē delatus, oblatus Iudici.
37 Delatores aliorum homicidarum, si Iudici ita visum fuerit.

} Qui in facto dolo carent, intentione, & volūtate.

Infantes ad septimum vsque annum censendi sunt. 2
Pueri doli capaces puniendi. 3
Minores septennio aliquando doli capaces esse, exemplo probatur. 4
Nostræ ætatis infantia, prisca infantia deterior. 5
Furiosi iniuriam patiuntur, nullam inferunt. 7
Furiosis punitio sufficiens est, interna furoris vexatio. 8
Dormientes quadam tenus furiosis similes. 10
Furiosus ad possessionem capiendam inhabilis. 11
Dormientes subin de alios occidunt: Exempla. 12
Dormiens, de consueto, ac futuro malo præscius non excusatur. 13
Putando arbores viatorem occidens, non excusatur, si non præmonuerit. 14
Ebrietas ad malum patrandum captata, non excusat. 16
Ebrietas de iure excusat à tanto, non à toto. 17
Ebrietas Loth incestum excusabat. 18
Ebrietas leuis ab homicidio non excusat. 19
Ebriosorum licentiam compescuit Constitutio Cæsarea. 20
Ebrietas ante diluuium incognita. 21
Casus fortuitos, nullius consilium præuidet. 23

Homici-

Homicidium casuale non ligat ad irregularitatem: Exempla. 24
Homicidium casuale committens per negligentiam, fit irregularis. 25
Ab irregularitate homicidij casualis, facilè absoluit S. Pontifex. 26
Partus monstruosi vnde procedant. 28
Adultera plerunque producit partus marito similes. 29



QVum ante multa dè homicidijs egerimus, congruũ fuerit hic pauculos referre, qui ab homicidij crimine excusentur. Ab homicidio† igitur excusantur pueri ac infantes, nec dum doli aut malitiæ capaces, quòd in homicidio vero, malitiam & maleuolum animum adesse oporteat, qui in pueris nondum apparet. Ideóque si tales occidant hominem, nullo modo puniendi sunt, text. est in l. Infans & ibi latè D. Hippo. de Marsil. ff. ad l. Cor. de sicar. nec efficiuntur irregulares, Cle. vnica. de homicid. in Clementi. Rationẽ ponit tex. in d. l. Infans. Nam infantes excusat & tuetur consilij innocentia & ætatis imbecillitas, ob

quam necdum ſatis, quid agant, cognoſcunt, l. 1. verſus finem, C. de falſ.
2 monet. Infantes autem eos iudica, † qui ſeptennium nondum exceſſerunt, l. *Si* infanti, C. de iure deliberan. vbi doctores meminerunt differentiæ inter infantem, puerum, pupillum, adoleſcentem, puberem, iuuenem, ſenem, & ſimiles. Quod autem de infantium excuſatione dictum
6 eſt, id cum limitatione & diſtinctione intelligendum eſt: nempe, ſi cum
3 infantiæ † ætate, doli non ſint participes. Nam ſi infans doli capax fuerit, tunc planè puniendus eſt, non tamen tam rigoroſè ſed mitiùs, propter ætatem, factum nonnihil excuſantem, l. Auxilium, §. In delictis, ff. de minorib. & tex. in c. fi. de ſenten. excõm. vbi gloſſ. in verb. Pueris, tenet infantes poſſe doli eſſe capaces, pro his facit text. in l. Si alterius, C. Si minor ſe maior. dixerit: vbi dicitur,
4 quòd † malitia ætatem ſuppleat: Et ita tenent Panor. & Ioan. Andr. in c. 1. de delict. puero. qui mouentur per illud quod refert beatus Gregorius in quodam dialogo, diabolum ſcilicet
7 eripuiſſe puerum quendam quinque annorum è manibus patris, iurantem & blaphemantem Deum: quod Deus nõ permiſiſſet, niſi ille infans fuiſſet doli capax. & huic opinioni adhæret Hippo. in d. l. Infans, dicens, hodie infantes ſexto ætatis ſuæ anno callidiores eſſe, & mali capaciores, quam olim fuerãt anno quintodeci-
5 mo. Quod nos † quoque noſtris comperimus temporibus, in quibus pueri nequiores ſunt, & vitijs magis dediti,
8 quam priſcis fuerãt temporibus. Atque hæc opinionũ diſtinctio mihi videtur verisimilior, licèt Barbat. in add. ad Panor. in d. c. 1. de delict. puero. reclamare videatur per l. Impuberem, ff. de furt. vbi dicit textum dicere, infantem non poſſe eſſe doli capacem. Ego verò nego hoc textum abſolutè & firmiter velle aſſerere, quum dubiè tantum id opinetur, ſicut facilè indicat hoc verbum (putamus.) Quod igitur textus iuris præſumptione verum putauit, id Barbat. ſimpliciter & certum & abſolutum eſſe aſſeruit, hoc eſt, minorem ſeptenio nõ poſſe eſſe doli capacem. † Excuſantur item hac ratione furioſi & phrenetici, qui ob animi impotentiã, mentis ſuæ non ſunt compotes, eóq; ex deliberato animo nihil facientes, nec quid faciant, ſcientes: Nam tales nullo modo puniuntur, d. l. Infans, ff. ad l. Cor. de fica cùm eos fati infelicitas excuſet, & mentis inopia: Ideóque nec irregulares per factum efficiuntur, d. Clement. vnica, de homicid. Etiam ſi matrem occidiſſent, l. Pœna, §. fin. ff. ad l. Pompe. de parri. Ratio eſt, quia delicta non committuntur ſine conſenſu, l. 1. ff. ſi quadru. paupe. feciſ. dicatur: furioſorum autem nullus eſt mentis ac voluntatis conſenſus, l. 2.° C. de cõtrahen. empt. & vendit. Quo
7 circa tales † furioſi ab alijs vim & iniuriã ſæpe patiuntur: alijs verò iniuriã nullam inferre poſſunt, ob quam per iuſtitiam plectendi forent, l. Illud, §. Sanè, ff. de iniurijs. Ideóq; eorũ facta, leges, vt fortuita & pro caſib⁹ & euentis accidentalibus, & ſine facto perſonæ recipiũt, eóq; impunita excuſant, l. fin. ad finẽ, ff. de adminiſtra. tuto. Vnde ſi damnum det furioſus, non tenetur lege Aquilia, l. Sed & ſi quemcunque, §. Igitur iniuriam, ff. ad l. Aquil. Alia præterea † eſt ratio naturalis magis, quòd furioſus ſatis ſuo furore torquetur ac punitur, l. Diuus, ff. de officio præſid. l. Pœna, §. Sanè, ff. ad l. Pompe. de parricid. Nec afflicto addenda eſt afflictio, l. Nauis, ff. ad l. Rho. de iact.

Iſtud

Iſtud tamen limitandum eſt, vt non ſtet excuſatio, ſi deliquiſſet ante furorem: Nam ſi ante furorem deliquiſſet, tum vel in ipſo etiam furore puniri poſſet, d. l. Diuus, (vbi additur, morbo ipſius nullam tunc dãdam eſſe veniam) Hippo. in l. 1. ff. ad l. Cornel. de
9 ſica. Pari † item cauſſa excuſandi ſunt dormientes, vt probatur in Cle. vnica, de homicid. in Clementi. ita tenet Bart. in l. Pœna ff. ad l. Pompe. de parricid. volens illa commiſſa, quæ fiunt in tali hominis operatione naturali, quæ ſenſu vacat & voluntate, excuſanda eſſe, ſicut ea quæ à furioſis & ni
hil intelligentibus committuntur, l. Fluminum, §. Vitium, ff. de dam. infe. & l. Si ſeruus ſeruum, §. Si fornicarius, & l. Qui occidit, ff. ad l. Aquil.
10 Comparantur † enim dormientes furioſis, text. optimus in c. Maiores, §. fi. ext. de Baptiſ. Vnde tales dormientes facto alioqui nefario, fortuito tamen & inſcio, peccare non dicuntur, teſte gloſ. in c. Teſtamentum, 6. diſtinct.
11 Vnde † quemadmodum furioſus alicuius rei poſſeſſionem non poteſt adipiſci, ita nec dormiens, l. 1. §. Adipiſcimur, ff. de aquirenda vel amittend.
12 poſſeſs. Si quis † autem mirabundus roget, quomodo dormiens delinquere poſſet, & aliquem cædere vel occidere? huic reſpõderi poſſet, quod Bart. refert in l. Vt vim, ff. de iuſtitia & iure. quòd ſunt qui de nocte dormientes è lectis ſurgant: Et quòd viderit Piſanum quendam, qui alto ſopore preſſus ſe è lecto erexit, ſeſeq; totum armabat, deinde per totam ciuitatem cantando curſitabat. Ad hæc refert. Laur. & poſt eum Cardi. Zabarel. in Cle. vnica, de homicid. ſe quendam habuiſſe ſocium Anglicum, qui
dormiens Pariſijs de nocte exiuerat monaſterium D. Benedicti, vſque ad flumen Sequanæ, vbi & puerum repertum interfecerat, atque idem domum reuerſus adhuc dormiens collocauit ſe in lecto. Intelligendum eſt autem dormientem in ſuo commiſſo excuſandum eſſe, ſi id ipſi dormienti nunquam contigiſſet, & ſibi euentu-
13 rum non prænouiſſet. Nam † ſi ſe talem cognoſceret, & ſciret ſe in ſomnis alijs ſolere pernitioſum eſſe, teneretur tunc ex culpa: quia ſi talis eſſet naturæ, deberet curare, vt ſolus in cubiculo dormiret, & cubiculũ ante ſomnum fortiter obſerare, ne ipſi facilis
daretur exitus, Bar. in l. Pœna ff. ad l.
14 Pompe. de parricid. † Vbi Bart. talem dormientem confert cum eo, qui arborem putando aliquẽ lædit, & priùs eundem prætereuntem non præmonuit, vt ſibi caueret: qui ob ſilentium ſuum, & ob non præcautionem tenetur ex culpa, l. Si putator, ff. ad l. Aquil. Atque hæc comparatio dormientis cum arborum putatore verior eſt, quàm ſi dormiens conferatur cum furioſo: quia dormienti (vt illi putatori) impingitur, & aſſignatur culpa: furioſo verò minimè, vt & ſuperiora tibi facilè monſtrauerint. Nec abſimi-
15 li † item cauſſa excuſandi ſunt illi potores, qui ita potu & ebrietate ſepulti ſunt, vt quid faciant, neſciant, tex. eſt clarus & apertus in c. Sanè, cum duobus capitulis ibi ſequentibus, 15. q. 1. Salice. in l. 1. C. ad l. Cornel. de ſica. Alex. poſt Bart. in l. Reſpiciendum, §. Delinquunt, ff. de pœnis & Hippol. de Marſil. in l. 1. ff. ad l. Cornel. de ſica.
16 Ebrius † enim non conſentit, c. Si concupiſcentia, 15. q. 1. hoc intellige, ſi eã ebrietatem non priùs doloſè captauerint, nec ad hoc cõpotauerint, vt malum illud homicidium excuſatiùs perpetrare poſsint. † In ebrietate quoque
17 hoc obſeruandum & notandum eſt, quòd licet ea ebrietas qualiſcunque non excuſet à toro (ne ſua turpitudo

eis plenariam excusationem prębeat) eos tamen excusat à tanto, l. Omne delictum, §. Per vinum, ff. de re milita. text. est in c. Inebriauerunt Loth. 15. q. 1. vbi dicit text. Quòd cùm fi-
18 liæ † Loth inebriassent patrem, & postea à pater ebrius eas cognouisset, non tenebatur pater de incestu, sed de ebrietate: Ita decidit Salice. in l. 1. C. ad l. Cor. de sicar. ita Bart. in l. Respiciendum, §. Delinquunt, ff. de pœnis, Idem Bart. in l. Aut facta, ff. eod. tit. de pœnis. Ang. Aret. in suo tract. maleficiorum in glos. Scienter & do-
19 losè. Hæc autem † quæ de ebrietate excusante diximus, vera esse intellige de summa & enormi ebrietate, quæque tam vehemẽs est, vt homini mentem & rationis vsum adimat: non de ebrietate leui & modica, quæ non excusat à pœna, Bald. in l. Data opera, C. Qui accusare non pos. facit d. l. Ob delictum, §. penult. Angel. in d. suo tract. maleficiorum, in verb. Et ad colloquium, versi. Sed quid si quis propter ebrietatem deliquerit, & cęt.
20 Rursus ebrietas illa † enormis, licet facinoris partem ex iure eluat & excusęt, Imperator tamen noster prudentissimus Carolus V. vt immodicam & nimiam homicidiorum committendorum ex ebrietate frequentiam & licentiam minueret, & ad hoc malum facilem aditum præcluderet, suis edictis & diplomatibus anni 31. cauit & iussit, ne tam facilè istis ebriosis homicidis largiretur remissio. Sed si quando tales comprehendi possint voluit vt non leuiter punirentur, sed vt priùs supplicium ferrent ob turpem ebrietatem: mox pro homicidio, aut pro alijs criminibus ex ebrietate commissis, punirentur. Isthæc
21 aũt (de qua agimus) ebrietas, † ante diluuiũ ignorabatur, vt quæ à Noë tantùm initium sumpsit, qui primus vineam plantauit: Et Loth, quem Sodomia non vicit, vina vicerunt, c. Sexto die, 35. distinct. eóque ea ebrietas omnium vitiorũ fomes ac nutrix est,
22 c. Ante omnia, ead. distinct. † Excusandi sunt prætereà ab homicidio (sicut & nonnihil antè attigimus) qui illud per accidens committunt, non studio & voluntate, & exquisita malitia, sed per casum & infelix infortunium, ludendo, iocando in lusibus permissis, & omni cum moderamine alterũ incauti, aut cædentes aut lædentes, sic vt ex ea læsione violenta, tandẽ mors consequatur, text. est in l. 1. C. ad l. Cornel. de sicar. Vbi dicitur, quæ ex improuiso casu potius quàm fraude accidunt, fato plerunque nõ noxæ imputantur: Pro his facit text. in l. Si fortuito, ff. de incend. rui. & naufra. vbi patet: Quòd licet puniantur pœna grauissima immittentes ignem in certum locum: prout notatur in l. 1. ff. ad l. Cor. de sicar. l. Data opera, C. de his qui accusa. non possunt, per Bart. in l. Nam & salutem, ff. de offic. prę-fect. vigil. tamen si incendium sit casu fortuito commissum, venia indiget.
23 Ratio prædictorum est, † quia casum fortuitum nullum hominum consilium præuidere potest, l. 2. §. Si eo tempore, ff. de administra. rerum ad ciuita. pertinen. l. Fluminũ, §. Vitium, ff. de dam. infect. Huc adde, quod ho-
24 micidium † casuale nõ imputatur homicidæ, etiam ad irregularitatem, tex. est in c. Dilectus, de homicid. cum duobus sequentibus, vbi narratur: Quidam sacerdos, qui cũ fuisset quadam valetudine prægrauatus, & iam per diutinum tempus extenuatus, vt deperditam morbo esuriem tandem reuocaret, equum suum valetudinis resarciendæ gratia conscendit: quem cum supra modum lasciuientem sentiret, adeò vt frenum alioqui forte & incor-

incorruptum excuteret & confringeret, non potuit tum habenis destitutus regere, sed equus proteruiens, & procursans præter voluntatem sessoris, infantulum in vlnis mulierculæ interfecit seu occidit, decidit ibi text. quòd non tenebatur ille sacerdos, nec irregularis fuit: tum quia dabat operam rei licitæ: tum quia non erat in aliqua culpa: Ad idē est tex. in c. Significasti, & c. Lator. de homicidio, vbi habetur casus de quodam clerico, qui alium clericum habentem cultellum ad latus, proiecit in terram ludendo: cuius cultellus clericū qui alium proiecerat, fortuito casu occidit: ille ad terram proiectus non efficitur irregularis. Ratio autē, quare homicida casualis non sit irregularis (licet Iudex etiam iustè iudicans irregularitatem incurrat, c. 1. 51. distinc. Quia Iudex per executionem officij condemnando hominem, incurrit irregularitatem: eò quòd ipse intendat delinquentis cōmissum, aut sanguine, aut morte punire: quocirca etiam minùs aptus est sacris initiandus ordinibus) est quòd is committens casuale homicidium, nunquam in facto consensit. Limitanda †sunt autem prædicta in homicida casuali, si dedit operam rei illicitæ, vel non adhibuit omnem diligentiam, c. Presbyterum, & c. Continebatur, de homicid. in antiquis, tunc enim esset irregularis. Et licèt non dispensetur facilè cum homicida voluntario, c. Miror, 5. distin. Tamen †dispensat summus Pontifex solus facilè cum eo, qui commisit casuale homicidium: & Episcopus etiam in minoribus, vt notat Panorm. in d. c. Continebatur, per illum text. & c. Ad audientiam, de homicid. dicendo, quòd Archiepiscopus in d. c. Continebatur, non dispensat iure suo, sed ex commissione Papali. Superioribus seruiunt text. in d. l. Omne delictum, §. Per vinum aut lasciuiam lapsis, ff. de re milita. glos. in l. 1. C. Si quis impera. maled. Et l. Si ex plagis, §. Cùm pila plures luderent, ff. ad l. Aquil. Qui text. loquitur in pluribus pila ludentibus, quorum vnus alterum volentem pilam præripere impulit, non tamen extra naturā ludi: qui propter hoc cecidit, & crus fregit, aut mortuus est: nam talis impellens secundum naturam ludi, non punitur: & de similibus ludis puerilibus vide pulchrè Petrum de Anchara, consilio 283. Excusantur †præterea ij, qui ex instinctu diuino homicidia committunt, adeò vt sacræ literæ eos subinde laudent: vt Helias, ad cuius preces ignis descendit de cœlo, per quem duos quinquagenarios occidit & consumpsit: ita excusatur filius Eleazari sacerdos, qui & Iudæum coëuntem cum Madianita, & ipsam Madianitam simul gladio trāsfixit, Nu. 25. Et expurgatur S. Petrus, qui Ananiam & Saphiram increpans morti tradidit, Actuum 5. Item occidit Phinees hominem (inquit Chrysostomus in c. Occidit 23. q. 8.) & reputatum est illi ad iustitiam. Abraham quoq; nō tantùm homicida, verùm etiā filicida, aut (si mauis) parricida voluntate fuit: In hoc tamen facto Deo ita placuit, vt non crudelitatis ea causa culparetur, sed pietatis potiùs & iustitiæ laudaretur, quòd ex obedientia tantùm filium occidere voluerit, d. c. Occidit, 23. quæst. 8. Plures item qui ab homicidio ob iustitiam diuinam excusantur, decretorum liber pleniùs commemorat in c. Si illic, 23. quæst. 4. c. Legi, c. Occidit, c. Petrus, 23. quæst. 8. Item †excusantur occidentes mulierum partus monstrosos, prodigiosos, hoc est, ab omni humana forma

& ſpecie alienos: ſed bruti cuiuſpiam formam referentes: Tales enim partus neutiquam baptizandi ſunt, ſed ilico ſuffocandi aut alio quocunque modo perdẽdi, vt pulchrè inquit Bal. in l. Non ſunt liberi, ff. de ſtatu hom.

28 De † his autem partubus, hoc obiter candide Lector obſerues velim, eos ferè ita monſtroſè concipi, aut in vtero ita figurari ex ipſius matris apprehẽſa imaginatione in ipſo conceptionis momento, quod teſtatur gloſ. in l. Quæritur, ff. de ſtatu homi. Idem confirmatur per illud Geneſis cap. 30. vbi Iacob nouam naturæ artem dicitur inueniſſe: qui vt ex vnicoloribus gregibus oues varij coloris naſceren tur, poſuit varij coloris virgas in cana libus, in quos effundebatur potanda mox ab ouibus aqua: vt cùm veniſſent greges ad bibendum, ante oculos eaſdem haberent virgas varicolo res, ob quarum conſpectarum imagi nationem impreſſam ita conciperent: quod ita ex hac cauſſa factũ eſt. Nam dum in ipſo calore coitus oues intue rentur virgas maculoſas, pepererunt vario & diuerſo colore reſperſas oues. Hinc dicebat ſimili ex cauſſa Iacobus Butrigarius in l. fin. C. de Carb.

29 edicto: Quòd mulier † committens adulterium (quia in illo inſtãti ac puncto ſolet cogitare de marito) plerunque producit partũ marito ſimilem. Quintilianus quoque ſimili expurgatione defendit honeſtam matronam, quæ pepererat Aethiopem: nempe, non ex adulterio conceptum, ſed ob nigram Aethiopis imaginem in cubi culo matronæ poſt partum repertam in quam ſæpe ferebatur intuita: atq; hinc illius imaginis nigredinem conuicit matronam per crebram imaginationem ſuo impreſſiſſe fœtui: non ex alicuius Aethiopis naturali cõcubitu. Plura ad hanc rem videas in farragine D. Iaſonis in l. Gallus, ff. de li-

31 ber. & poſthumis, ad finem. Item † excuſatur is, qui inimicum interficit in colluctatione, cùm pugiles exercẽtur: nam talis non tenetur etiam lege Aquilia, cùm illud non inferendæ iniuriæ gratia, ſed honoris, virtutis, & gloriæ cauſa fiat, l. Qua actione, §. Si quis in colluctatione, ff. ad l. Aquil. Sed Ioan. de Lignano in tract. de bello iuſto. & Ioan. de Ana. in Rubri. de cleri. pugnantibus in duello, dicunt illum text. eſſe correctum, etiam de iure ciuili, per tex. in l. 1. de gladiatoribus lib. xj C. vbi etiam gladiatorum ſpectacula cruẽta ſunt à iure ciuili inhabita. Et de iure Canonico hoc eſt correctum, per tex. in c. 1. de torneamen. Poſſet tamẽ quis & forſitan non improbabiliter dicere, quòd hodie ille tex. (in quantum de colluctatione loquitur) remaneat incorrectus: nam & ſi torneamenta & ſimilia cruenta ſpectacula prohibeantur, eò quòd ex illis ſæpe mors hominis ſuboriatur, & exinde comitetur animæ periculum: colluctatio tamen non ita facilè videtur prohibenda, quòd in ipſa non eueniat ſimilis ſemper ratio, nec in ea tam ſæpe homicidia committantur, minusq; in ea propterea animæ periclitentur. Conueniſſet hoc loco pie Lector plura de pugilibus & de ipſorum conflictu explicare: ſed quia de his in ſuperioribus meminimus, ad ea vnumquemque iſtorum auidum (vt breuitati ſtudea-

32 mus) remittimus. Item maior † ſeptennio impubes occidens hominem, ob ætatem excuſatur ab homicidio: Poterit enim eũ Iudex releuare à pœna mortis, ſi ipſũ vllo modo moueat ætatis cõmiſeratio. Ftlicet ætas ipſum impuberẽ nõ releuet à toto, l. Impuberẽ, ff. de fur. l. 1. C. Si aduerſus delic vbi dicit tex. Quòd in delictis prætextu

ætatis

ætatis non restituitur minor: minor tamen ætas ipsum releuat à tanto, l. Auxilium, §. In delictis, ff. de minorib. c. 1. de delict. puero. c. 1. ext. de apo-
33 stat. Item † excusat textus eos senes, homicidium committentes, qui per omnẽ vitam suam habiti sunt, fuisse inculpatis moribus, & integritate vitæ probi, quique ob id perpetuò cum probis & viris grauibus conuersati sunt: his enim similis ætas & vita eatenus immaculata suffragatur, vt à pœna mortis excusentur, l. penul. ff. de termino moto, & text. in l. 3. C. de Episco. audient. ad fin. Item, excu-
34 sant leges eos † homicidas, qui post commissum homicidium perstiterũt decem annos, hoc est, quorum homicidium à decem annis transactis patratum est: eos enim leges à pœna mortis relaxant, l. Si diutino, ff. de pœnis, vbi si diutino tempore, hoc est si per decem annos quis steterit post delictum commissum, ipsius pœna sublenanda seu relaxanda est. Quin ex isto admisso maius ac vehementius quiddam leges dicunt: nempe si is homicida per 20. annos stetisset, & alioqui ab omni crimine iudiciali permansisset immunis: tunc nullo modo dicunt eum accusari posse de
35 crimine, vti insignis textus probat in l. Querela, C. ad l. Cor. de fals. vbi apertè probatur: Si quis per 20. annos stetisset post delictum commissum, quòd ampliùs non posset accusari: Id etiam probat tex. in l. 2. C. de vectigalib. cõmissis, tex. in l. Adulter C. ad l. Iul. de adulter. glos. in verb. Subire, in l. Manichæos, C. de hæreti. Porrò has duas nouissimas excusationes ponit Rochus Curtius, instar duarum limitationum, in c. fin. de consuetud. vbi ait, has dictas duas excusationes semper in memoria artissimè seruandas, vt quæ tutissima sint suffragia & patrocinia pro seruandis amicis. Huic tamen textui nõ aduersatur ille tex. in c. fin. de consuetud. qui dicit, Quòd tantò grauiora sunt delicta, quantò diutiùs infœlicem animam detinent alligatã. Nam ibi Rochus Curtius hunc tex. soluit tribus solutionibus, quarum optima est, quòd hic tex. tantùm loquitur in foro animæ: vbi hoc dictum verissimum est: Delictum grauari, augeri, & intendi longinquitate & mora temporis, propterea quòd ob diutinam moram impœnitentiæ delinquentis, paulatim in anima euanescit & intermoritur pœnitentia, & dolor, & peccatum, quod per pœnitentiam non mox eluitur, statim suo pondere ad aliud trahit: Adeò vt qui in vno delicto diu fine assumptâ aut illata pœnitentia permaneat, negligens criminis efficiatur & parui pendens: eóque tandem deuenit in contemptum iudiciorum Dei, & clauium Ecclesiæ, c. Omnis vtriusque sexus, de pœnitẽ. & remissio. tex. autẽ in d. l. Si diutino, loquitur in foro iudiciali: & ita soluit Panor. in c. Cum haberet, De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulter. Excusan-
35 tur † præterea ab homicidio satellites Iudicis, qui maleficum in captura necessariò occidunt. Nam si maleficus quispiam in captura tam violentè & acriter se defendit, vt vel ipsis satellitibus vim inferat, adeóque sit in relu ctando & repugnando violentus & vehemens, vt ipsis satellitibus ab eo potiùs periculum immineat, aut certè si ob ipsius immodicam in resistendo violentiam, capi nullo modo possent: in hoc casu iura permittunt, vt eundem maleficum satellites impunè occidere possint, potiùs quam illius delictum maneat impunitum, tex. est in l. Si seruus, C. de his qui ad

Eccleſ.confug.text.in l.Quemadmodum,§.Magiſtratus,ad fin.ff. ad l. Aquil.Poſtremò † excuſatur filius homicida à patre oblatus Iudici: quia Iudex non poteſt filium talem ad mortem condemnare,tex.eſt in l. Milites agrum,§.Deſertorem,ff. de re milita. vbi dicitur: Quòd ſi pater obtulerit Iudici filium militię deſertorem, qui alioqui citra patris delationem decapitandus eſſet propter delictum, hoc eſt,qui militiam contra iuramentum ſuum deſeruit,vt probatur in l. Non omnes,§. Deſertor, ff.de re .milit. quia tamen ipſum pater Iudici obtulit,idcirco nulla ratione decapitandus erit. Atque idem de quocunque alio crimine dicendum eſt, ratione cuius alicui irroganda foret pœna mortis.Rationem autem iſtorum aſſignant hanc, quòd ius patriæ poteſtatis in pietate humana conſiſtat, nō in ferina atrocitate: ferinum autem & pluſquam beluinum eſſet, ſi pater filium Iudici in mortem, atque adeò ad decapitādum vltro traderet.Quare iura humanæ pietati & miſericordię potiùs,quam iſtius patris immitis crudelitati ſubſeruire maluerunt, l. Diuus Adrianus, ff. ad l. Pompe, de parricid. Sunt † qui etiam volunt excuſari eum homicidam, qui ipſe de crimine homicidij accuſatus, multos alios inſuper latrones ſeu homicidas prodendo detulerit, demonſtrauerit, & apprehendi fecerit: quia ob hoc qualecunque iuſtitiæ beneficium, tunc Iudex ipſi parcere quidem poterit:non autem parcere debet: etiam ſi id ipſi malefico prodenti antè promiſiſſet, text. eſt in l.Non omnes, §.fin.ff.de re milita.tex.in l. Si quis fortè, ff. de pœnis, vbi probatur & illud eſſe verum: etiam ſi dicat ſe dicturum aliquid, quod ad Principis pertinebit ſalutem.

36 37

CAPVT LXXXV.

De homicidijs caſualibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 85

1 2 2 3 2 4 5 6 *Quid faciendum* { *Tegularijs, Baliſtarijs, Sagittarijs, Putatoribus, Equitibus, Aurigis, Omnibus,* } *vt ab alijs periculum arceant, & ipſi crimine vacent.*

Per errorem vnum occidens pro alio, quomodo puniendus. 7

8 *Differentia inter* { *Dolum malum, & culpam latam. Culpam leuem, & leuiſſimam. Caſum & infortunium.*

Dolus

9 *Dolus*
10 *Lata culpa*
11 *Leuis culpa* } *quid ſit, & quando contingit.*
12 *Leuiſſima culpa*
13 *Infortunium*



Quoniam proximè præcedente capitulo nonnulla egerimus de homicidio caſuali, libuit hic ſeorſum exempla aliquot & caſus enarrare, quibus ferè talia homicidia committantur, & quando in ijs caſibus homicidium eſt excuſabile, quãdo verò minime. Tegularius igitur † qui de opere ſuas dimittit tegulas, quibus aliquem prętereuntem aut lędit aut occidit, non tenetur de læſione, neque de homicidio, ſi priùs ſigna præmonitoria conſtituerit, argum. l. Cùm quid, ff. Si certum petatur aut viua voce aliiſque modis debitis periculum præcauerit & indixe-

indixerit. Quod Azo intelligit, si loco ac tempore congruis, acclamatio aut denuntiatio fiat, quo periculum euitari posit: facit l. Si soluturus, ff. de solut. l. 1. in princ. & l. De pupillo, §. In plurium, ff. de no. oper. nunciat. facit item in simili l. Si rem, §. fin. cum ibidem notat. per glos. Bart. & Doct. ff. de euictionib. Ista item confirmat Angel. in, §. Item si putator, instit. d. l. Aquilia. In quo §. regulam statuit & legem omnibus domorum tegularijs, & opificibus similibus volens, vt quoties ex alto quippiam deijcere necessum fuerit, vt ante demissionem illius, maturè & tempori satis, per proclamationem aut alia edita signa, incautis viatoribus & transeuntibus periculum denuntient, vt per talem tempestiuam denuntiationem commodiùs transeuntes periculum forsan euenturum, fuga, aut mora præcauere possint. Porrò si æquo frequentiùs de vitando periculo, operario inclamandum foret, fusficiet illi pro excusatione, vt in via ante periculi locum signum aliquod, nō quidem paruum & inconsiderabile, sed magnum, euidens & manifestum, euitādi periculi ponat: & prætereà tale signū, quod ad omnibus huiusmodi contectoribus in similib⁹ operibus & tali ciuitate poni consuetum est: & ob cuius indicium iure sibi præcauere quis posset. Eo enim signo posito, operarius excusabitur, etiamsi voce & clamore nullum aliud signum cauendi periculi priùs dedisset, arg. d. l. Cùm quid, ff. Si cert. petat. Quæ quidem ratio & si non satis suffragaretur operario non clamanti: ipsi tamen abundè satis patrocinaretur diutina recepta consuetudo, quæ etiamnum passim durat & seruatur, & ob quam satis esse volunt talibus signis indicibus, omnibus periculum præmonstrasse. Deinde non tenetur de læsione aut homicidio, si in eo facto constiterit nullam interfuisse malitiam, dolum, aut odium, aut malitiosam incuriam. Similiter dicendum† est de balistarijs, de sagittarijs, de putatoribus ramorum, aut succisoribus arborum, et de omnibus denique operatoribus ad vias publicas, quorum opera & officia non sine pertranseuntium periculo peraguntur, qui omnes, vt in primo casu, ab homicidio casuali excusantur per dictos modos debitos, l. Si putator, ff. ad l. Aquil, §. Item si putator, instit. de l. Aquil. & ibi Angel, Aret. Pari ratione excusantur † sagittarij ad scopum in constitutis hortis iaculantes, si post vocem prænunciam (sistite vel quiescite) contingat eos quempiam aut lædere aut occidere. Aut si is hort⁹ ad sagittandū priuilegiatus, & ab omni homicidij crimine per priuilegia liber fuerit. Item excusantur † equites & equorum exploratores in cursu alios lædentes aut interimentes, postquam clarè vocauerint (cauete aut cedite) & si id factum fraude vacet & malitia. Idem † censendum est de aurigis, currus suos per plateam & populum agentibus. Postremò & in genere, † quisquis permissis ac licitis perfungitur officijs, & opera peragit licita, in quibus aliquis casu & infœliciter aut læditur, aut occiditur: quam læsionem & occisionem non antè captauerat (vt quæ casu, & inexpectatò acciderunt) non tenetur nec de læsione nec de homicidio: verùm puniri arbitrariè poterit de culpa, si qua in facto Iudici appareat, aut suspecta sit, aut realiter in facto consistat. Ad † hunc modum si quisquam Ioannem percussurus petat, casùque intercedente, non Ioannem petitum, sed Petrum feriat & occidat: is feriens

ens non eſt puniendus de homicidio, quòd Petrũ aut ferendi, aut occidẽdi nullum animum nullamq; voluntatem habuit: ſed damnãdus eſt ad detrimentorum reſtitutionem & reparationem, quòd hoc ipſum factum culpa non vacet, ſed culpæ ſit obnoxium: quia ne Ioannem quidem petitum ipſi vllo iure conceſſum fuit cædere, aut ad cędendum petere, vt probatur in l. Si cùm ſeruo meo, ff. de iniurijs, vbi maius quiddam & apparentius dicitur: Si ſeruum meum percutere volens, caſu Ioannem cædam, lædam aut interimam: in eo caſu non tenebor crimine læſionis vel homicidij, vel actione iniuriarum, quòd nullum maliuolum animum contra Ioannem geſſerim, nec eum cædere putauerim: ſed tantùm tenebor lege Aquilia, ſcilicet ad reſarciendum damnum & detrimentorũ reſtitutionem, text. eſt in l. Scientiam, §. Qui cùm alter, ff. ad l. Aquil. Similiter iudicandũ eſt de ijs qui lapidibus, aut baculis canem aut felem petunt, & eò iactum dirigunt: aut de ijs qui ſagittis aut iaculis auem petunt: interim tamen hominem quempiam vel lædunt vel occidunt: qui omnes quidem à læſione, & homicidio purgandi ſunt: Verùm (quòd in culpa facti ſint) ad reparationem damni tenentur ciuiliter. Porrò

8 †quum hic de dolo, & culpa agimus, velim hic obſerues, iura differentiam conſtituere inter dolũ malum, & culpam latam: & inter culpam leuem, & culpam leuiſsimam: & inter caſum,

9 vel euẽtum fortuitum. †Nam dolum malum intelligunt Vlpianus & Labeo Iuriſconſulti eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiẽdum alterum, adhibitam, l. 1. §. 1. ff. de dolo malo: quam definitionem ſeu deſcriptionem alij, vt Hoſtien. eo. tit. in ſumma, & Goffre. ſequuntur, verbi gratia: Si vir quiſpiam in fugam adactus, in domum quampiam (vt ibi tutus hæreat ſeu tutaretur) confugeret: Vbi paterfamilias, aut alius ſe fugati amicum ſimulans, tanquam defenſurus eum fugatum, oſtium domus occludit fugãtibus hoſtibus, feneſtram verò minimè, idq; malitioſè & ſubdolè, vt per eam fugantes hoſtes irrumperent, fugatum caperent & occiderent: Quis huius impoſtoris factum non ilicò dolum malum, imò dolum

10 peſsimum cenſuerit? †Grandis autem vel lata culpa eſt, nõ intelligere, quod omnes intelligunt: non facere, quod omnes faciunt, aut maior pars: vel id facere, quod nulli vel pauci faciunt, id eſt, quum quis aſtutè & ex ſimulatione peccat, vt quũ ſuis commiſsis peccatis præſtruit, non eſſe moris, non ſe ſciuiſſe, non intellexiſſe aliquid, quod tamen vſu eſt receptiſsimum, quodq; ſciuerat certiſsimè, & omnium optimè cognouit & intellexit, aut ſaltèm ſcire & intelligere debuerat, l. Latæ culpæ, ff. de verbo. ſignifica. l. Regula, §. Si filius, ff. de iuris & fact. igno. notat gloſ. in l. Quod nerua, ff. depoſit. veluti omnibus eſt in propatulo, Tegularios ſolere & debere vocare, antequam tegulas dimittant: Tegularius verò contrà dicat, ſe non ſciuiſſe eas leges nec conſuetudines, ideóque nullum conſtituiſſe ſignum nec clamaſſe: eo in caſu, tegularius non excuſatur, ſed per latam culpam reus ſit omnium malorum, & infœlicium euentorum, quę per ſuam negligẽtiam eueniunt. Quandoquidem eas leges & conſuetudines certò cognouiſſe debuerat, quas ferè norunt omnes. Ideoq; hanc latam culpam, malũ dolum æſtimant, quod dolo malo penè in omnibus ſit conſimilis, l. 1. §. Hęc actio, ff. Si menſ. falſ. mod. dixer. l.

Quæ-

Quæsitum, §. Eum quoque, ff. de precar. & vulgata l. Quod nerua, ff. depos. & ibi Bart. ac eius sequaces. Fallit hæc similitudo in trib. casib. Primò, in criminibus publicis, l. In lege, ff. ad le. Cornel. de sicar. Secundò, in iuramentis præstãdis in causſa, l. In actionibus, §. Sed Iudex, in fin. ff. de in litem iurand. & ibi glos. in verb. non etiam. Tertiò, in delatione iuramenti seu sacramenti in litem: & de his videte bonam glos. in verbo, ob culpam in §. Suspectus autem remotus, Instit. de suspect. tutorib. vel curato. Le-
11 uis † verò culpa, est negligentia & incuria in rebus dubijs, & vbi quis non præter rationem ambigere posset, an vllum periculum subesset, aut indè consequi posset, an non: vel succinctiùs: Leuis culpa est, desidia & negligentia in rebus, in quibus dubitare licet, §. Præterea, iuncta glos. in verb. debet, Instit. Quib. mod. re contrahitur obligat. verbi gratia: Si tegularius vspiam domum tegat in platea aliqua remota, abdita & secreta, quã non satis sciuit fuisse viã vel plateam publicam an priuatam: in hoc casu, si quod eueniret malum leui culpa,
12 excusandum esset. Leuior † culpa est (quam nonnulli vocant leuissimam) qua quis malum aliquo modo præuidere seu ab alio arcere & præcauere potuisset, sed non præcauit, nec præuidit, d. §. Præterea, cum glos. in ver. debet, iamiam præall. Veluti si domus mea caduca foret, ruinam sua dispositione minitans, quam ruinam impedire potuissem, imò impediendã esse ob imminens periculum certò nouissem: quam tamen per oscitantem incuriam non impediui: eo in casu, si domus ruat, vlíve vicinorum detrimentum inferat ob meam incuriam, ad omnium detrimentorum reparationem deuinctus sum, vt qui omis-
13 sione in culpa fuerim. † Verum omnis casualis euentus est, qui planè fortuito accidit, & de quo nemo aliquid mali euẽturum suspicari certa ratione posset: hunc dolendum vocant infortuniũ, quòd propterea neminem trahere ad culpam, nec ad detrimenti reparationem ligare licet, l. Quę fortuitis, C. de pign. acti. & §. Item is cui, instit. Quib. mod. re cõtrah. obl. veluti, si pueri parum cauti, sub equos aut sub aliquorum currentes currus lædantur aut occidantur: illius enim infortunij ratione nemo culpandus, aut condemnandus venit.

CAPVT LXXXVI.

De latrocinijs.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 86

Latrocinij definitiones, & diuersitates. 1
Eorum & latronum differentiæ. 2
Textus varij de latronibus. 3
Latrones non tuentur loca sacra. 4
5 *Latronibus non permittitur* { *Purgatio.* *Appellatio.* *Remissio.*
Latrones à Principe remissionem non impetrant. 6

Latro-

Latronum ſupplicia ex conſuetudine. 7
Latronum ſupplicia ex Iure. 8
Paſchæ, & feriatis diebus non proceditur in cauſſa criminali. 9
Latrones inſignes, etiam die Paſchæ, fas eſt ad furcam rapere. 10
Latrones bannitos, quibuſuis fas eſt occidere. 11



SPecies item homicidij eſt latrocinium, homicidio tamen multò nocentius, grauius, & multo quidem dictis homicidijs ſcelere differentijs. Quandoquidem † latrocinium vocamus illud homicidiū, quo aliquem latenter & furtim per vim ſpoliant: & ſpolijs nequaquā contenti, inſuper occidūt, aut ſaltem animo occidendi aggrediūtur extra viā publicam, in ſyluis alijſq; locis ſemotis à cōſpectu populi: vel latrociniū eſt aliquem ſubdolè, occultè, & nō aperto Marte, à tergo occidere, vel aliquē occidere in noctis ſilētio tacitè, & nō loquēdo, vel indicādo vt ſeſe defēderet.

Aut

Aut certè latrocinium habetur illud homicidium ſuum, quod aliquis iuxta leges patriæ conſuetas, certo tempore conſtituto non defert ad notitiã Iudicis, de quo in ſuperioribus etiam
2 meminimus. † In hoc capite autem non eſt animus perplexas illas, atque diſsidioſas Doctorum opiniones exactè diſcutere, quas de differentijs furum & latronum diſputant, & de furto & latrocinio, quum iſtã ad infrà ſequentia capita de furtis, iuſtiùs ſpectare videantur. Hoc enim loco de eo latrocinio tantum agere ſtatui, quod cum homicidio cõiũctum ſit, quodq; vel re, vel expreſſa voluntate ſit veri homicidij ſpecies: atque ita tali latrocinio competunt ſupraſcriptæ definitiones: ad quas mihi ſuffragatur Angelus Perufinus in Authent. Sed nouo iure, C. de ſer. fugiti. Cuius dicto ibidem ſubſcribunt Paul. Caſtr. & Franciſcus Areti. qui aiunt, Latrones ſcilicet inſignes & famoſos eſſe eos, qui homines per vim in domibus vel vijs publicis aut priuatis, ſuis rebus ſpoliãt, quibus ſpolijs non contenti, eos prætereà aut occidunt, aut animo occidendi promptiſsimo (vti ex inuaſionis ſpecie cõſtabit) adoriuntur. Fures verò (vt hoc obiter interijciam) eos tãtùm appellant, qui clam quocunque tempore, ſiue diurno, ſiue nocturno tempore furripiũt: cætera infra de furibus. Porrò dicta
3 †noſtra etiã confirmãt præfati Doct. plurimum æſtimantes text. §. Famoſos, in l. Capitalium, ff. de pœnis, in duobus locis: Primò ibi, cognatis & affinibus interemptorum. Secundò ibi, quo latrones homicidia feciſſent: & ita ad hoc ponderat illum textum Raphael Fulgoſius in conſilijs ſuis, conſilio 157. in 2. colum. vbi dicit, ſui temporis tunc neotericos hoc modo intelligere dictũ text. quin & ita eum intelligit Iacobus Butrigarius in d. Authent. Sed nouo iure. Et Azo in ſumma in fin. C. eo. tit. de ſeruis fugiti. Pro maiore item dictorum meorum corroboratione, ipſe ſequentes omnes textus nõ ab re collectos adijcere volui, ex quibus liquidò confirmari videbis, quæ antè de latrocinio (vti hic accipimus) definiuimus, & quòd tales latrones iure occidendi ſint: imò pleróſq; textus citabo, qui de latronibus, & eorum latrocinijs puniendis loquuntur. Principiò igitur nobis ſeruit text. in l. Prouinciarum, C. de ferijs, vbi dicitur: quòd per mortem latronum, multorum ſalus & incolumitas procuratur. Secundò text. in c. Suſcepimus, ext. de homici. vbi latrones dicuntur homines affligere, non ſolùm in bonis, ſed etiam in perſonis. Tertiò text. in l. Si vt allegas C. ad l. Cornel. de ſicar. dum ibi dicitur: Si, vt allegas, latrocinantem peremiſti, dubium nõ eſt, eum qui inferendæ cædis voluntate præceſſerat, iure cæſum videri. ponderando text. ibi, latrocinantem, & ibi, inferendę cędis voluntate. Quartò text. in c. Cùm homo, 23. q. 5. vbi dicit text. latronem homines occidere nocendi cupiditate vel iniuſtè aliquid auferendi. Quintò text. in l. Diuus, ff. ad l. Pompe. de parricid. vbi dicitur: Quod ſi quis filium cum nouerca adulterantem occiderit, magis latronis quàm patris iure interfeciſſe videtur: nam patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere. Sextò facit text. in l. Per omnes, C. de defenſorib. ciuita. ibi, fera & periculi ſui neſcia latronũ feruet inſania. Septimò text. in c. Non eſt crudelis, 23. q. 5. ibi, latro ſuſpendendus crudelem Iudicem putat: non tamen eſt crudelis, qui crudelem iugulat. Hoc obſerua in proximè adductis teſtib⁹: Quòd latrones feri & crudeles

les dicuntur: nam hoc nomen. Doct. & iura nō attribuerent, niſi homines perſonaliter affligerent. Octauò pro his eſt text. in c. Eſt iniuſt. 23. q. 4. dum ibi dicitur: *Si quis latronē abſoluēdū putat, innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem.* Nonò facit, quod ſcribitur Marci 15. vbi probatur, quòd Barrabas homicidium commiſerat. Et Lucæ 23. dicitur, quòd propter ſeditionem & homicidium miſſus fuerat in carcerem. Et Ioan. 18. dicitur, quòd erat latro. Decimò facit quod ſcribitur Actuum 3. Vos ſanctum & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis. Vndecimò non omitto quod legitur Lucæ decimo. Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalum in Hierico, & incidit in latrones: qui ſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abiuerunt ſemiuiuo relicto. Duodecimò facit tex. in l. Diuus, ff. de Senatuſcon. Syl. ibi. Conterritus aduentu latronum, & ibi vulneratum. Decimotertiò text. eſt ad hoc in c. Admonere. 33. q. 2. vbi inquit notabiliter litera, eum qui occidit vxorem, eam occidiſſe more latronum. Decimoquartò eſt text. in l. Itaque, ff. ad l. Aquil. ibi, Seruum tuum latronem inſidiantem mihi: & in illis verbis, aduerſus periculum. Decimoquintò text. eſt in l. Etiam, ff. de manu. vindict. ibi, dominum contra latrones tuitus ſit. Decimoſextò facit quod ſcribitur Ezechielis 18. ibi. Quòd ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem, non viuet: cùm vniuerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur, ſanguis eius in ipſo erit. Decimoſeptimò pro hoc cito l. Qui à latronibus, ff. de teſta. et l. Hoſtes, ff. de capti. & poſtlimi. reuerſ. vbi patet latrones redigere velle homines in ſeruitutē, licèt obſtent iura: & ſic ſaltèm volunt homines morte ciuili opprimere. Nam ſeruitutē mortalitati ferè comparamus, l. Seruitutem, ff. de reg. iuris. Et mors ſeruituti turpitudinique anteponenda eſt, auctore Tullio. Decimooctauò ad id addu co illud Horatianum in Epiſtolis: vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones: quod in mediū adfert gloſ. in verb. Qui malè agit, in c. Conſuluit. de offi. et poteſt. iudi. delega. qui text. ad hoc poteſt non inſipidè citari per doctrinā, Bart in l. 1. in 5. colum. ff. Si. cert. peta: vbi inquit Bart. Quòd ſcripturis, quæ in ſtudijs tanquam Authenticæ reputantur, quantum ad artem ſuam, eſt ſtandum, vt Ariſtotelis, Hippocratis, Ciceronis, & aliorum in ſcholis receptorum, pro qua doctrina eſt text. in l. Si pater, ff. de ſolut. l. Septimo menſe, ff. de ſtatu. homi. l. Fulcinius, ver. Quid ſit autem latitare, ff. quib. ex cauſ. in poſſeſ. eatur. Huiuſmodi itaque omnia† latrocinia, iura ipſa tanto proſequuntur odio, & indignatione, vt eos latrones præcipuè in nemoribus graſſantes, ne ſacras quidem ædes ac cœmeteria tutari velint c. Inter alia, & Scrib ext. de immu. Eccleſ. & eos indignos cenſeant, qui ſeſe homicidij titulo ad purgationē offerāt: aut ad aliud tribunal remiſſionē expoſcāt: aut† qui vllū priuilegiū exceptionis pro expurgatione proponant: aut etiā appellent (quia appellationi latronis Iudex nō debet deferre) d. c. Inter alia: Facta quoque latronū, hoc eſt, † dicta ipſa latrocinia tam ingrata ſint Principibus, vt ne ipſi quidem Principes ipſa poteſtate ſua ordinaria remittere poſſint, aut velint (licèt extraordinaria hoc aliquando ex cauſſa fieri videamus.) Sed latronum † cauſſa & proceſſus peragitur eodem loco, vbi captus fuit & captiuus detinetur,

4 5 6 7

netur,& tandem de ſcelere conuictus damnatur puniendus, vt crati vimineæ inſidẽs publicè pertrahatur ad locum ſupplicij, vbi vltore gladio decollatus vitam ſuam finiat, & corpus detruncatum rotæ inſideat, caput verò aut palo infixum ſuffigatur in altum, aut in puteum,cui ſtipes rotæ inſeritur, inhumandum conijciatur.Deinde apud multos inoleuit,vt poſt executionem peractam, ad maiorem latrocinij deteſtationem, appendere ſoleant rotæ eadem inſtrumenta,quibus latrocinia commiſerunt, aut ſimilia indicia (veluti ramos, baculos, &c.)quibus populo pertranſeunti commonſtraretur latrocinium, aut commiſſa homicidia, iuxta numerum baculorum. Atque hæc omnia iuxta variam conſuetudinem ciuitatum,regionis & patriæ dicta ſunto:quandoquidem in his omnibus conſuetudines regionum plurimum variare videmus: atque adeò hæc ita ex conſuetudine omnia. Iura
8 † tamen, & legalis authoritas famoſos latrones furcis affigendos eſſe cõſtituunt,l. Capitalium,§.Famoſos,ff. de pœnis: vbi expreſſe text. famoſos latrones in his locis,vbi graſſati ſunt, furcæ figendos, quàm pluribus placuit: vt & conſpectu deterreantur alij ab ijſdem facinoribus, & ſolatio ſit cognatis & affinibus interempto rum,eodem loco pœna reddita,quo latrones homicidia feciſſent. Ad idem text. in l. Ne quid, ff. de incend. rui. naufrag. vbi dicitur: Grauem præſidi ſententiam de latronibus dicere permiſſum: text. eſt iuncta gloſ. in l.2.ff.arbo.furt.cæſar. text. eſt in l. Prætor,§.Aduerſas,ff. de ſepul. viola.text.eſt in l. Diui. §. Si qui ex principalibus,ff. de pœnis, text. eſt in d. c.Non eſt crudelis, ibi, latro ſuſpendendus, gloſ. in c. Si quis fortitudinem,23. q.3. facit quod ſcribitur Lucæ 23.vbi alter latronum cum Chriſto crucifixorum ait: Et nos quidem digna factis recepimus. Ita tenet Bart.in d.§.Famoſos,& in d.Authẽt. Sed nouo iure. vbi idem tenent & adſtruunt Bald.Ang.Paul.Salice.Bartho.Cepola, & Franciſcus Areti.Angel.Areti.& Iaſon in §. Ex maleficijs, Inſtitu. de actionib. Idem Angel. in tractat.maleficiorum in verb.Et veſtem cœleſtem abſtulit: Ita Raphael Fulgoſius, conſilijs ſuis, conſilio 157. in 2.colum.Paris de Puteo in tractat. de ſyndicatu,in verb.latro: Accedat dictum Baldi per text.in d.l.Prouinciarum, C. de ferijs: vbi inquit,quòd
9 † licèt diebus feriatis, & maximè in feſto Paſchæ, non poſsit procedi in cauſſa criminali, l. Quadraginta, & l.Omnes, C. de ferijs: tamen inſignis
10 ſeu † famoſus latro quocunque die poteſt mitti ad furcas: Pro his facit quod dicitur, Eos ſcilicet latrones à
11 iure per ſententiam † condemnatos, ſiue (vt loquuntur) diffidatos ſeu bannitos, à quolibet priuato & quouis tempore etiam poſſe occidi; l. 1. C. quando lice.vnicui. ſine Iudice ſe vindicare, c. Cùm homo, 23. quæſt. 5. Si ergo à quolibet priuato (cui eſt denegata priuata vltio) occidi poſsint l. Extat, ff. quod metus cauſ. igitur à fortiori, multò magis à Iudice (cui lex malefactores puniendi neceſſitatem impoſuit) quouis tempore occidi poterunt, l. Per omnes, C. de defenſorib.ciuita.l.3, & l. Congruit ff.de offic.præſidis.

CAP.

CAPVT LXXXVII.

De parricidio.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 87

Parricidium quando committitur. 1

2 3 10 12 *Parricidarum pœna ex* { *Iure ciuili scripto.* / *Consuetudine, varia.* / *Iure canonico, bifaria.*

Latronum ac parricidarum pœnis, iudici aliquid adijcere permittitur, 4

Filius toxicum parans pro extinguendo parente, parricida censetur. 5

{Pharmacopola / Chirurgus / Medicus / Aut quisquis alius.} *filio toxicum pro occidendo parente præbens, parricida est.* 6

7 *Filio* {*Pecuniam* / *Consilium* / *Vllum subsidium*} *præbens pro occidendo parente, parricida est.*

Pater filium cum vxore sua incestuantem occidens, non punitur vt filicida. 8

Furiosi parricidales non vt parricidæ damnantur. 9

Pœna iuris Canonici maxima, est degradatio & traditio ad Iudicem secularem. 11

PArricidia, iura vocant† ea homicidia, quibus aliquis nefariè occidit parentes, patrem scilicet, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, consobrinam, vxorem, nurum, generum, socerum, vitricum, priuignum, priuignam, &c. atque his cognatione, aut affinitate similes, l. 1. ff. ad l. Pompe. de parricid. Hęc aũt parricidia prorsus execrãda sunt, vt quæ sunt omnium scelceratissima: cognationibus, & affinitatibus, & peculiariter amicitiæ naturali vinculo maximè aduersa & infesta. Quocirca hosce parricidas omnes, vna cum ipsorum cooperatoribus & complicibus, iura execrãdis pœnis afficiunt. Primò enim† cæduntur acerrimis virgis vsque ad sanguinis effusionem: deinde insuuntur culeo seu tergori bubulo, aut simili vnà cum quatuor viuentibus bestijs, scilicet cum cane, gallo gallinaceo, simia, & vipera: cum quibus ita culeo seu tergori insuti simul præcipitantur in mare vel in amnem aut in flumen, si mare proximum seu vicinum sit aut flumen: alioquin huiusmodi parricidæ objiciuntur discerpendi atque deuorandi leonibus, vrsis, lupis, canibus, aut his similibus feris animantibus. Verum isthæc omnia ex iure scripto, l pœna, & l. Vtrum ff. ad l. Pompe. de parricid. & l. vnica, C. de his qui parẽ. vel liber. occider. Consuetudine † enim seciùs multo fieri cõspicimus. Nam secundũ cõsuetudines parricidæ ferè damnantur, vt ad caudã equi, aut ad quoduis vehiculorum genus affixi, cratiq; vimineæ insidentes, aut asseri, ita dedecorosè pertrahãtur ad supplicij locũ, vbi decollentur, & corpus truncatũ rotæ in altũ erigẽdę affigatur: & tandẽ simul omniũ bonorũ proscriptione aut cõfiscatione plectũtur. Porrò si† res aut ratio ita postulet, vt his pœnis aliquid propter enormitatẽ adijciendũ foret, hoc totũ in Iudicis arbitrio situm est, cui dictis pœnis semper aliquid adijcere permittitur, vt his pœnis & exẽplis alij exterriti, à similibus cõmittendis abstineãt, & hæc est mens dictæ l. 1. ff. eod. tit. Nec admirandũ, cõsuetudinẽ ius scriptũ mutasse: quandoquidem difficile esset vbiq; similes bestias reperire, quarũ meminerũt l. Pœna, ff. eod. ad l. Pompe. de parricid. & l. vnica, C. de his qui parẽtes vel liberos occiderũt. † Superioribus quoq; parricidijs annectendũ est nefariũ molimẽ filij, qui malè sanus comparauit sibi toxicũ aliquod aut venenum, quo patrem suum aut matrem extingueret, & perimeret: eóque (etiam si eo veneno vsus nõ fuerit, aut etiamsi vtẽtem & tẽtantem non sequatur effectus) puniendus est forma & modo suprascriptis, l. 1. ad fin. l. Vtrum, & l.

& l. Si sciente, ff. eod. tit. Ad l. Pompe. de parricid. d. l. vnica, C. de his qui parent. vel liber. occider. Quin
6 † & ipse pharmacopola, medicus, chirurgus, aut quisquis eidem filio sciens volensq; & dolosè ad eum vsum tale venenum vendiderit & suppeditauerit: is certè pari pœna cum superioribus plectendus fuerit, l. Frater, ff. eo. l. 3. §. 1. ff. ad le. Cornel. de sicar. In-
7 super † vt veri parricidæ puniẽdi sunt, quicunque dicto filio pecuniam dederint mutuo, quibus tale noxium pharmacum & venenum emeret, & patrem occideret, d. l. Si sciente: Item quisquis ad hunc nefarium ausum filio vllum consilium dederit, aut exhortatus fuerit, suaserit, aut vllũ subsidium præbuerit, eadem pœna mul-
8 ctandus erit. Verùm † pater qui reperit filium incestuãtem siue adulterantem cum vxore, hoc est, cum nouerca sua, ipsumq; in hoc actu occiderit, par ricida aut filicida quidem censebitur: verũ nõ vt parricida puniẽdus fuerit. Nã extremo supplicio, hoc est, morte nequaquã mulctabitur, sed secũdũ iura exilio tãtum proscribitur, l. Diuus
9 Adrianus, ff. eo. ad l. Pompe. de parricid. Præterea † ne furiosi quidem propter parricidium commissum morte damnantur: imò propter mentis inopiam & impotentiam, planè ab hoc crimine excusantur. Ne tamen incautiùs similia perpetrare valeant, damnandi sunt, vt strictissimè & cathenis truncis magnis, vel postibus alligentur, aut compedibus ferreis impediantur, aut cellulis clathratis arctissimè includantur, l. Pœna, §. Sanè, ff. eo.
10 & l. Diuus, ff. de off. præsid. De Iure autem Canonico siue Põtificio, † pœna parricidia committentium est clericorum depositio, & ad curiam secularem traditio. Nam si pro simplici homicidio tantùm fit depositio & detrusio, vt in c. Cùm non ab homine, ext. de Iudicijs: iuncto c. Tuæ, ext. de pœnis, & c. Sicut dignum, cum glos. ext. de homicid. & c. fin. eodem tit. lib. 6. debet certè pro parricidio (quod qualificatum est, quodq; multò enormius homicidium est) imponi grauior aliqua pœna, quàm pro simplici homicidio. Sed grauiorem pœnã Iu-
11 ra † Canonica non habent, quàm depositionem, vt in c. Ad reprimendam per glos. ext. de offic. ordin. vbi dicitur. Quòd non habet Ecclesia vltrà quod faciat, nisi vt ipsum degradet, tradat, & relinquat iudicio seculari, arg. d. c. Cùm non ab homine: vbi Iudici Ecclesiastico ex duabus pœnis statuitur alterutra imponenda pro suo
12 arbitratu: nẽpe, † vt procedatur ad degradationem: vel vt recurratur ad theoricam c. Nouimus, ext. de verbo. significa. & c. Quàmuis, de pœnis, li. 6. scilicet vt in perpetuos carceres detrudatur seu cõijciatur, vbi pane & aqua tantùm victitans, pœnitentiam agat acerrimam, mortique temporali simillimã, vt suprà sub titulis homicidiorũ meminimus. De pœnitentiali aũt pœna in foro conscientiæ, quia ad promiscuam multitudinem nõ pertinet, hoc loco omnino subticere volui, eam prudentibus relinquens confessarijs. In qua imponenda, velim priùs perlegant Rubricã, De his qui parentes vel liberos occiderunt: ibi enim ex aliena consideratione comperient, quæ ad pœnitentiæ impositionem salutarem plurimùm conducent.

CAPVT LXXXVIII.

De suiipsius homicidio.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 88

Pœna ſeipſum occidentis ex Iure. 1
Pœna ſeipſum occidentis ex conſuetudine. 6
Seipſum occidens, & corpus & animam perdit. 2
Peccatum Iudæ ſeipſum ſuſpendentis. 3
Nulla ratione excuſandi ſunt ſeſe occidentes. 4
Qui homicidæ ſui, furca damnandi, & bonis proſcribendi. 7
Aliæ conſuetudines de proprijs homicidis. 9
Seipſum lædens, vt alterum lædens, mulctabitur. 10
Homicidis ſui neganda Eccleſiaſtica ſepultura. 5

11 { *Sui caſtrator,* / *Alterum caſtrans,* } *gladio punitur.*

Seipſos occidentes, quomodo damnent Philoſophi. 12

An:

13 Seipsum occidentis testamentum valeat.
14 An Seipsum occidere tentans, puniendus sit morte.
15 Seipsos occidentes, Ecclesiastico luctu plangendi.

1 IN proprij corporis † homicidio hoc habent iura, vt quisquis sui ipsius homicida fuerit, hoc est, sibiipsi violentam mortem conscierit, aut ex desperatione, aut ex meticulosa anxietate perdendæ vitæ, gloriæ, aut rerum temporalium perdendarum timore, aut ex alia simili caussa, & malo proposito: is ex loco sui homicidij equo pertrahitur vsque ad locum supplicij, vbi non in patibulo, sed ignominiosius in furca suspenditur, vt hoc nouo eoq; dedecoroso suspendij genere, populo spectaculum præbeat & signum, quòd propria manu sibiipsi prius mortem conscierat. Ratio autē, cur hic homicida sui infamiùs suspendatur, quàm alius quisquam homicida alterius, est, quòd is qui alium occidit, corpus ipsius tantùm occidere dicitur: animam enim ipsius, quātum in ipso est, neutiquam occidere potest. Qui verò seipsum
2 †interimit, is certè & corpus, & animam propriam nefariè perdit, si quidem ex maligno animo id scelus admiserit, vt de Iuda Iscarióte sacra testātur Euangelia, & l. Liberorum, §. Non solent, iuncta glos. in verb. Suspendiosi, ff. de his qui notan. infamia c. Iudas, ds pœnitent. distinct. 3. qui
3 magis † peccauit desperādo, & per. desperationē seipsum occidendo, quàm Christum nequiter tradēdo, c. Si non licet, 23. q. 5. Ideóque is Iudas (quanquam per vocem (peccaui) qualemcunque pœnitentiam ostēderat quocunque pœnitente fuit infœlicior. Nā ipsius pœnitentia non erat coniuncta cum spe veniæ, ideoq; ipsum non reuocauit ad Dominum: sed ipsum desperatio traxit ad laqueū. Et hinc dicitur, in c. In Salicibus, de pœniten. distinct. 3. Quòd Iudas, cum seipsum occidit, sceleratum hominem occidit, adeò vt nō solum Christi, verū etiam suæ mortis reus efficiatur. Porrò ex-
4 plodenda † esset ridicula ipsorum excusatio, qui hoc prætextu alterius propriam mortem expurgare niterentur, quod ideo scilicet maturiùs sibi mortem conscierit, vt ab hac erumnosa vita liberatus, citiùs fœlicitate frueretur æterna: vt enim demus sui occisorem hoc in animo ante crudelem necem habuisse, vt ob dictam caussam maturiùs sibi mortem, consciscceret: ob hoc non sequitur ipsum hoc licitè & bene feciisse, ipsiusq; homicidium vlla ratione aut iustum, aut rationabile defendi posse. Primùm enim nusquam sacræ literæ tale homicidium, tali ex caussa profectum, excusant: sed potiùs omne homicidium citra vllam exceptionē vetant & damnant: veluti cùm altera præceptorum tabula ait: Non occides: in genere vetat omne homicidium, negans, vllum homicidiū esse iustum, aut committendum, ne alterius quidem. Et si ex præcepto vetamur alterum occidere, multò magis vetamur nos ipsos occidere, quum maiorem charitatem & iustitiam debeamus nobisipsis, quàm alijs. Quocirca quum quodlibet homicidium sit iniustum & illicitum, (hoc tantùm excepto, quod lex iusta generaliter, vel ipse fons iustitiæ Deus specialiter præcipit aut admittit) maximè omnium illicitum & iniustum erit homicidium sui
5 ipsius, † quod Ecclesiastici ita execrantur, vt ipsis sui homicidis sepulturam Ecclesiasticam denegent, & à

communibus Eccleſię precibus & ſuffragijs excludant: nempe quòd credant eos ob deſperationem veniæ, ſimul cum corpore & anima interijſſe, tex.nota. in d. c. Si non licet, 23. q. 5. & tex. in c. Placuit, iunct. gloſ. eadem cauſſa & quæſtione. Verum enimuero ſi quiſpiam ſibi mortem acceleraue rit captꝰ vlla phreneſi, furore, inſania, melancholia, defectu ſenſuũ, aut graui morbo, aliáque animi impotentia & inopia percitꝰ & ſubito correptus, is nullo modo in furcam erigendus fuerit: ſed ob bonam Eccleſiæ ſpem de ſeruata anima, licet corpꝰ perierit, traditur corpus ſepulturæ Eccleſiæ, & precum Eccleſiaſticarum particeps efficitur. Atq; hęc omnia iuxta tenorem iuris, l. 3. §. Si quis autem, ff. de bon. eor. qui ante ſentent. mort. ſibi conſciuer. & l. 1. §. Ea propter, C. de bo.
6 eor. qui mort. ſibi conſciuer. Nam † ſecundum cõſuetudinem, quiſquis ſeipſum interficit, ex quacunq; occaſione & cauſſa hoc euenerit, is in furca ſuſpenditur, & bonis ſuis omnibus
7 per fiſcum proſcribitur. Verùm † hãc conſuetudinem velim pius Iudex ſaniùs ac reſtrictiùs intelligat, non de quibuſuis ſui homicidis: ſed tantum de prioribus, qui ex deſperatione, & ex malo propoſito ſibi mortem conſciſcunt. Nam illi ob facinoris indignitatem & odium, iure poſt furcam bonis proſcribuntur, niſi ciues ſint liberarum ciuitatum, & ab omni confiſcatiõe bonorum immunium: quales ſunt ciues Brugenſes & ſimiles.

Poſteriores enim, qui phreneſi, ardentiſſima febri, aut alia correpti mentis inſania, ſibiipſis necẽ inferũt, non video cur in furcã erigãtur, & bonis ſuis proſcribantur, quũ eos Eccleſiaſtica pietas à ſacræ terræ inhumatione, & à cõmunibus precibus nõ arceat, ſed in omnibus vt dignos & legitimos filios agnoſcat & recipiat: meo igitur iudicio non ſunt huiuſmodi cum prioribus pari pœna plectendi, nec ad furcã rapiendi, nec bonis proſcribendi: ſed vt cæteri quique catholici piè in cœmeterio ſepeliendi, & reliquis officijs Eccleſiaſticis cũ decenti põpa lugubri participãdi. Hanc ideo diſtinctionem diligenter obſeruent omnes Iudices, & prætores, ne putent cõſuetudinem illam eſſe generalem, ſed de prioribus tantũ eſſe intelligendã. Ita enim minus erũt moleſti cõſanguineis defuncti, nec tã iniuſtè eorũ inſidiabuntur loculis, quaſi ex ſingulari lenitate & gratia, conſuetudinis rigorẽ remiſerint, & corpus ad Eccleſiaſticã ſepultu ram liberũ ex ſua authoritate tãtum permiſerint: quũ in poſterioribus ſui homicidis Prętori prorſus nullũ ius ſecundũ rationẽ competat, nec in cor pus nec in bona ipſius, De his ſatis ſu perq;. Ad intermiſſam de proprio ho micidio conſuetudinẽ redeundũ eſt.
8 Ex † more enim & ex conſuetudine prętereà cautũ eſt, ne quiſquã hoc cor pus dãnatum & ſuſpenſum, manibus attrectet & auferat, niſi ſolus Iudex, aut miniſter Iudicis, ex Iudicis ac Præ toris mãdato & permiſſu. Cõſuetudi
9 netitẽ obſeruatũ eſt, vt quoties hoc ſcelus in domibꝰ cõmiſſum eſt, corpꝰ hoc examine funibus è domo pertra hatur, nõ per oſtiũ, ſed per foramẽ, & foueã ſub limine domꝰ effoſſam, vtpote quod indignũ ſit ob proprię vitę extinctionẽ, eodẽ oſtio & limine egredi, per quod príus viuũ valensq; exiuerat. Hactenus de proprio ſuiipſius homicidio, quod execrandũ eſt, & ſeueriſsimè in iure vetitũ, nõ ſolũ aũt ipſum homicidiũ ſui prohibetur, ſed etiã ſuiipſius violẽta quęuis & nefa ria leſio & vulneratio iure damnatur
10 adeò, vt quiſquis † ſeipſum vulnerauerit, aut læſerit ex malo propoſito, aut

aut ex desperatione: is puniendus sit eadem pœna qua puniretur si eandem vulnerationem alteri intulisset. Nemo enim membrorum suorum dominus est, l. Liber homo, ff. ad l. Aquil. d.c. Si non licet, & l. Lex Cornelia, §. Constitutum, ff. ad l. Cor. de sicar. quodque non maius in proprium, quàm in alterius corpus ius habet. quis enim sui corporis totus dominus constituitur? quum domini sit terra & plenitudo eius? Deinde, qui sibi parcere nō nouit, aut potuit, multò minùs alteri parsurus est: Et qui sibi ipsi nequam, alteri nequior futurus præsumitur, l. 3. §. Si quis autem, vers. Qui enim sibi, ff. de bo. eor. qui ante senten. mor. sibi consci. & in l. Sed si dānū, §. sed si ipse, & ibi glos. not. ff. de piculo: ad hæc vide D. Iasonem in l. 1. C. de ser. fugit. num. 5. & 6. plurima ad hoc allegantē. Quia
11 † autem in propriæ lesionis mentionem hic incidimus, notandam velim eam læsionem, qua aliquis seipsum realiter castrauerit, aut castrari iusserit: is enim magister castrator, & ipse castrat⁹, simul gladij animaduersione, atq; adeò capitali punitione plectendi sunt, etiam cū publicatione bonorū fisco applicanda, l. Lege Cornelia, §. Constitutū, & §. fin. & ibi D. Hippo. de Marsil. ff. ad l. Cor. de sicar. prę-alleg. Bald. in l. 1. C. de eunuch. Quum
12 † igitur nulli fas sit, sibiipsi vllam læsionem ac vulnerationem inferre, multò minùs licitum, imò prorsus execrandum est sibiipsi mortem cōsciscere: Ideoque vel ipsi Philosophi non minùs grauiter homicidium sui damnarunt: fortis enim non est (inquit magni nominis Philosophus Aristoteles) sed timidi, mortem sibiipsi incutere: quum carnificis loco habendus sit, qui sese quoquo modo vulnerasset, vt moreretur, authore Festo. Hinc etiam Aeschines inquit: Si quis necauerit seipsum, manum, quę hoc peregit, abscindimus, & separatum à corpore sepelimus: & similia vide apud Aristotelem lib. tertio Ethicorum, vbi de fortitudine disserit: eundem etiam vide lib. 5. quæ compendij ac fastidij euitandi gratia omittimus. Priusquam hoc capitulum de proprio homicidio finiamus, libet non impertinētes hic quę-
13 stiones tres subiungere. Primò † enim quæritur: An testamenta seu vltimæ voluntates illorum, qui sibi mortem conscisuerunt, sint alicuius momenti & efficaciæ? Ad quam quæstionem teste Bald. respondēdum est, ipsorum testamenta esse prorsus inefficacia, in l. 1. C. de bo. eor. qui sibi mort. con sciuer. in tex. ibi, ex testamento: hanc Baldi opinionem confirmat etiā Cynus in l. 2. C. qui testa. facere possunt. Atque eodem loco meminit de quæ-
14 stione nostra altera: nēpe, An is † qui mortē sibiipsi conscire voluerit, & ad hoc apparatū confecerit, inque seipso perdendo totus occupatus fuerit: sed per alium interuenientem prohibitus fuerit, quò minus nefarium cœptum compleuerit: an is (inquam) machinator prohibitus, morte, aut alia punitione damnandus sit? Ad quam quęstionem respondendum est: multos esse, quibus videtur eum puniendum esse extremo supplicio, vti apud d. Cynum in loco allegato communiter tratur, & in l. vlt. §. Sic autem, ff. de bo. eor. qui ante senten. mor. sibi consciuer. An. in l. Omne, §. Qui se vulnerauerit, ff. de re milita. Aut ad hanc quæstionem respondeo, eum puniendum citra mortem: vel vt notat. in l. Si quis non dicam rapere, C. de Episco. & cleri. & l. 4. C. de ser. fugiti. Ter-
15 tia & postrema † mouetur quæstio, An primi illi homicidæ sui, qui scili-

cet ex desperatione, & ex nefario proposito seipsos occiderunt, an (inquam) isti consueto luctu plangendi, & prosequendi sint? Hanc quæstionem dissoluit Iurisconsultus in l. Liberorum, §. Pomponius, in versic. non solent, ff. de his qui notan. infamia. dicens eodem loco, tales homicidas minimè consuetis ritibus lugendos esse.

CAPVT LXXXIX.



De adulterio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 89

1 *Adulterij enormitas.*
2 *Matrimonium Christus honorauit sua præsentia & miraculo.*
3 4 5 8 9 *Adulterij pœna ex* { *Lege veteri.* / *Iure ciuili.* / *Iure canonico.* / *Consuetudine.*

Adul-

Adulterium grauius peccatum eſt furto. 10
Furtum grauiori pœna punitur quod adulterium. 11
Homicidium grauius eſt adulterio. 12
In luxuriæ ſpeciebus gradus ſunt. 13
Adulterium grauius eſt fornicatione. 14
Inceſtus omnes tranſcendit libidinum gradus naturales. 15
Peccatum contra naturam grauius inceſtu. 16
Cur adulteria neglectius puniantur, rationes. 6
Poteſtas Iudicum ex Deo eſt. 7
Adulterarum puntio ex iure. 17

18 *Adulterij punitio* { *Eſt propria curiæ ſpirituali,* & *Ex vſu etiam ſeculari permiſſa.*

19 *Adulter ratione* { *Adulterij,* / *Perſonæ ſuæ,* } *ſubeſt curiæ* { *Spirituali.* / *Seculari.*

An per ſpirituales punitus etiam puniendus ſit per ſeculares. 20
Adulterium, multorum malorum ſons eſt. 21
Adulteria non permittunt vllos pacis contractus. 22
Adulterum vxoris in actu fas marito occidere. 23
Adulterum filiæ, patri in actu ius eſt occidere. 24

25 *Ambos in actu comperiat.*
26 *Ambos comperiat domi ſuæ vel generi.*
27 *Vt pater impunè occidat mæchum filiæ, requiritur, vt* { *Vtrunque occidat.* / *Filiam habeat in ſua potaſtate.* / *Filia nupta ſit marito.*
28
29

Quando adulteri dicantur reperiri in actu. 30
Soli patri permiſſum eſt occidere adulterum. 31
Adulteria cum Principibus aut Reginis quomodo punienda. 32
Exemplum horrendum de adulteris Reginarum Franciæ. 33
Adulterij pœna in feudatore, & feudatario. 34
Adultera dotem perdit. 35

36 *Ipſe maritus adulter eſt.*
37 *Cauſſam dedit & ad hoc tradidit.*
38 *Marito non licet accuſare* { *Coactè adulterio vitiatur.* / *Ignoranter adulterata eſt & malo dolo.* / *Eum mortuum credens, alteri nupſit.* / *Ad ſe ſemel reconſiliatam recepit.*
39 *vxorẽ adulteram, quando*
40
41

Conſilium authoris de vitando adulterio. 43
Principalis ſæpe origo adulterarum, eſt maritus adulter. 32 43
Adulterium maritorum grauius puniendum, quam vxorum. 44
Antequam adultera damnetur, inſpiciatur vita mariti. 45
Exemplum furtiui adulterij. 46
Ignotis permittitur alterius vxoris de adulterio accuſatio. 47
Alterius vxorem, ad adulterium ſolicitans, punitur exilio. 48

Copula-

Copulatores & copulatrices { *Iure* / *Consuetudine* } *plectuntur,* { *Capitaliter.* / *Exilio.*

Copulatorum pœna ex Consuetudine Gandensium. 49
Abraham non est reus adulterij propter cognitionem ancillæ Agar. 50
Patriarchæ non concupiscentiæ sed prolium causa plures habebant uxores. 51
An clericus in sacris constitutus in flagranti crimine repertus cum alicuius filia aut uxore, possit cædi scilicet violatione Canonis &c. 52

1 ADulterium crimen est † inter mortales non infimum, & quod ad societatem humanam tuendam pessimum est, & pestiferum. Etenim inter omnia fœdera humana, nullum fœdus est rationabilius, nullum firmius, nullum Deo gratius, nullum denique ad conciliandam amicitiam & ad societatem hominum tuendam commodius, & magis necessarium, quàm fœdus tori connubialis. Ideóque consummatum matrimonium (scilicet fidelium) Deus planè ratum esse voluit, insolubile & inuiolabile: nempe quod sacratissimam coniugij fidem referat, quodq; vnionem denotet, & conformitatem illam, quæ est inter Deum & Ecclesiam per assumptionem carnis humanæ, vt in c. Debitum, ext. de biga. † Quocirca ipse 2 Christus etiam hunc torum connubialem, & sanctum matrimonij fœdus sua cohonestauit præsentia, & primò omnium insolito & dignissimo dignatus est miraculo, quo insipidam aquã in dulcissimum conuerterat vinũ. Taceo vel apud quasuis nationes etiam barbarissimas coniugij fidem perpetuò fuisse venerandã, firmam & sacram, & iusolubilẽ, donec inciperet cũ perfidia inter mortales grassari tartareum adulterium, quod contra omnia iura diuina & humana coniugalem hanc fidem perrumperet, labefaceret, violaret, & omnia fœliciter constituta peruerteret. Fit enim per adulterium iniuria haud mediocris Deo, cuius sacramentum violatur, quod in paradiso instituit, incarnatus approbauit, & passus sanctificauit. Adulter enim quod Deus coniunxit separat. † Ideóq; hoc adul 3 terium (vtpote hominibus pernitiosissimum) Deus in veteri lege adeò execratus est, vt huiusmodi adulteros vel adulteras durissima simul & dedecorosa morte interimi iusserit, vi delicet delapidatione, Exod. 20. Deut. 22. Ezech. 16. & Diui Ioan. 8. c. Et in decretis canonicis, §. Hinc apparet, 23. q. 5. c. Hęc imago, & c. Satis, 33. q. 5. Ex le 4 ge etiã † Mosaica vterque & adulter & adultera morti adiudicabãtur, vt scribitur Leui. 20. & d. c. 22. Deut. & Danielis 13. Hanc quoque Domini sententiam postea comprobauit legum authoritas, adeò vt omnes adulteros & adulteras citra exceptionem, gla 5 dio † animaduersore puniri iusserit, non minùs propter infinita mala, quę indè suppurulant, quã propter genuinum & internum ex sua natura malum, quod in sese habet perfidũ illud adulterium, vt in titulis ff. & C. ad l. Iuliam de adult. & in Antiq. de adulterijs, l. Transigere, C. de transactionib. & §. Item lex Iulia, Instit. de public. iudic. Hoc tamen nostro infœlicissimo seculo apud quosdam Iudices tam parui fiunt adulteria, vt quasi parum ipsis insit sceleris, & quasi peccata

peccata sint leuiuscula ob hoc quòd sint frequentia, & à multis citra conscientiæ stimulum perpetrata. Ideóq; vel leuius adulteria puniunt, forsan etiam, quòd ipsi eo aliquando contaminati sunt. Hinc fit, vt † vitia quę seueriſsimam merentur punitionem, negiecta & quasi impunita relinquantur: quum tamen Deus ea seueriſsimè puniat, & punienda potiſsimum in veteri lege esse voluit: adeò vt nisi per acerbam punitionē populus ab adulterijs se coërceat, Deus sinat nobis euenire discordias, bella, sciſmata, pestes, aliaq; morborum genera infinita. Nam cauſſę, propter quas pax inter homines in terris non coalescat, assignantur sex in c. Ad Apostolicæ, per gloſ. super verb. Pacem Christus &c. de senten. & re iudica. li. 6. Inter quas primam cauſſam dictorum malorum ponit illam, quòd scilicet hominum non puniantur maleficia, Eccl. 8. quia non profertur citò contra malos sententia, ideóq; abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala, c. 1. de offic. de lega. lib. 6. & c. Dominus, 23. q. 2. Vltima verò assignatur ratio, quia nō seruamus præcepta Dei, Hie. 3. Esa. 48. Quocirca si Deo Opt. Max. ita visum esset, vt suam vltionem ferret tantū in sceleratos, & ad huiusmodi adulteria dissimulātes Iudices, qui sua negligentia dictorum malorum sunt authores, & non in communem & inculpatā plebeculam: æquiùs puto, & vigilantius per acres punitiones adulteriorum frequentiam compescerent. Considerent † igitur ac tota mentis acie perspiciant Iudices suam potestatem à Domino Deo emanasse, qua non licet ipsis temere abuti, Ioan. 19. Nō haberes potestatem aduersum me vllam, nisi datum esset tibi desuper. Quum igitur à Deo potestatem habeant, curent (rogo) quæ lex diuina pariter & humana iubent, totis viribus adimplere, neque sua imò diuina potestate abutātur in suam, suorūq; subditorum pernicię. Verùm quum † isthæc leguni constitutio, æquo postea omnibus visa est seuerior: Iura Pontificia & Canonica tandem hanc legem mitiorem, & remisſiorem esse voluerunt: eam enim tribus alijs modis Ius Canonicum cō mutauit: nempe, vt adulteros & adulteras lapidationis seu vltimi supplicij loco, puniret vel deuortio, arctiſsima monasteriorum regula, aut excōmunicatione hoc est, ex Eccleſia & communione fidelium violenta ciectione. Hanc † humaniorem puniendi rationem postea imitata sunt Iura ciuilia, quę mœchos citra mortem etiam puniendos esse sanxerunt, videlicet, aut exilio, fame, dura victus ratiōe, vtì pauperes ipsos: diuites verò mulcta pecuniaria, aut alia simili pœna arbitraria. Quocirca licet † adulterium coram Deo grauius peccatum sit, quàm decem vel viginti furta, tamen † ipsum furtum grauiori pœna temporali punitur, videlicet capitis vel suspendij, idq; propter bonum publicum, communem conuictum & quietem hominum. Attamen adulterio grauior & multo enormior debetur pœna, nō quidem temporalis, sed æterna & infernalis. Porrò licet furto diximus esse grauius adulterium, non est tamen grauius homicidio, sed † homicidium ipsum infinitis partib⁹ Adulterio est grauiùs & enormius. Horum & plurium similium etiam meminit S. Augu. lib. 1. De adulterinis coniugijs, cuius scripta habentur canonizata in c. Quemadmodum 32. q. 7. vbi inter alia inquit. Sunt † enim in luxuriæ speciebus semper gradus, vt sicut † grauius peccat adulter, quàm fornicator, sic grauius delinquit, qui nec sua dimiſſa aliam ducit,

6 7 8 9 10 11 12 13 14

cō

eo quod ſuam dimittens, aliam cognoſcit. Grauius quoque qui ſuâ vxorem habens ad coniugem proximi ſui accedit, quam qui non habens vxorem, thorum alterius violat, vel vxoratus ad ſolutam accedens: ſed hos
15 †omnes inceſtuoſi tranſcendũt, quos
16 † vincunt contra naturam delinquentes, quos Iura igne puniunt. Cæterũ hanc legum de adulterio puniendo laxitatem nonnulli correxerunt, volentes adulterij punitionem capitalem etiamnum durare debere, potiſſimum reſpectu viuorum, ita vt iuxta priores leges, viri perpetuo capitis detruncatione plectantur: Nam ſacrilegos nuptiarum, gladio puniri oportet l. Quamuis, 2. in fine C. eod.
17 tit. Punitio †verò adulterarum, quæ iuxta veteres leges etiã capitalis fuerat, & delapidatione vlciſcenda, per poſteriores leges (quia fragilioris ſexus eſt mulier, quàm vir) facta eſt remiſſior: Nam per eas conſtitutum eſt, vt adulteræ fœminę verberatę ac virgis cæſæ, à iure maritali diuellantur, deinde in arctum aliquod conijciãtur monaſterium: vnde tamen maritus eam intra biennium denuo recipere poterit, ſi quidem voluerit & ſuperuixerit. Nam ſi maritus poſt biennium vxorem ſuam mœchã indè ad ſe non receperit, aut ſi interim mortem obierit: eadem vxor adultera cogitur habitum monaſticum aſſumere, & ad leges & ritus eiuſdem monaſterij reliquum vitæ ſuæ ibidem cùm alijs ſororibus tranſigere: liberis autem ex ſe natis, duas partes ſuorum bonorum ceſſura erit: monaſterio verò ſuo, tertiam bonorum reliquam partem. Sed ſi liberos non habet, parentibus extantibus huiuſmodi iniquitati non conſentientibus tertia pars applicabitur: reliquæ partes duæ monaſterio, cum monaſterium ſit loco filij, vt in Authent. de ſanctiſs. Epiſco. §. Sed & hoc præſenti, colla. 9. Quibus prædictis non extantibus, id eſt, ſi nec liberos, nec alios hæredes vllos habeat omnis ipſius mœchæ ſubſtantia monaſterio quæretur & applicabitur, Authen. Sed hodie adultera, C. ad l. Iul. de adulter. & in Authent. vt nulli iudicum, §. Si verò quando, colla. 9. vnde d. Authent. deprompta eſt. Itaque pœnam huius criminis variari cernis pro varietate perſonarum.

18 Porrò huius † criminis adulterij notitiam & punitionem peculiariter ſibi reſeruant & vendicant curiæ ſpirituales & iura canonica, quia hoc adulterium directè concernit & ſpectat ad Eccleſiam, aut ad violationem Sacramenti Matrimonij, quod quidem Sacramentum ſacrum eſt & ſpirituale. Iudices ſeculares nihilominùs ſæpe adulterij examinationem, & punitionem aſſumunt: non tanquam curiæ ſpirituali præiudicantes, quaſi de Sacramẽtis & cauſsis ſpiritualibus quicquam iudicantes: quum ea tantùm faciant non Sacramenti violati gratia, ſed ipſius perſonę cauſſa, quę prophana eſt, & non ſpiritualis: ideoq; ipſorum foro habilis eſt, & ſubiecta. Hinc ſæpenumero fit, vt adulteri aut adulteræ ob commiſſum adulterium gemina punitione plectantur, & à
19 iudice ſpirituali & ſeculari: Curiæ †ſpirituali ſubſunt adulterij gratia: Curiæ verò ſeculari ſuæ perſonæ cauſa ſubeſſe coguntur. Sed de hac materia, An ſcilicet ſemel punitus in foro
20 † Canonico ſeu Eccleſiaſtico poſſet puniri poſtea de eodem crimine in foro ciuili, ob hoc, quod diximus delictum eſſe mixti fori, eleganter diſcutit & diſſoluit D. Fredericus Schenck Iuriſconſultus in triade ſua forenſi, quem data, oblatáque occaſione ibidem conſulite. Nam ipſius rationes,

argu-

argumenta, ac distinctiones & allega
21 tiones, breuitatis gratia † omisimus, licet admodum sint conducibilia, frequenter, imò penè quotidiè, contingentia. Hoc autem adulterij crimen in Iure maximè est detestabile, vel certè ideo, quòd ex eo complura alia crimina postea consurgant: veluti, periurium, falsa testimonia, violentia, iniuria, verorum hæredũ subdola fraudatio, homicidia, perpetuę inimicitię, lenocinia, stupra, & illegitimi diabolicíq; concubitus, atque infinita alia mala hinc nascuntur. Quæ plura eaq; certius enarrat Ecclesiasticus capi. 23. ad quem Lectorem beneuolum remittimus. Quandoquidem adulter peccat in omnem legem naturalem Diuinam, Ciuilem & Canonicam.
22 Quocirca non permittunt † iura, ob criminis enormitatem, vt de commisso adulterio vlla pax componatur, aut contractatio, quod tamen in alijs criminibus sæpe fieri videmus, etiam in ijs, ob quæ mors iure est inferenda l. Codicillis, §. Matre, ff. de le. 2. singulari l. Transigere, & quod ibi not. C. de transact. & l. De crimine, C. ad l. Iuli. de adulter. Prætereà adeò exe-
23 cranturtiura hoc adulterium, vt marito permittant impunè posse occidere mœchum, quem cum vxore sua actu adulterantem comperit, modo ille mœchus plebeius sit, & non nobilis: quem tamen nobilem si ita in actu occiderit, mitiùs etiam & citra mortẽ, & nõ vt homicida puniendus erit, sed tantum per exilium l. Marito, ff. Ad l. Iul. de adul. & l. Gracchus, C.
24 eod. tit. Patri † ad hæc iura dissimulando permittunt occidere mœchum quem actu reperit in ipsa turpitudine peccantem cum filia, l. Nec in ea, & l. Quod ait lex, ff. ad l. Iul. de adult. Sed vt hoc impunè facere possit, multa cõcurrere necessum est. Primò, vt eos
25 †reperiat actu coniunctos & non separatos: Intelligendi autem sunt illi simul reperiri in actu, quoties reperti sunt simul in lecto concumbere, actumq; venereum simul exercentes, aut in cubiculo sese mutuò indecorè & venereè blãdis lasciuisq; verbis, vel tactu mamillarũ vel pudẽdorum, osculãtes, quoniã huiusmodi omnia sunt adulterij præludia, vt notãt glos. & Bar. in l. 1. ff. de extraordi criminib⁹ & est glos. no. in ver. in ipsis rebus, & ibi Bar. in d. l. Quod ait lex, & in l. ca. 5. ff. Ad le. Iu. de adult. & Salice. in d. l.
26 Gracchus. Secũdò, †vt eos comperiat mœchantes in domo sua, vel in domo generi sui tantùm, d. l. Quod ait
27 vers. Quare non vbique. Tertiò †requiritur, vt pariter occidat vtrunque, neutríque parcat, ne filiæ quidẽ etiam imprægnatæ, l. Patri, l. Nec in ea, l. Quod ait lex, & l. Si maritus, & l. Marito, ff ad l. Iul. de adulter. Et notat eleganter Bar. in l. Imperator, 2. ff. de sta. homin. Idem post eum refert & citat Ang. Are. in suo tractatu maleficiorũ, sub glossa, in verb. *Cheme hai adultera-*
28 *to mia dõna*. Quartò †requiritur, vt pater filiam habeat in potestate: alioquin enim si filia à iure paterno esset emancipata, vel in aui potestate existẽs, nullo modo tũc patri iura permitterẽt si liã suã adulterantem occidere, vt l. Sic eueniet, & d. l. Patri, ff. ad l. Iul. de a-
29 dul. Quintò, †vt filia nupta sit, & non vidua aut virgo: nã si aut vidua esset aut virgo, nullo modo posset eã cõtingere, ita An. Are. sub prę allegata glos. *Cheme hai adulterato mia dõna*. Sicut nec filio licet vllo modo occidere citra culpam homicidij, eum, quem reperit actu peccantem & adulterantem cum matre, vt d. l. Gracchus, & ibi Cinus. Nec matri licet occidere adulterum, quẽ cõperit adulterantem cum filia: nec fratri licet occidere, actu adul-

adulterantem cum ſorore: nec etiam auo, neptem quam habet in poteſtate occidere permittitur: Quandoqui
29 dem † huiuſmodi adulteros in actu occidere, nulli permiſſum eſt, quâ ipſi ſoli patri, modis etiam & conditionibus antè habitis, d. l. Patri, in fine,
30 cum l. ſeq. Cæterùm † adulteria commiſſa cum aliqua Principe aut Duciſſa, acriùs multò & enormiùs puniẽda ſunt, quàm quæ cum alijs mulierculis plebeijs committuntur. Nam, vt hoc vel vno exemplo doceam. Execrandis & maximis interierunt per iuſtitiam ſupplicijs duo illi fratres, qui reperti fuerant adulterio commaculaſſe regales toros: nempe duas reginas, ſcilicet vxorem Regis Ludouici Huuſtein, & vxorem Regis Caroli de
31 la Marche: Quãdoquidem †ipſorum adulterorum adhuc viuentium genitalia priùs abſcindebantur: Deinde viui fuerant excoriati: Ac nouiſsimè ita nudi in patibulum ſubrepti: Ipſæ verò Reginæ non mitioribus tãdem abſumptæ ſupplicijs: Eæ enim ſimul inter duos muros ſtrictiſsimè cæmentatæ fuerant, vbi tandem miſeranda per ſe & ſua ſponte conſumptæ
32 ſunt nece. †Porrò ſi contingeret Dominum feudatorem mœchari cum vxore ſui vaſalli ſiue feudatarij, in eo caſu Dominus feudator perderet ius conſuetum in ſuum vaſallum: Et vaſallus ab ipſius prioris Domini iure exemptus, deueniret in omnibus ad protectionem & ius ſui ſuperioris domini feudatoris. Si verò contrà ipſe feudatarius ſeu vaſallus concumberet cum vxore Domini ſui feudatoris adulteraretq; eam, vel ad crimẽ iſtud ſaltem ſolicitaret, turpiter tentaret, aſſectaretur: Item ſi vel filiam, neptem, nurum, ſororem pollueret: is vaſallus perderet totum feudum ſuum, & eo priuaretur, quod prædicto Domino ſuo ſubſeruiebat. Et hoc textus feudales (barbaro vocabulo) Cucurbitare nominant. Ita habet D. Vdalricus Zaſius ſummi nominis Iuriſconſultus in vſus feudorum epitome, de feudi amiſsione, parte decima. Ipſæ
33 quoque † vxores adulteræ de adulterio conuictæ, & ea cauſſa, ſentẽtia Curiæ ſpiritualis deuortio à maritis diuulſæ, perdunt iuxta rigorem iuris ſuam dotem, l. Conſenſu, §. Vir quoque, C. de repudi. & in c. Plerunque extr. de dona. inter virum & vxor. & iuxta conſuetudinem ipſarum Doharium conſuetudinarium: hoc tamen in mulieribus adulteris ſpecialiter non tandum eſt, eſſe multos caſus, in quibus marito non licet vxorem accuſare adulterij, neque de eo commiſſo vxorem deferre, & per iuſtitiam conuincere & damnare. Primò, quando
34 †ipſe maritus eodem adulterij crimine infamis & commaculatus fuerit, c. Intelleximus, ext. de adulter. paria enim delicta mutua compenſatione diſſoluuntur, l. Viro & vxore, ff. ſolu. matri. & l. Si ambo, ff. de compenſa.
35 Quocirca † ſuaſerim maritis omnibus non temere cõmittant, quo ius ſuum maritale amittant: hoc eſt, ne vago alienóque toro ſe commaculent, néve tam imprudẽtes ſint in conſectan-
36 do illicitos concubitus. Qui enim †id faciunt, præter hoc, quòd Deum opt. maxi. grauiter offendunt, etiam vxorum amorem maritalem, plerunque ſua culpa vertũt in implacabile odiũ, quo vxores per impatientiam & deſperationẽ ſeſe ſæpenumero ad exemplum maritorum, alijs quoque mœchis proſtituunt: Nam vt vxores pleræque omnes ſummopere gaudent voluptate venerea, nihilq; magis affectant, quàm frequentes maritorum cõgreſſus, ita canino odio proſequuntur eas, quæ ſibi eam voluptatem furtiuo

tiuo concubitu intercipiunt, & maritales congressus solitos ipsis eripiunt & ob hoc miserè ad vindictam solici tantur: adeò vt si vindictæ occasionē reperire non valeant, tandem exuta fronte, & conscientiæ stimulis neglectis, maritorum adulterantium exemplum imitari statuant: atque eo desperationum perductæ, in scelere maritis sunt multo nequiores, multó que ardentiores & imp robiores: Dū bellè & præclarè sese agere arbitrentur, quum retaliatis vicibus maritum quoque suo iure fraudent, & sese aliunde ea voluptate expleant, quam maritus contra legem maritalem, ipsis nefariè negat & aufert, & alienis vxoribus impartit, Atque hinc tandem fit, vt quum gloria domus fœde aliquando his sceleribus collabascat, id totum imprudentiæ, imò maritorum prioribus adulterijs ascribendum sit, qui vxoribus sępe mali occasionem præbeant, vt iacturam passam vlciscantur, & voluptatem amissam aliundè sibi sarciant, par pari (vt putant) præclarè referentes. Quandoquidem nihil vxores præsertim castas æquè exasperat, quàm maritorum suorum illiciti congressus cum alienis, iisque impudicis mulieribus, quod ipse quoque testatur Imperator in d.l. Consensu, post prin. vbi Bald. & Angel. id notant, C. de repudi. & in §. Mitiores, in Auth. de nuptijs: quem ad hoc expendit Angel. vbi suprà, & in l. Si vxor, §. Iudex, ff. ad le. Iuliam de adult. & Iason in l. Ex ea parte, §. Mulier, in 1. not. ff. de verbo. obligat. † Quum igitur sępe vxorum adulteria proueniant ex culpa, atque adeò ex vagis ac illicitis maritorum concubitibus, iniquè profectò faciunt tales mariti, qui proprio dissimulato vitio, vxorum mala tantùm ad censuras rapiunt, & iudices ad vxores condemnandas solicitant quum ipsi mariti priùs cum † omni æquitate grauiter de suis sceleribus sint puniendi: ob quorum scelerum occasionem datam, vxores vascula fragiliora, tandem in peccatum prolapsæ sunt. Mariti verò per se & sua propria culpa & sua sponte, & se adulterijs commaculârunt, & vxoribus peccandi occasionem prebuerunt. Iniquiores quoque sunt ipsi Iudices, qui istis non consideratis, ad primas talium maritorum delationes & querimonias, vxores licò ex rigore iustiiæ damnant, & per hoc infames reddunt. Quocirca ne imprudentiùs hac in parte Iudices contra vxorum æquiores causas pec cent, velim priùs perlegant Vlpianum, l. Si vxor, §. 2. ff. ad l. Iuliam de adult. † Iudex (inquit) crimen adulterij ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudicè viuens, mulieri quoque bonos mores colendi author fuerit. Per iniquum enim videtur esse, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibeat. Secundò, quoties † ipse maritus, aut negligentiam, aut per oblatas occasiones, aut alijs similibus medijs, aliquo modo vxori ansam prębuit committendi adulterij, sicut & iam in primo notabili abūdè satis meminim⁹, vel si eam tradidit adulterandam, c. Discretionem, ext. de eo qui cog. consangui. vxo. suæ, Glos. singularis in verb. mutua compensatione, in c. Intelleximus. ext. de adulter. † Tertiò, quoties vxor non sponte, sed tantùm coactè. & summa cum illata violētia adulterium commisit, contra animi consensum & voluntatē, d.l. Si vxor, §. Si quis, versic. Cęterùm, & l. vim, ff. ad l. Iul. de adulter. Quartò, cùm † vxor fraudulento concubitu, hoc est, in personis decepta, adulterium

37 38 39 40 41 42

qualecunque committit, putans marito concumbere, & ipsi debitum maritale reddere, quum tamen adulterio condormiat, & adulterium iuxta carnem & mundum (non secundum mentem & spiritum) committat. Non enim coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis, d. l. Si vxor, versic. Cæterum, & argum. c.

43 In lectum, 34. q. 2. Ex occasione ac † similitudine quarti modi, exurgit quæstio hæc alia, non omnio absimilis: Sempronius amore cuiusdam virgunculæ captus, rogauit vxorem Mæuij, vt per suam operam eádem virgine potiri posset: Ea vxor Mæuij, votis Sempronij acquiescit, & se hoc præstituram certo loco & tempore promittit: quod tamen non fecit, sed ipsamet eádem voluptate potiri cupiens, sese constituta nocte & loco in lectum composuit, & se loco virginis exoptatæ Sempronio suppposuit: eamque tum Sempronius cognouit putans se rem habere cum virgine priùs cupita, & per vxorem Mæuij promissa, quando tamen cum ipsa Mæuij vxore furtim & per ignorantiam condormiuerit. In hoc enim casu nunc quæritur,

44 an is Sempronius accusari à Mæuio tandem posset de commisso cũ vxore sua adulterio, putans scilicet se stuprasse virginem, non alienam vxorem commaculasse? huius itaque quæstionis solutio tota ex priori casu enarrato, dependet. Quinto, † quando ob diuturnam mariti absentiam, quem mortem obijsse credebat, cum alio marito matrimonium contrahit & consummat, c. In præsentia, & ibi duæ glossæ, vna in verb. Viris: altera, in verb. Donec certum nuncium, ext. de sponsalibus & matrimonijs, & c. Cùm per bellicã.

45 34. q. 2. Sextò denique † priuatur maratus iure accusandi suam vxorem de adulterio, quoties post adulterium commissum, vxorem ad se recepit, reconciliauit, & cum ea concubuit, c. Quemadmodum, ext. de iureiuran. & c. Si illic, 23. quæst. 4. Porrò omne † adulterium quoties pu-

46 blicum est, adeò iura contemnunt, vt omnibus & singulis etiam ignotissimis, & quàm maximè alienis permittant accusare, & ad Iudicem adulteros & adulteras deferre. Verùm quoties in adulterio commisso contingit ignotum aliquem accusare alterius vxorem, pater & maritus vxoris in accusatione omnibus alijs præferendi sunt. Et si ipse maritus vxorem accusare detrectet, pater solus accusare potest. Et si ne hic quidem eandem accusare velit, tum tandem cuique etiam ignotissimo permittitur alterius vxoris adulteræ accusatio, lege 1. §. Si simul, & l. Si maritus, §. Si ante, ff. ad legem Iuliam, de

47 adulter. Quisquis † prætereà alterius vxorem publicè & apertè solicitat ad adulterium, aut inhonestè contrectat, adeò vt hac gratia apud Iudicem de illata vi, aut improbitate solicitantis conqueratur: is puniendus est exilio, aut simili punitione arbitraria Iudicis, etiamsi nullum adulterium, aut nullum aliud malum indè subsecu-

48 tum fuerit. Porrò † copulatrices, aut lenones, qui suo studio honestas vxores ad adulteria solicitant, & perducunt (etiam effectu non secuto) secundum

cundum iura puniuntur capitaliter, l. fin. C. de ſpecta. & ſceni. & leno. libro .11. & in Authen. de lenonibus §. Præconizamus, in gloſſ. in verbo. Inuitam: Ludouicus Pontanus in ſingularibus. ſuis, in verbo Pœna, verſiculo, Qui donum. Nec hoc loco omittendum, lenocinij crimen eſſe maius adulterio, ſecundum gloſſ. Bartoli. & Docto. in l. Athletas, §. Ait Prætor, qui lenocinium, ff. de his qui notantur infamia: Secundum conſuetudinem verò, damnantur exilio, aut alia punitione arbitraria iuxta varietatem regionum & ciuitatum. Nam iuxta conſuetudinem olim Gandenſium, copulatores damnabantur
49 exilio: copulatrices † naſi præciſione: tametſi hodie naſi præciſionem commutarunt inſtallatione, theatro iuſtitiali, aut pellerino. Nouiſſimè hoc de adulterorum punitione adjcere libuit, ipſos ſecundum iura Ciuilia, nuſquam locorum eſſe liberos, ne in templis quidem, aut cœmeterijs, in Authent. de manda. Principis. §. Quòd ſi delinquentes. collatio. 3. verſiculo. Neque, gloſſ. in verbo. Publicus latro, in c. Inter alia, ext. de immunitate. Eccleſiæ. Sed antequam huic capiti *finem imponam*, Iubet prius hic aliquot non inuti-
50 les quæſtiones ſubnectere. An † ſcilicet Abraham notandus fuerit reus adulterij qui vxore Sara viuente, filios ex ancilla ſuſceperit? Similiter, an Iacob cui quatuor vxores obijciuntur, fuerit adulterio obnoxius? His ac ſimilibus quæſtionibus faciunt ſatis S. Ambroſius in libro de Patriarchis & S. Hieronymus contra Iouinianum libro 1. Quorum ſententiæ approbantur in capite, Dixit Sara, & in capite, Obijciuntur. 32. quæſtio. 4. Ex quibus perfacilis erit præfatarum quæſtionum deciſio. Dixit Sara ad Abraham: Ecce concluſit me dominus, vt non pariam: intra ergo ad ancillam meam Ægyptiam nomine Agar, vt filium facias ex ea: & ita factum eſt. In quo quidem facto notanda ſunt & temporis & cauſſarum ratio. Primum enim Abraham ante legem Moyſi & ante Euangelium fuit, quo tempore necdum interdictum adulterium videbatur: nec pœna criminis erat, à tempore legis incepit, quæ crimen inhibuit: nec ante legem vlla erat rei damnatio, ſed ex lege, non ergo contra legem quicquam commiſit Abraham, ſed legem præuenit. Et Deus in paradiſo coniugium laudauerat: non adulterium damnauerat: habes primam Abrahæ defenſionem. Secunda hæc erit, quod Abraham non ardore aliquo vagæ ſuccenſſus libidinis, non petulantia neque formæ captus decore, ancillę contubernio coniugalem poſthabuit thorum: ſed ſtudio quærendæ poſteritatis & propagandæ ſobolis: poſt diluuium enim raritas erat humani generis: quo tempore erat etiam religionis & violentia quædam, ſi quis non reddidiſſe videretur debitum naturæ. Simili cauſa permotæ filiæ Loth, patris concubitum amauerunt, vt ſcili-

ſcilicet poſteritati conſulerent, & ne genus deficeret humanum: ideoque publici muneris gratia Loth priuatam culpã prætexuit. Geneſis. 16. Obijciuntur quoque Iacob quatuor vxores: Sed tum quia moris erat,
49 crimen nõ erat: ſicut † patriarchę coniugibus excipientibus ſemen ſuum miſcebantur nõ comcupiſcentia perficiendæ voluptatis, ſed prouidentia propagandæ ſucceſſionis: ſic Apoſtoli auditoribus admirantib⁹ doctrinam ſuam condelectabantur: non auiditate conſequendæ laudis, ſed charitate ſeminandæ veritatis. Poſſet hic moueri quęſtio: An clericus in ſacris conſtitutus in flagranti crimine reperetus cum alicuius boni viri filia, vel cũ alicuius vxore poſſet impune cædi, lædi, & occidi abſque violatione Canonis. Si quis ſuadente. 17. q. 4. Hęc. q. proculdubio affirmatiuam partẽ deſiderat, nempe quod prefato clerico in flagranti crimine reperto cum filia vel vxore pater vel maritus poteſt eum offendere & occidere ſine vllo incurſu excommunicationis cuius meminit dictus Canon. Si quis ſuadente. atque hoc ſuſtinuerũt Bald. Ang. & Rapha. in l. quid ergo §. Si heres. ff de lega. 1. Ang Aret. in ſuo non aſpernando tracta. malefi. verſic. *Che hai adulterata la mia dõna.* in 9. char. verſic. quid ſi pater. horum meminit d. Hyppo. à marſil. in ſua inſigni repeti. l. vnice. nu. 89. C. de Rap. virgi.

CAPVT XC.

De permiſsione adulterij.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 90

1. *Lenocinium mariti, puniendum exilio.*
2. *Maritus ex vxore quæſtum faciens. punitur exilio.*
3. *Clancularum vxoris adulterium, per maritum non eſt deferendum Iudici.*
4. *Signa* { *Manifeſti,* / *Certi,* } *&* { *Occulti* / *Incerti* } *adulterij.*
5. *Coniectura adulterij elicitur ex* { *Loci qualitate.* / *Perſonarum qualitate.* / *Actu, & modo.* }
6. *Mariti improba in vxoris adulterio connuentia, non eſt ferenda Iudici.*
7. *Francorum frequentia adulteria, vnde naſcantur.*
8. *Franci de adulterio nullam ferunt ſententiam pœnalem Iurũ.*
9. *Exemplum.*
10. *Alterum exemplum*

Sicut



SIcut ex ſuperiori capite conſtat grauiter eſſe puniendos, qui turpiter adulteria committunt: ita non minùs puniendi ſunt, qui vxoris adulteria cum illo ſatyrico dicente (non omnibus dormio) diſsimulâter ferunt, & vxores ſuas in ea turpitudi 3
4 ne quaſi fouent, & alũt. Maritus †igitur, qui ſciens volens q̃ diſsimulat, & permittit vxorem adulterari, ita vt nec verbis, nec re vlla illi adulteranti obſiſtat, nec ipſam ab adulterio retrahat, vel nec ipſam à ſe dimoueat, is ob vxorij adulterij diſsimulationẽ damnandus eſt exilio, aut alia ſimili pœna
1
2 arbitraria Iudicis. † Multò igitur magis dictis pœnis, aut acrioribus eſt cõdemnandus, quoties ex vxoris adulterio, vllum ſibi quæſtum parat, aut lucrum: hoc enim faciendo, crimen prætereà committit lenocinij, l. 2. §. Lenocinij, ff. ad l. Iul. de adultera. & l. 2. C. eodem tit. & ibi gloſ. †Verùm hic ſciendum, ſi adulterium vxoris non fuerit manifeſtum, nihilq̃ de eo certi habeatur in ore, & notitia vulgi, præter incertam ſuſpicionem, & rumuſculum popularem, quem maritus facilè ſua prudentia, & probitate tueri poſſet & tegere, in eo caſu, non eſt maritus vxori cohabitans codẽnandus de diſsimulato vxoris adulterio,

l. Sine metu, C. ad l. Iu. de adult. Nam hoc singulis à naturæ recto dictamine insitum est, vt domesticos omnes, atque adeò vxoris propriæ vitia tegant, & probitatem tueantur, sicubi
4 possint & valeant. Sed quando † huiusmodi adulteria censenda sint aut manifesta, aut clancularia, & ex quibus cõiecturis adulterij certitudinem potissimum colligere conueniat, vt citra reprehensionem, & cum omni æquitate, vxoris adulterium maritus accusare possit, aut celare: suaserim, vt maritus de huiusmodi coniecturis Iurisperitos, Doctores, aut ipsum Iudicem consulat: ita enim minùs peccabit, & tutior erit à permissi adulterij crimine. Coniecturas autem de certitudine vel incertitudine adulterij vxorum, cõmemorat glos. super ver. In ipsis rebus, in l. Quod ait lex, ff. ad leg. Iul. de adulter. Nam ibi glos. tria potissimum narrat, vnde cõsuram, & coniecturam quis facere debeat, de adulterij certitudine, aut incertitudine.
5 Nam † obseruanda esse iubet, scilicet locum adulterij, qualitatem personarum, & actum & modum adulterantium: De loco autem considerabit, an is opacus fuerit, & tenebrosus, an luculentus: an prophanus, an sacratus: nam in locis claris & sacratis nullum suspicãdum est futurum adulterium. De qualitate autem personarum videbit, an cognati, an affines, an alieni: an Ecclesiastici fuerint, an laici & secu lares: nam in cognatione, affinitate, & ordine Ecclesiastico, nullum suspicamur intercedere posse adulterium. De actu denique considerabit modos & gestus & signa: nempe, mutua, eáque aut aperta, aut secreta oscula, pudendorum liberas & mamillarum faciles contrectationes, & contactus, aut mutuos ad collum amplexus. Quandoquidem si hæc signa, simul consp icientibus alijs, contingant, argumentum certum est de commisso adulterio, vti etiam proximè præce-
6 denti capite nonnihil attigimus. † In quo certo adulterio, si quispiam maritus ita esset facilis, & eò peruenisset impudentiæ, vt ad vxoris scelus dissimulare planè vellet, & libenter contra clamores vulgi conniuere, & nullo modo vellet, nec optaret eam deferre ad Iudicem: in eo casu ipse Iudex, non feret ridiculam mariti conniuentiam, sed ex officio per rumores populares causam aget, & litem intentabit contra illum facilem maritum, & permissorem adulterij vxoris, vt honestas venerabilis matrimonij vel apud alios quosuis tali exemplo & punitione exterritos conseruet. Galli & Franci tamen, † quoniam
7 nihil mali de vxoribus suspicantur, sed ipsarum fidem, & honestatẽ semper habent certissimam, & fortiter ex eo tuentur: ideo vxorum suspiciones & susurros ferè boni cõsulunt, excusant, & defendunt: nempe, ex amore coniugali vehemẽti, credentes semper recta & honesta circa vxores contingere. Et si quid mali aliquando rumoris de ijs audiant, illud syncerè & candidè interpretantur. Ideo non mirum, si in Regno Franciæ (quod tamen dolendum est) adulteri ex cõsuetudine liberiùs peccent: Nempe quòd de adulterijs committendis rarò suspicentur, ideóque rariùs puniantur, vt dicit Io. Fab. in l. Consuetudinis, colum. vlt. C. quæ sit longa consuet. Et idem alibi dicit in §. Ex non scripto, colum. penult. ver. sed quæritur an consuetudo, Institut. de iure na-
8 tura. gent. & ciuili. Nam in † illo loco apertè testatur, in Regno Franciæ nunquam visum fuisse, vt ob adulteriũ quis puniretur pœna iuris: Idem in d. §. Item lex Iulia, Institu. de publi-

bli.iudic.Imò ait idem Io. Fabes, in Francia tam parui æstimari adulteria, vt ea vix peccata & crimina existiment,sed potiùs lepidã, & prẽclaram industriam, & audaciam: hinc nostrorum temporum calamitatẽ, non præter rationem maximoperè deplorat. Non est (inquit) sanitas à vertice vsque ad plantam cedri, lilium confirmatur hyssopo. Quid enim (inquit) nobiles scribunt in hospitiorum parietibus,iuxta armorũ insignia,quod
9 id non sapiat? Hactenus ille. †Quòd autem ob candidam interpretationem,& ob sanam semper maritorum de vxorijs vitijs opinionem: deinde quòd ob iustitiæ impunitatẽ in Francia adulteria sint frequentia,id norunt qui aliquot annos ibidem commorati sunt,atque ipse (non ad gentis diffamationem, sed ad vitiorum patriæ correctionem) multis exemplis didici, & his duobus subiectis contestari potero. Ego enim tempore quo Aureliæ studiorum gratia habitarem,noui quendam iuris scilicet candidatum (vt putabant parentes) qui veneris castris fuit addictior, quã Bartolo aut Baldo: quique voluptuari,scortari,suis & malebat obsequi turpibus affectibus,quàm sese macerare & conficere studijs.Is (inquam) formosulus iuris candidatus deperibat virgunculam quandam,cum qua captato tempore sæpe iocabatur, potitabat,& colludebat,tãdem audacior factus cœpit eandem solicitare,vt ipsa sui copiam faceret,ad quod ipsa astutula respondit, sese ipsam hoc satis desiderare,atque ob id etiã nihil tam candido amico negare velle, sed metuere parentes,ob quos (etsi maximè vellet)non auderet committere, sed dabo nobis(inquit) consilium benignius ac tutius: vt audiui è parentibus,puto me propediem futurã spon
10 sam,quum igitur duabus hebdomadibus,aut mense vno nupta fuero, tũ me alloquere, & quod voles pete, nihil tibi denegatum iri senties, quod à iuuene tentatum & factum fuit sæpius. Huiusmodi exempla an non frequentissimè contingant, norunt qui nobis indè recentes reuertuntur.

Aliud exemplum † in eadem celeberrima ciuitate, certò certiùs contigisse cognoui: in qua mihi admodum familiaris fuit quidam Alemanus, iuuenis proceri corporis,cute nitida, facie formosa & blandula,totóque corpore amabilis. Is (inquam) Alemanus à multis matronis amabatur,quarũ vna mercatrix pannorũ sericorum,eundem per pedisequã sæpe compellare iussit,& sæpius in templo, atque eundem inuitare ad repotia nocturna:Dicens, si ipsi placeret, vt heram suam subinde inuiseret, futurus ei gratus, & quòd cum ea citra suum incommodum voluptuaretur. Ille igitur(vt iuuenilis animus ad huiusmodi per se satis est procliuis)se facturum promisit, & quando commodum ipsi videretur, sibi significari postulauit. Eadem itaque pedisequa post pauculos dies eundem in templo secretò conuenit,& dixit. Vesperi erit opportunum: nam herus noster hodie profectus est (nam hoc vulgò apud eas est in prouerbio) Parisios. Quocirca me eminus sequere, & vbi me intrantem conspexeris, ibi vesperi pulsabis, astabo ipsa tibi apertura ad ostium. Hic Alemanus memor huius oblationis in crepusculo domum adijt, pulsauit leniter ostium, astutum intromittitur, in cubiculum tapetis ornatum inducitur, vbi paratum reperit sympolium: mox ab ancilla, vestibus exuitur: monstratur lectus penè regalis, cui incubuit dicta bellula matronula: cedit ancilla,

itur cubitum, ibique ſuam reperit amaſiam. Poſtridie eadem ancilla cubiculum intrat, heram excitat, ſurgere iubet, ne herus forſan inexpectatus eos in opere tali opprimat, & comperiat. Surgitur itaque, ientatur ſplendidè, & talis Athleta pro munere, & pro re bene geſta donarium à ſua accipit, holoſericam crumenulam, cui ipſa 8. inſeruit coronatos aureos ſolares. Hanc rem is (vt plenus erat rimarum) commemorauit vni ſuorum ſodalium, qui tam facetum actum ridens, eamus (inquit) ad eandem, & emam⁹ hac pecunia ab eadem aliquot vlnas holoſerici: placuit conſilium, eunt eòdē, reperiūt in taberna mercatoria maritū præſentē, ſalutāt ipſum, ſalutāt vxorē, quę vultum habebat in manu, & ſe bellè cōponere norat, poſcunt holoſericum pro thorace, profe runtur varia, vxor iubet maritum elegantiora ferre è punitiori cubiculo domus: dum is ſe ad ea ferenda recipit, vxor 4. vlnas abſcindit & pecuniam reddit. Interim maritus redit cum 3. aut 4. ſarcinulis, iubet vxor reportare, quòd conuentum eſſet inter ipſos, dicit ſibi ſolutum eſſe, & ſe pecuniam in capſulam argentariam immiſiſſe. Reportat maritus holoſerica: redeunt ſalutata vxore emptores cū holoſerico, & pecunia. Huiuſmodi exēpla metuo, ne plura fiant, quàm velim & quàm ſit ſalutiferum, potiſsimum ob maritorum laxitatem, & iuſtitiæ nimiam facilitatem. Sed quod iuſtitia non punit, id plerunque punit vltor ſcelerum Deus. Nam hic Alemanus poſt pauculos aliquot menſes, ſtans pro foribus ſuis, nihil mali ſuſpicans, ab impuriſsimo inuaditur lenone, & ſine vlla verborum controuerſia, pugione confoditur. Quocirca metuat quiſque iudicium, & vindictam diuinam, tametſi ad ſua vitia iuſtitiā conniuere cognouerit.

CAPVT XCI.

De lenocinio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 91

Quando committatur lenocinium. 1
Lenocinij cum peccato meritorio collatio. 2
Lenocinij apud Ethnicos deteſtatio. 3
Lenocinij pœna ex iure capitalis. 4
Tria requiruntur, vt lenones vltimo afficiantur ſupplicio. 5
Duæ vices conſuetudinem faciunt. 6
7 *Qui lenones* { *Conſilijs* / *Fauore* / *Ope* / *Conſenſu* } *iuuant, ij pari pœna plectuntur.*
Lenonum condemnatio mitior. 8
Copulatrices dæmonum ſunt inſtrumenta. 9

Gene-



1 GEneralius adulterio crimen † eſt lenocinium, hoc eſt, nefarium illud ſcelus, quo quis ex publicis ſcortationibus, ex adulterijs, ex defloratione aut ex fornicatione ſibi quæſtū facit: non quidē proprio corpore, ſed virgines, mulieres, matronas, aliorū vxores aut meretrices, huius quæſtus gratia ad actum venereū aut publicè aut occultè pellicens, vel etiā ad hoc priuatim domi alēs, & ex eo meretritio meritorióque quæſtu viuēs. † Quod quidem peccatum lenocinium, non eſt ſcelere inferius peccato meritorio, hoc eſt, eo quo quis proprio corpore quęſtum facit, teſte Vlpiano, in l. Palàm, § Lenocinium, ff. de ritu nuptia. & in l. Athletas, §. 1. ff. de his qui notan. infa. Nam vt hoc ſpeciale eſt, & ex vnius fœminæ libidinoſo amore naſcitur, ita lenocinium generale eſt, & plures ad ſuam libidinem explendam, quæſtus gratia, perducit. Quum autem † per ſeſe vel apud Ethnicos, vt puta apud Lucianum in amatorijs, & apud alios complures, lenocinij crimen inprimis ſit deteſtabile & abominandum, multo maiori odio apud Chriſtianos illud haberi debet: ideóque hoc lenocinium communes leges grauiſſimè puniunt, l. 1. §. Qui lenocinij, & l. Athletas, §. Qui lenocinij, ff. de his qui notant. infam. & l. 1. §. Lenocinij, &

nij,& §. Qui hæc, ff. ad l. Iul. de adulter. l. De crimine, §. fin. & l. Ita nobis pudor, C. ad le. Iuliam de adulter. Authent. de lenonib. per totum, colla. 3.

4 Prætereà quicunque† huiuſmodi lenocinia committunt, hoc eſt, qui publicè ex ſcelerata & meretricia vita mulierum, aut propriarum vxorum, aut filiarum, aut aliarum etiam quarumcunque, qui (inquam) ex his publicè turpem quæſtum faciunt, pecuniam merent, & exinde viuunt: ij puniendi ſunt vltimo ſupplicio, aut malæ crucis ſuſpendio, §. Præconizamus & ibi gloſ. & Bart. in Authent. de le-

5 nonib. colla. 3. Verùm hic notandi† ſunt tres modi quos in lenocinio concurrere oportet, priuſquam lenones ad vltimum ſupplicium, aut patibulum, damnari poſsint. Primò, vt mulierem ad hunc meretricium actum perſuaſionibus, aut præmijs, aut præcibus perduxerint: & hoc ex conſuetudine ſæpiꝰ facere ſint ſoliti, vt vult

6 gloſ. in d. §. Præconizamus. Atque† hic conſuetudinem intellige, quoties factum bis contigerit: Nam quum in alijs multis, ad conſuetudinem firmandam requiratur frequens & ſæpe iterata commiſsio; in hoc & ſimili crimine duæ vices, id eſt, bis commiſſa faciunt & confirmant conſuetudinem, l. 3. circa fin. cum ibi not. C. de Epiſco. audien. Deinde vt ex ipſius vita nefaria, & auaritia, ſibi quæſtum fecerint, & pecuniam acceperint. Tertiò, vt eam ſibi ad dictum actum ſubiectam fecerint, & morigeram, aut promiſsis, aut præmijs, aut alijs quibuſuis modis. Porrò hoc

7 vltimo ſupplicio, † vel patibulo non ſolùm damnantur ipſi lenones publici, ſed etiam omnes quicunque aut ad ſtuprum, aut ad inceſtum, aut ad adulterium, aut ad defloration em, aut ad fornicationem, aut ſcortationem vllo modo, conſilijs, fauore, & ope, & conſenſu, per publica lenocinia coadiuuerunt, & cooperati ſunt, vltimo ſupplicio vel patibuli ſuſpendio etiam damnandi ſunt, l. Aut facta, ff. de pœnis, l. Sæpe, in fin. ff. de verborũ ſignifi. l. 1. ff. de ſeruo. corrup. l. 2. §. 2. l. Qui domum ſuam, l. Is cuius ope, l. Mariti lenocinium, ff. ad legem Iuliam de adulter. l. 2. & l.

8 Caſtitati, C eod. tit. de adulter. Hactenus† ipſa iura dictos lenones enarrato vltimo ſupplicio puniri iubent. Verùm quum aliquanto videatur ea ſententia ſeuerior, ideò hoc peccatum multi mitiùs puniri malunt. Et ego quoque qui Senatui Brugenſi, ac alijs, multis annis fuerim à conſilijs, & lenonum punitionibus ſæpe coram adfuerim, nunquam conſpexi dictos lenones, aut lenas, aut adulteros, vltimo ſupplicio dammari aut puniri, ſed aut exilio ciuitatis, vel regionis, aut theatrali inſtallatione, aut virgarum flagellationibus, aut ſimilibus pœnis citra mor-

9 tem. Sunt † nihilominus huiuſmodi copulatrices, & coadiutrices nequiſsimæ in damnabili rerum ſtatu & dæmonum abiectiſsima mancipia, imò dæmonibus multo nocentiores, vtpote per quas non raro honeſtas puellas, matronas probas, & eccleſiaſticos natura, & moribus continentiſsimos ad lapſum pertrahunt, quod ipſorum dæmonum tentamenta præſtare non poterant, neque poſſent, niſi huiuſmodi inſtrumentis adiutarẽtur. Quo circa & ſi extremam punitionem temporalẽ hic apud Iudicem ſæcularem euadant, punitionem tamẽ diuinam nunquam effugient. Hæc habui pie Lector, quæ de hoc lenocinio tibi volui communicare: ſi tamen de hac materia plura deſideres, per me interim

terim Iaco. de Bello visu in sua practica in rub. de lenonibus, perlegas, licet.

CAPVT XCII.

De stupro.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 92

1 2 *Stuprum quid.*

3 *Stuprum est duplex* { *Voluntarium.* / *Violentum.* }

Stuprum

4 Stuprum { Voluntarium / Violentum, } quid: Et quomodo puniendum. 5

6 Stuprator cogendus, vt vel { Ducat ſtupratam in vxorem. / Stupratæ de dote prouideat. }

7 Damnum non eſt ſtupratæ poſcendum poſt alterutrius matrimonium.

8 Virginem impuberem ſtuprare conans, damnatur exilio.

9 Tutor, 10 Feudator, 11 Feudatarius } ſtuprans { Pupillam ſuam, punitur exilio & confiſcatione. / Filiam vaſalli, / Filiã feudatoris, } priuatur { iure ſuo in vaſallum / ſuo feudo.

12 Virginis iuramento ſtatur contra ſtuprantem, &c.

DVm hic in libidinum varias ſpecies incidimus, & de earum punitione, congruo ordine hic ſeſe profert Stuprum, quod vocabulum, licet ſubinde generaliter pro quibuſuis luxuriæ ſpeciebus capiatur †, ſpecialiter tamen & ſtrictius hic pro virginum defloratione accipiendum eſt, quod certè malum eſt grauiſsimum, & acri animaduerſione plectendum. Nam ſi ob furtum rei temporalis iure aut conſuetudine in crucem fures ſubripimus (ſicuti poſt ſuo loco declarabimus) quo, quæſo, ſupplicio afficiendi ſunt, qui virginum florem & virginitatem, theſaurum incomparabilem, callidè vel violenter eripiunt? & famam & nomen bonum quibuſuis diuitijs potiùs auferunt, & ſiniſtrè furantur? Certè non leuiori pœna mihi damnandi videntur, quàm rerum temporalium fures: imò multò acerbius. Eſt † autem ſtuprum ordinarium crimen, quod in virginem, viduamque honeſtè viuentem committitur. Iſtud duplex eſt, † voluntarium, & violentum. Voluntarium eſt, quod † volente & conſentiente virgine vel vidua committitur: cuius pœna eſt publicatio dimidiæ partis bonorum in ſtupratore honeſto: in humili verò, ac perſona vilioris qualitatis, pœna erit flagellatio ac corporis coërctio cum relegatione vel exilio, §. Itẽ lex Iulia de vi. Inſtitu. de publici. iudic. † Violentum ſtuprum eſt, quando virgines vel viduæ per vim opprimuntur vel abducuntur: & dicitur propriè raptus, cuius pœna capitalis eſt quam parentes vel cognati ipſi ſume re poſſunt à rapiente, ſi in actu & flagranti crimine ipſum deprehẽderint, vt C. per vniuerſum tit. de rap. virgi. ſeu vidua. nec non ſanctimoni. hoc eſt, ſi virginem aut viduam non diffamatam aduerſus eius voluntatem vitiauerit, virginalíque aut viduali decore ſeu honore priuauerit, vi expugnata ipſius pudicitia: is facinoroſus malefactor capitis diſcrimen ac pœnã incurrit: debetq; ex accuſatione compreſſarũ in proſequutione maleficij, quemadmodũ prædo ſeu raptor, gladio truncari: atque ita dictis rationibus conſtupratores plectuntur per iuſtitiam ſecularem, Sæpius tamen per Curiam ſpiritualem puniuntur, quoties ſtupra fiunt, cum conſtupratarum conſenſu. Per iuſtitiam verò (vt diximus) ſeculare quoties virginibus aut viduis ſtuprum offertur per vim & violentiam, idque gladio. Porrò de ſtupro violen-

violento(quod raptum vocant)latiùs infrà ſuo loco tractabimus, Cap. de raptu. Hic interim †animaduertendum eſt, Iudicem eccleſiaſticum cogere poſſe ſtupratorem, vt in vxorem ducat ſtupratam: aut vt ipſi de digna dote prouideat, per quam alteri tandem poſſet honeſtè nubere: atque hæ pœnæ quidem ſtatuendæ ſunt, non ex arbitrio Iudicis, ſed ſtupratoris, vt is ſtuprator cogēte Iudice alterutram pro arbitratu eligat. Verùm † iſta locum tantùm habent ante alterutrius contractum matrimonium, ſic vt ſtuprata, per Iudicem à ſtupratore, iniuriæ, & damni reparationē poſtulet, priuſquam is ſtuprator aliam vxorem ducat: aut antequam ipſa ſtuprata alteri nupſerit, & cum alio matrimonium contraxerit, vt in c. 1. & c. Peruenit, ext. de adulte. & ibi D. Abb. Si autem ipſa ſtuprata differat ſuæ illatæ iniuriæ reparationem expoſcere, vſque ad alterutrius initum & contractum matrimonium: in eo caſu negotium cenſetur inualidum & extinctum. Nam tunc ipſa ſuo damni repetēdi iure plānè priuatur, vel ob hāc cauſſam, quòd ſtuprator eo caſu ſua careret & deſtitueretur optione eligendi alterutram pœnam, de qua diximus. Qui autem molitur virgunculam † impuberem decem aut vndecim annorum, nondum viripotentem, ſtupro polluere, is certè damnandus eſt exilio aut alia punitione, ſeu pœna arbitraria, iuxta qualitatem & conditionem perſonæ, etiam ſi actu eā non violaſſet, aut violare potuiſſet. Nam qui ſunt cōditionis humilioris, hi in metallum dānantur: honeſtiores verò perſonæ in inſulam relegantur exules, l. Si quis aliquid, §. Nondum ff. de pœnis: quod proculdubio notandum eſt, quia hodie hæc pœna non reperitur correcta neque immutata: nam huic conſentiunt Docto. in d. §. Item lex Iulia de vi, vbi gloſ. eadem etiam confirmat: tametſi Iacobus de bellouiſo in ſua ſolēni practica iudiciaria tit. de lenonib. numero 33. defendat, violantes virginem immaturam nondumq; viripotentem, non teneri de ſtupro, le. Iulia, de adulter. ſed l. Aquilia, de vulnerato, l. Si quis aliquam, §. Quæ nondum, ff. de pœnis, l. Si ſeruus ſeruum, §. Si oliuam, ff. ad l. Aquil. l. Si Stuprum, in fin. ff. de iniur. Tutor verò qui † ſuam pupillam, & ſuæ tutelæ comiſſam conſtuprauerit (etiam ſi id fiat cum ipſius voluntate) is puniendus eſt per Iudicem ſecularem exilio ſeu deportatione, & bonorum omniū proſcriptione, l. 1. C. Si quis eam cuius tutor fuerit, corruperit. Ratio eſt, quòd is tutor, patris loco tali pupillæ datus fuerit: nempe, vt illam curet, defendat, alat, doceat, bonisq; moribus eam potiùs inſtructam curet, quàm vt ipſius bona curet & defendat. Nam hęc ſecundaria tutorum eſſe debet cura, illa verò prima & præcipua. Quocirca quaſi inceſtuoſè illam ſtuprat, quàm filiæ loco tutandam aſſumpſit, non vt eam ſibi commiſſam liberiùs ſtupro contaminet, l. 2. ff. de adminiſtra. tuto. & inſtitu. eod. lemmate ſeu tit. in princ. de tute. Similiter dicendum eſt de puberum iuuenculārum curatoribus. † Poſtremò ſi dominus feudator circumueniret, ſeduceret, & condormiret filiæ virgini ſui vaſalli ſeu feudatarij: is vaſallus omni ex parte exemptus fieret à domino feudatore. † Contrà verò, ſi vaſallus condormiret filiæ virgini ſui domini feudatoris, ipſe ſuum feudū, cū omnibus dependentijs perderet, vti etiā ſuprà in cap. de adulterio meminim⁹. Et † virginis iuramēto ſtatur, contra ſtuprantem, quòd fuerit virgo, Chaſſenæo teſte ſuper Rub. *Des Iuſtices & droitz*

6 7 8 9 10 11 12

droictz d'icelles, in verb. *Es droictz d'icelles*, numero trigesimooctauo.

CAPVT XCIII.

De fornicatione.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 93

Fornicatio quando committitur. 1

2 *Fornicatio prohibetur* { *Iure diuino,* / *&* / *Iure canonico.*

Fornicatio cur à Iure ciuili permittatur. 3

Fornicationem, qui peccatum mortale negat, errat. 4

Fornicatio diuinæ Iustitiæ aduersatur. 5

Inter

1 INter ſpecies † libidinum præterea connumeratur fornicatio. Eſt autem fornicatio, rem veneream exercere cum mulieribus innuptis, cum viduis, & meretricibus, & concubinis, c. Meretrices, 32. quæſt. 4. Quæ quidem fornicatio, tametſi cæterarum ſit leuiſsima & ſimpliciſsima, eſt nihilominus peccatum mortale, & iure diuino prohibita, teſte ipſo Chriſto, qui for-
2 nicatoribus † pœnam iudicij commi-
natur, & teſte ipſius Chriſti Apoſto-5 lo Paulo, qui à beatitudine ſuperna vbique expreſſè excludit, ad Galatas 5. vbi, præmiſſa fornicatione & alijs vitijs, ſubmittit: Qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt: ſolum autem mortale excludit à regno Dei, ergo &c. & ad Corinthios 6. Fugite fornicationem, & Clemet. Ad noſtrum, & ibi gloſ. in verb. Non eſt, de hæretic. in Clement. Quocirca de iure Canonico & hodie prohibitus eſt concubinatus, qui tamen tan quam licitus permittebatur de iure Ciuili, l. In concubinatu, ff. de concubin. Ideóque † etiam per iuſtitiam
3 ſecularem nulla fornicatio punitur, ſed eam maioris mali vitandi gratia prudenter diſsimulat, & conniuendo permittit: non quidem vt licitam, & crimine vacuam: tametſi ſint, qui vt ſuæ libidinis ſtimulis patrocinentur, fornicationem naturale peccatum dicunt, parumq; per ſe habere mali, & à peccato mortali multum eſſe alienam, miſerè ſeſe interim decipientes. † Nam ſecùs teſtatur ipſa veritas Chriſtus, vt ſuprà: & Apoſtolus Paulus, ex verbis Dei, fornicatoribus regnum Dei negat, à quo ſolùm peccatum mortale excludit. Igitur velint nolint, fornicatio gratiam Dei excludit, & cum peccato mortali coniuncta eſt, vt etiam notat Panorm. in c. Inter opera, ad fin. 5 ext. de ſponſalib. Fornicatio † igitur nullo modo ſine peccato fieri poteſt. Imo iuxta ſententiam Ricardi ne per Dei diſpenſationem quidem licite fieri poteſt, quæ cum Dei iuſtitia ex diametro pugnet. Fornicatores enim omnes iniuſtitiam ipſo facto committunt, vtendo re non ſua ſed aliena, Attendant hoc fornicatores, adulteri, & omnes ſimiles, qui aut nullum, aut ſaltem leuiſsimum putant fornicationem eſſe peccatum, dicentes ex natura nos ad venerea eſſe inclinatos, & de his quæ ex natura nobis inſita ſunt, nec laudamur, nec vituperamur. Porrò ſi enarrare pergerem ſingulas aſtutias quibus hodie iuuentus lubrica in fornicationibus vtitur, nec tutum eſſet nec ſalutare, quare ab illis tempero, ne oleum camino addere videar.

CAPVT XCIIII.

De inceſtu.

Summę



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 94.

1 *Incestus in libidinis speciebus crimen grauissimum.*

2 *incestus fit cum* { *Sanguine carnali* / *Toro coniugali* / *Gradu fidei, & spirituali* } *nobis coniunctis.*

3 *Incestus punitio, variè capitalis est.*

4 5 6 *Incestus punitio ex* { *Iure ciuili* — { *Extra matrimonium.* / *In matrimonio.* } / *Iure Canonico* }

7 *Qui neptem cognoscit citra dispensationem, incestum committit.*

8 *Concubitus cum nepte* { *In matrimonio dispensato,* / *Per ignorantiam personæ,* } *non est incestus.*

9 *Incestus punitio est, &* { *Spiritualium* / *Secularium* } *Iudicum.*

Quanto

1 QVanto fornicatio eſt inter †venę rea crimina leuior, tantò inceſtus eſt ſuo ſcelere grauior. Eſt enim
2 inceſtus,† venerea peragere cum conſanguineis, cum affinibus, c. Lex illa, 33. q. 1. cum monachis, cum nonnis Veſtalibus, ac ordine Eccleſiaſtico inſignitis, gloſ.not.in c. Virginibus, 27.q.1.Item cum illis, qui nobis gradu & cognatione ſpirituali, & Fidei Sacramento in Baptiſmo, coniuncti ſunt, c. Si quis cum matre, 33. q.2. Et prohibitus quadruplici ratione. Primo, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per conſequens alijs conſanguineis. Secundo, quia perſonas ſanguine coniunctas neceſſe eſt adinuicem ſimul conuerſari. Tertio quia per hoc impediretur multiplicatio amicorum. Quarto quia cum naturaliter homo conſanguineam diligat, ſi adderetur amor, qui eſt ex commixtione venerea, fieret nimius ardor amoris, & maximum libidinis incentiuum, quod caſtitati repugnat. ex B. Tho. ſecunda ſecundę q. 154. art. 1.
3 Quiſquis† igitur hoc inceſtu ſe contaminat, is capitaliter puniẽdus eſt. Sed
4 diuerſimode: Nam † qui nefandiſſimo inceſtu cognouit matrem, ſororem, neptem, aut filiam: is multò ſeuerius puniendus eſt, quã adulteri: nempe, morte publica & infami, & omnibus deteſtabili, vt eius exẽplo terreantur cęteri, per text. in l. Si adulterium cũ inceſtu, & ibi Bart Angel. & Alberi. ff. ad le. Iul. de adulter. quia pœna inceſtus eſt per illum text. capitalis pœna, ſecundum gloſ. 1. ibi, & Iacob. de Bellouiſu, in ſua praxi. tit. de lenonib. in fin. per illũ text. & notatur in c.2. & c. Ex literis, ext. de eo qui cognouit cõſang. vxor. ſuę: & ſic patet, quòd imponitur grauior pœna pro inceſtu, quã pro adulterio: vt & colligitur ex d.c.2. & ibi gloſ. ext. de eo qui cog. cõ ſang. vxor. ſuę, vide d.l. Si adulterium cum inceſtu. in princip. & c. Adulterij
5 malum, 32.q.7. Contingit† autem inceſtum committi ſimul cum adulterio, aliquando ſine matrimonio, aliquando iuris errore: aliquãdo ſanguinis contaminatione, quæ ferè omnia admittunt ſuas diſtinctiones. Cæterum de pœnis omnifariam coïtus illiciti, extat optimus libellus ſeu tractatus Pauli Grillandi. Et tractatur in l. Si quis viduam, ff. de quæſtionib. Et Papinianus inquit: Si adulterium cum inceſtu cõmittatur: vtputa cum priuigna, nuru, nouerca, mulier ſimiliter quoque punietur: Id enim remoto etiam adulterio eueniret. d.l. Si adulterium cum inceſtu, ff. ad le. Iuliam de adulter. & §. Stuprum, per totum. Authent. de inceſt. & nefar. nuptijs, per totum, colla. 2. atque ita
6 iuxta iura ciuilia. † Pontificia autem iura iamiam dictos inceſtuarios puniunt pœnitentia publica, ad diſcretionem & prudẽtiam Officialium & aliorum Iudicum, d. c. Si quis cum
7 matre, 33. quæſtion. 2. Quiſquis† verò cognoſcit & polluit neptem ſuam, is certè inceſtum committit, etiam ſi eadẽ neptis matrimonio illi eſſet coniuncta: niſi certè in eo matrimonio
8 ipſi per † Summum Pontificem, hoc diſpenſatum eſſet: aut niſi iuramento ſe adſtringeret, quòd ante congreſſum venereum cum nepte, non præ-
9 ſciuiſſet fuiſſe neptem. †Porrò de hoc crimine inceſtus, cenſuras & iuſtitiæ ſpirituales & ſeculares, ſingulę in ſuis & ſibi ſubiectis cognoſcunt: propterea quòd inceſtus crimen ſit mixti fori.

CAPVT XCV.

De raptu.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 95

1 *Raptus Flandricè continet duo scilicet* { Vlauwe cracht ende Ontschakinghe.

2 *Raptus quid sit.*

3 *Raptus vt varius, ita punitio varia.*

4 *Crimina magna concernunt duo, & {Partem aduersam. Fiscum, vel Iustitiam.*

5 *In criminibus igitur* { *Offenduntur, &* { *Pars.* / *Fiscus.* } / *placanda sunt, &* { *Pars.* / *Fiscus.* } }

6

7 *Raptor (etiamsi cum consensu raptæ) remissionem impetrare debet.*

8 *Parentes raptum filiæ dissimulantes, puniendi sunt exilio.*

9 *Quando in raptu vis committitur.*

10 *Meretricibus, de vi conquerentibus, non est credendum.*

11 *Virginem in lupanari vi constuprans, non punitur criminaliter.*

12 *Meretricibus conuersis,* } *nulla vis inferenda est.*

13 *Concubinis,* }

14 *Rapiens impuberem, punitur exilio vel capite.*

15 *In raptu punitur* { *Voluntas,* / *Conatus,* } *vt factum.*

16 *Rapta non potest nubere suo raptori, ex iure ciuili.*

17 *Raptrices puniendæ sunt, vt raptores.*

18 *Sponsus sponsam rapiens, quomodo puniendus.*

19 *Maritus vxorem rapiens non est puniendus.*

20 *Meretrix virum rapiens, an punienda.*

PRiusquam pie Lector in hoc Capite raptus declarationem aggrediamur, priùs hoc te sci
2 re volo: apud Flandros crimen raptus, bifariàm intelligi, & distingui:
1 †nempe de eo crimine, quo alicui mulieri vis & violētia infertur ad actum venereum, quod crimen vocant (**vrau me cracht**) Deinde de eo crimine, quo mulier vi abripitur, & ad arbitriū Raptoris aliquò abducitur, vt ea (quia non licitè) saltèm illicitè potiri posset, vulgò hoc crimen vocant (**ontschaken**) Porrò hæc duo crimina, licèt vulgò in nostris regionibus, voce & re differant: in iure tamen eodem nomine appellantur, scilicet Raptus. Quocirca nos quoque vulgi diuersa appellatione dissimulata, vtraque crimina sub vno titulo, & capitulo Raptus declarabimus, quod iura eorundem distinctionem nullam ponant, sed ambo Raptum nominent. Est † autem Raptus, quoties mulier aut virgo improbè vel vi abducitur, vel vi corrumpitur, idque diuersimodè, vt ex
3 sequentibus punitionibus pernoscetis clariùs. Nam † quicunque virginem, viduam, religiosam, aut quamlibet aliam honestam mulierem aut rapit, aut ad actum venereum vim infert, is puniendus est gladio, & bonorum confiscatione, l. vnica, C. de rap. virginum, l. Raptores virginum, & in l. Si quis nō dicam rapere, C. de Episco. & cleri. Simili quoque pœna damnantur, quicunque aut consilio, aut fauore, aut ope vlla ad dictum raptum coadiuuerunt, d. l. vnic, §. Pœnas autem, & d. l. Raptores virginum. Nec excusaret, si

diceretur, aut si ipsa rapta diceret, omnia acta fuisse sua voluntate & consensu: quia nec ius, nec iustitia ipsa talibus excusationibus contenta forent: quòd huiusmodi commis-
4 sa, † & facta concernant non solum partem aduersam, & conquerentem: sed etiam concernant ipsam Iustitiam, vel Fiscum, iustitiæ legalis partem alteram. Cui Fisco aut Iustitiæ non ob id satisfactum est ilico de illata iniuria, cùm partis aduersæ vni in eo crimine satisfactum fuit: 8 hoc enim indubitatum habeas pie Lector oportet, quòd in materia delictorum, ex crimine duæ nascantur actiones, hoc est, duabus † personis in
5 fertur iniuria, ob quam vtraque se- 9 orsum, contra factorem litem intendere aut apprehendere potest, & de iniuria illata conqueri: Vna persona est pars aduersa, & primò læsa, quæ damnum & damni reparationem reposcere potest. Altera persona est Fiscus, vel ipsa Iustitia læsa, quæ item damni sui, hoc est, iustitiæ & de decoris reparationem, imò iniuriæ illatæ vltionem exposcit. Sunt præterià † hæ duæ personæ in patratis cri-
6 minibus ita sibi vnita societate coniunctæ, vt neutra sine altera plenè, validè, & efficaciter placari possit, nec altera sine altera in totum satisfieri velit. Quocirca non potest se quisquâ excusare, si priori personæ, id est, parti aduersæ satisfecerit, neglecta parte altera, hoc est, Fisco seu Iustitia. Nam hæc, dissimulata prioris partis placatione, in lite sua criminosa procedet, non seçùs quàm si neutri personæ satisfactum esset. Nam etsi altera persona condonat, altera tamen in sua actione permanet, sicuti in alijs quoque locis superioribus subinde dictum est. †
7 Porrò postquam raptor, raptam cognouerit, & si rapta dicat omnia acta fuisse cum sua voluntate & consensu, per istius tamen excusationem nequaquam exonerantur factores à iustitia (sicuti & iam prædictum est) sed sunt capitaliter punibiles, & nullo modo excusandi & absoluēdi, donec & quousque habuerint aut acquisierint à Principe delicti remissionē & indulgentiam, & deinde remissionē illam cum vera confessione, & in decenti forma interinarint. Paren
8 tes † verò nō prosequētes raptum violentum seu violenter factum filiæ aut nepti, puniendi sunt exilio seu deportatione tanquam suspecti de illo raptu, d. l. vnica, §. Etsi quidē, ver. ni si etenim: Vim autem † in raptu tum
9 fieri intellige, quando mulier magno clamore implorauit alicuius opem & auxilium, isque clamor per aliquos auditus fuerit. Porrò si res contingat procul ab hominibus, in syluis, in foueis, in magnis agris, vbi vox oppressæ, non facilè à quoquam audiri posset: tum omnimoda fides de illata vi adhibetur mulieri cō querenti, si modò ea honestæ vitæ et famæ fuerit. Ad hæc seruiunt in simili notata Barba. in addit. ad Bald. in c. 1. §. Iniuria, de apost. Cardi. in c. ext. de adulter. Et quemadmodum statur iuramento virginis contra deflorantem, quod erat virgo: ita statur iuramento honestæ raptæ contra raptorem, quod erat rapta.
10 Nam meretricibus † atque alioqui inhonestis fœminis nunquam fides in vllo adhibenda est, nedum in delationibus criminalibus. Ideo ipsæ de oppressione violenta conquerentes, nunquam in iustitia sic audiendæ sunt, vt ipsarum accusationis gratia constuprator, aut violentiæ illator, vllo modo criminaliter damnandus foret.

Nam

Nam tales mulieres ſeſe omnibus priùs proſtituerunt, & quæſtus gratia ſe omnibus addixerunt, adeò vt nulli ſui copiam denegare poſsint: Phil. Decius in l. Inuitus ff. de Reg. iur. tales enim non ſunt dignæ legum laqueis innodari, l. Quæ adulterium, ad finem, C. ad l. Iul. de adult. Atque
11 †ob hanc quoque meretriciam ſuſpicionem (addam quod maius eſt) ſi in proſtibulis reperta ſit iuuencula comptula, laſciuiēs & quaſi meretricio habitu ornata: & contingeret, vt eam aliquis pro meretricula vi comprimeret, is certè compreſſor excuſandus eſſet, & nullo modo ob querelam iuuenculæ etiam criminaliter puniēdus eſſet: etiamſi ex ea compreſsione ſtuprum contigiſſet, hoc eſt, etiamſi ante compreſsionē virgo fuiſſet: quum enim in meretricio habitu & in loco meretricio reperta fuerat, pro vera meretrice omni iure cenſeri debebat.
12 †Verum enimuerò ſi contingeret tales meretrices poſtea è ſpurciſsima vita illa ad vitam honeſtiorem conuerti, & ſeſe ad matrimonium, aut ad monaſteriū addicere, vel ſe ad collegium beginarum adiungere, aut ibi ſaltem honeſtè habitare: tum nullo modo fas eſſet talibus meretricibus conuerſis, & honeſto in ſtatu viuentibus, vllam vim inferre, rapere, aut vi corrūpere, vt habetur in d. l. vnica. Salicet. ſecutus opinionem Cyni in d. l. vnica, dicit, quòd iſto caſu raptor ſubijcitur eiſdem pœnis, de quibus in d. l. vnica: quia ſufficit, quòd mulieres illæ honeſtè viuant tempore raptus: lex enim illa non requirit vitam præteritam, ſed præſentem duntaxat, hoc eſt, qualis eſt tempore raptus. Nam ſi tempore raptus tantùm aliqua reperta eſſet honeſtè viuere, eóque tempore ea ſic viuens raperetur, raptor crimen raptus cōmitteret, & pœnam incurreret, alias non: ita tenet Salice. in d. l. vnica, qui dicit, hoc eſſe de mente Cyni ibi. Adde Baldum in d. l. vnica. Imò ne
13 † licet quidem vim adferre concubinis ipſis, quæ ſeſe honeſtiùs aliquantò in ſuo concubinatu cum vno ſuo concubinario gerunt & viuunt, etiamſi in eodem concubinatu reperiantur ſecreto aliquando facere ſui copiam alteri, aut quæſtus, aut amoris gratia: nam tales concubinæ nō omnibus, & ſingulis ſe proſtituunt, ſed vni duntaxat ſuo concubinario, licet non ſatis ſemper fideli-
14 ter. Quicunq; † rapuerit iuuenculam ſeu puellam nouem aut decem annorum, & ſic nondum viri potentem, is punitur ſecundum nonnullos exilio: ſecundum alios, capite ſiue extremo ſupplicio, etiamſi crimen non impleuerit: Nam in hoc crimine ipſa voluntas punienda eſt, vt mox infrà, ita Ioan. Fab. in §. Itē lex Iulia, ibi: Item etiam maior pœna imponitur, Inſtitu. de publi. & videte D. Guidonē papæ, q. 555. vbi plenè ponit, quomodo
15 puniatur de iure. In hoc † namque crimine raptus, æquè punitur voluntas ſeu affectus, ſicut factum ipſum, ſiue ipſe effectus: nempe, cùm raptor aliqua ſigna externa voluntatis ſuæ oſtendit, quòd animum habuerit rapiendi: Imò in quibuſuis atrociſsimis delictis (de quorū numero haud dubiè raptus eſt) punitur delictum attentatum, etiam ſi non ſit ſecutus effectus, l. Si quis non dicam rapere, & ibi acutiſsimè hoc axioma elegantiſsimis & ſubtiliſsimis diſtinctionibus examinat ac diſcutit Cynus, C. de epiſ. & cleri. quem occaſionem nacti perlegite. Ideoq; qui iuit cum alijs armatis hominibus ad domum mulieris, vt illa vi ibi raperet: & ſi (quòd ipſam domi non inuenit) conceptum ſcelus peragere non potuit, tamen pu-

niri debet, ac si delictum consummasset, sequendo glos. Institu. vi bono rapto. quam etiam sequitur Anto. Corseti in singulari, in verb. vis. Et † qui 16 vnã iuuenculam rapuerit, ea non poterit suo nubere raptori de iure ciuili: & si illi nupserit, amittit omnia quę ab ipso habuit, d l. vnica: sed de iure Canonico potest rapta nubere raptori, ac matrimonium legitimè contrahere cum raptore: & si illi nupserit, matrimonium est firmum & validũ, nec perdit sua bona, quia ipso matrimonio sua bona conseruantur, c. Cũ causa, & c. fin. ext. de raptoribus. Nec statur in hoc dispositioni iuris ciuilis, de quo in c. Ad id quod, de sponsalib. & in c. Literas, de despon. impub. & D. Hyp. de Marsil. in d. l. vnica, numeris 190. 191. 192. 193. Priusquã tamen huic capiti finem imponam, nequaquam extraneum fuerit nonnullas subnectere quæstiones. Prima quæstio sit 17 hæc: Quum † iura pœnam raptus statuant raptoribus, quam pœnam statuere debent raptricibus? hoc est, mulieribus illis audaculis, quæ ipsis viris aut adolescentibus vim inferunt, & quasi ad sui concupiscẽtiam, & actum rapiunt, sicuti Genesis 39. quoque legitur, de vxore Pharaonis, quæ Iosephum castum ad illicita coëgit, & violentiam intulit: De mulieribus enim idem videtur iudicium, quod de viris. Ad hanc tamen quæstionẽ respondendum est, quòd mulieres ijsdẽ pœnis non subiacent in raptu, quibus viri: quia dispositio illius l. Vnicæ, non habet locum in muliere rapiẽte virũ: ex quo non viget eadẽ ratio iniuriarũ in hoc casu, sicut in alio: ita tenẽt Bal. & Salic. in d. l. vnica, & est communis omnium Doctorũ opinio. Nec absimile etiã dicendum est, in viro rapiente alium virũ causa libidinis, quia non comprehenditur sub d. l. vnica. Ita tenent Salic. & Bald. ibi. Altera quæstio: 18 An sponsus † sponsam propriam rapiens, puniendus sit? & qua pœna plectendus? huic quæstioni ad hunc modum faciemus satis, & respõdebimus, quòd de iure ciuili punitur ijsdem pœnis, sicut ille qui rapuit mulierem honestam, sibi nullo iure coniunctam, d. l. vnica, §. Quibus, & ibi Hyppol. de Marsil. quem videte. De iure autẽ Canonico, nulla pœna punitur sponsus, qui sponsam suam rapuit, cum qua priùs præcesserat nuptiarum consensus, c. Cum causa, extr. de raptorib. & ibi glossa, quæ meliùs hoc declarat, & notat. in c. Raptus, & in c. Lex illa, 27. q. 2. vbi id expressè probatur. Tertia 19 † quæstio sit: An maritus vxorem rapiens, & vim inferens, crimen raptus committat? & an ijsdem obnoxius sit pœnis, de quibus in d. l. vnica? Ad hãc quæstionem respondẽdum est: quòd ipse maritus raptor non subsit ijsdem pœnis, nec iure ciuili, nec iure Canonico: quia omnes Doctores concludũt, quòd maritus habet plenum ius in personam vxoris suæ: intelligite tamen de illa, cũ qua consummauit matrimonium, d. c. Cum causa, extr. de raptoribus, & l. finali, C. de liber homi. exhiben. & ita autumant & tuentur Bald. & Salice. in d. l. vnica, & Canonistæ in d. c. Cum causa. Quartò 20 † quæritur: An meretrix virũ rapiens, subsit dictæ dispositioni l. Vnicæ, C. de rapt. virgi. Angel. videtur affirmatiuam amplecti partem in d. l. vnica, narratq; se vidisse Florentiæ quãdam meretricem comburi ac cremari, eò quòd rapuerat quendam pulchrum iuuenem, quem accuratiùs examinate. Sunt & aliæ quæstiones in hac re permultæ, quas huc omnes referre prolixum fuerat: ideo eas hic breuitatis causa omittimus.

Caput

CAPVT XCVI.

De peccato contra naturam.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 96

1 *Grauissimum venereorum crimen est Sodomiticum.*
2 *Crimen Sodomiticum, naturæ prorsus est contrarium.*
3 *Sodoma in cœlum vocat.*
4 *Sodomitici criminis, species sunt triplices.*
5 *Species* — *Prima, quum quis secum venere abutitur.* — *eodem.*
7 *Species* — *Secunda quum quis venere abutitur cum alijs in sexu* — *eodem.*
13 *Species* — *Tertia, quum quis venere abutitur cum brutis.* — *diuerso.*
6 *Primæ speciei pœna.*
8 *Abusus* — *Veneris in eodem sexu masculino.*
10 *Abusus* — *Veneris in eodem sexu fœmineo.*
11 *Abusus* — *Veneris in sexu diuerso.*

9 Pœna { Masculini concubitus mutui.
12 Pœna { Omnium criminum 2. speciei.
1 Pœna { Criminum 3. speciei.
15 Quæstio, cur bruta puniantur.
16 In Sodomiticis non requiritur seminis emissio.
17 In Sodomitis punitur voluntas proxima, pro effectu.
18 Pueros furantium pro Sodomitico implendo, pœna.
19 In Sodomiticis sunt notanda quinque { Communis mortalium procluuitas.
Criminis detestabilitas.
Pœnarum enormitas.
Iuris tecta explanatio.
Pauli nuda detectio.
20 Caussa communis procluuitatis in Sodomitica.
21 Sodomiticorum detestabilitas.
22 Ob Sodomitica inferuntur nobis { Fames.
Pestes.
Bella.
Terræ motus.
Inundationes, &c.
23 Sodomiticorum testamenta, an rata sint.
24 An propter Sodomiticum fiat separatio tori.
25 Cur { Tam enormis infligatur Sodomitis pœna.
26 Cur { Iura tam tectè Sodomitica nominent.
27 Cur { Paulus tam apertè Sodomitica explicet.
28 Congressus cum infidelibus quadantenus Sodomiticus est.
29 Quatenus Turcas, bestias vocemus.
30 Congressus cum mortua, penè Sodomiticus.
31 Omnis congressus sine spe liberorum, innaturalis.

QVum paulò superiùs dixeramus, incestum ac raptũ in libidinum speciebus, multis alijs esse crimi-
1 na grauiora, omnium † nunc criminum venereorum tractabimus grauissimũ, & iure diuino pariter & humano detestabilissimum, vti Genesis 37. cap. & in Authent. vt non luxurientur contra naturã: quod vocant crimen contra naturam seu Sodomiticum: nempè quòd à Sodomis sacra Biblia testantur traxisse originem, & ob quod Sodomitæ ipsi igne cœlesti, & sulphure absumpti sunt, Genes. 19. cap. Aliæ enim omnes libidinum species naturales sunt, & à naturæ instinctu, & regula, & quodammodo à naturæ dictamine (licet non à ratione) proficiscuntur, hoc verò solum peccatum spretis naturæ legibus, imò extra naturæ cancellos violentè erumpens, ipsam naturam aperto Marte oppugnat, violat, cõfundit, & naturæ permissis regulis abutitur. Quocirca
2 † hoc ipsum peccatum naturæ condi-
3 tor & custos † Deus tã apertè sibi detestabile pasṣim proclamat, vt ipsius indignitatem & fœdam malignitatem cœlum vsque clamare, & indè sui vindictam exposcere dicat, Gene. 19. Cap. præalleg. Ob hoc crimen enim, si Methodio credimus, Deus diluuium induxit mundo: & duos Iudæ filios interfecit Her & Onan. Genesis 38. Si igitur Deo ita sit hoc peccatum odibile, multò magis exosum esse debet humanis

manis legibus, ſicuti in progreſſu huius Cap. clariùs etiam (Deo fauente) commonſtrabimus. Quocirca Iura, vt huius peccati enormitatem apertè declararent, per pœnas enormes illud quoque puniendum eſſe ſanxerunt, pœnas tamen ſtatuentes iuxta varietatẽ ſiue diuerſitatem ſpecierũ in hoc genere. † Tripliciter enim
4 coitus ſeu peccatum contra naturam (quod Sodomiticum vocant) committitur: nempè quum quis venerè abutitur aut ſecum, aut cum hominibus, aut cum animantibus brutis. Ex his ſpeciebus primum. Peccatum, grauius eſt: alterum grauius: tertium grauiſſimũ. † Primam igitur ſpeciem So
5 domiticam comittunt, quicunque ſe cum venerea ſecretò exercent, quod crimen Apoſtolus molliciem vocat, Latini verò magis propriè maſtuprationem nominant. Hos † itáque ma
6 ſtupratores damnant (propter fœdam enormitatem) aut exilio, aut alia pœna extraordinaria: ſi quidem factum & crimen tale ad Iudicis noticiam peruenerit: quod addo, quia rariùs talia crimina ad Iudicem perueniunt, ideoque rarius etiam puniuntur, nam cum talia fœda crimina clancularia & ſecreta ſæpius in ſecreta confeſſione ſacerdotibus committuntur, ibique meritò abſcondita perpetuò celantur, & rarò ob ſui fœditatem & pudorem ad alicuius notitiam erumpunt: ideo rarò quoque & ferè nunquam huius primæ ſpeciei punitio conſpicitur: nihilominus tamẽ horribilis,
9 & execranda: & ob hoc diuina punitione ſubinde grauiùs punitur. Secun
7 dam † Sodomitici criminis ſpeciem diximus, quum quis venere abutitur cum hominibus. Id autem fit bifari-
8 am, aut † in eodem ſexu, aut in ſexu diuerſo. In eodem quidem ſexu etiam bifariam, quando maſculus venerem exercet cum maſculo, l. Cùm vir nubit in fœminam, C. ad l. Iul. de adulter. & §. Item lex Iulia, de adulteriis, & ibi Angel. Inſtitu. de public. iudic. Quem beluinum & deteſtabilem furorem etiam in gentibus execratur diuus Paulus ad Romanos, primo Cap. appellans cupiditates ignominioſas. Nam (inquit) & fœminæ illorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, alius in alium, maſculi in maſculos turpitudinem ſeu fœditatem operantes, & perpetrantes, & præmium (quod oportuit) erroris ſui in ſemetipſos recipientes. Quod flagitiũ multis quoque in locis inſectatur Lucianus: Notat quoque idem nefas Liuius lib. 8. In Lucij Papirij creditoris libidine, qui C. Publio debitori ſuo ſtuprum inferre voluerat, & Fabius in milite Mariano turpiſſimum ac nefarium facinus ſatis ſeuerè & amarulenter exagitat: & licet is vir Romanus ſit, non grauatur tamẽ ipſos Germanos (vt qui tale nihil noluerint) à pudicitia commendare. Cæterum de Italorum illa effrenata libidine Benedictus Curtius in 24. Arreſto nonnulla percenſet. De hoc etiam peccato contra naturam vide in Authen. vt non luxurientur contra naturam, colla. 6. & d. l. Cum vir nubit in fœminam, C. ad l. Iul. de adul-
9 ter. De his † autem & de punitione ipſorum meminerunt ſacra Biblia: nempe Leuitici Cap. 20. Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriatur, ſit ſanguis eorum ſuper eos. Quam deteſtabile ſit hoc crimen innuit D. Paulus 1. ad Cor. cap. 6 dicẽs,

Maſculorum concubitores non poſſeſſuros regnum Dei. Et D. Auguſtinus enormitatem innuit, de adulteri nis cõiugijs, c. Adulterij, 32. q. 7. Et Lactantius, non habens odioſius vocabulum quo eos compelliret, eos li. 6. cap. 23. diuinarum inſtitutionum, vocat impios & parricidas Aut † quando mulier venerem exercet cum mulierẽ, l. Fœdiſsimam, & ibi gloſſ. & Salice. C. eodem tit. ad l. Iul. de adulter. ſecundum alteram lecturam gloſſæ argumento, d. l. Cum vir, quam ſequitur Cynus, qui dicit quaſdam mulieres fœdiſsima nequitia tentari, quę libidinem ſuã exercent in alias mulieres, eáſque inſectantur, vt viri, & cum gloſ. tranſeũt, Alberi. de Roſa, & Salice. vbi Albericus allegat textũ cum gloſſa, in Auth. de nõ eligen. ſecundo nubẽt. §. Cum igitur, circa finẽ, coll. 1. in verb. luxuri ẽtur: quæ dicit luxuriã cõmitti, ſi mulier cum alia fœmina agat, per d. l. Fœdiſsimã, & per tex. in d. Auth. vt non luxuriẽtur cõtra naturã. Quomodo autẽ tales Sodomiticę mulieres † puniẽdæ ſunt, apertè cõmoſtrat D. Nicolaus Boërius in ſuis deciſionib. aureis, q. 316. in 2. parte. Porrò in diuerſo etiã ſexu cõtingit homines abuti venere: id quoq; bifariè nõ in membro debito, aut nõ modo debito. Quomodo autẽ hi duo nouiſsimi modi peragantur, nõ eſt noſtrũ hic velle explicare. Turpiores enim & deteſtabiliores ſunt, quã vt cuiuis pio Lectori vlla ratione cõmitti debeãt. Sed ſingulis ſufficiat, nouiſſe taliũ criminũ indeterminatos modos, & puniendi rationẽ. † Puniũtur enim omnes huiuſcemodi ex receptiſsima cõſuetudine igni & incẽdio. Tertia ſpecies Sodomitica † eſt, atq; omnium horrẽdiſsima, quũ quis venerea exercet cũ animantibus brutis: hęc ſpecies prohibetur Leuitici 18. vbi dicitur: Cum omni pecore nõ coïbis, nec maculaberis cum eo. Mulier non ſuccumbet iumento, nec miſcebitur ei. Hoc autem peccatum † tam eſt execrandũ, vt Deus iuſſerit huiuſmodi Sodomiticos ſimul cũ ipſo bruto interfici, & ſimul comburi, vt Leuitici 20. Qui cum iumento & pecore coïerit, morte moriatur: pecus quoq; occidite: mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumẽto, ſimul interficiatur cũ eo. Et Exodi 22, Qui coïerit cum iumẽto morte moriatur: hæc itẽ in terminis probãtur in c. Mulier, 15. q. 1. Mulier quę acceſſerit ad omne pecus, & vult aſcẽdi ab eo, mulier & pecus morte moriãtur: Rei enim ſunt. Et c Reos, §. Qui coïerit, 23. q. 5. Verũ † hic oriri poſſet quęſt. à curioſulis: Cur pecora ipſa in hoc flagitio plectãtur, quę cõtra legẽ (cuius nõ ſunt capacia) nec peccarũt, nec peccare potuerũt? omne enim peccatũ oportet eſſe volũtariũ, & ex deliberato aïo proceder, qua voluntate & aïo carẽt animãtia bruta, ideoq; nec criminũ rea cẽſenda ſunt. Sed his reſpõdendũ eſt, ea animãtia bruta puniri nõ ob propriũ, ac internũ ſuum peccatũ cõmiſſum: ſed quoniã ea bruta inſtrumẽta fuere ſocia, cum quibus homines nefandiſsimum perpetrarunt nefas: ob quod horrẽda etiã morte poſtea plectũtur: ęquũ enim eſt, vt eadẽ inſtrumẽta, ſcilicet animãtia bruta, cum homine ipſo ſimul plectãtur. Indignũ enim eſſet & odioſum tale brutũ irrationale ſubſiſtere, & in cõſpectu hominũ verſari, ob q̃ miſera morte periiſſet homo rationalis: Ne igitur tale animal cõſpicã. ib⁹ odiũ & indignitatẽ incuteret: deinde ne hoc brutũ tali flagitio cõtam inatũ, tãti ſcẽleris ꝓpetrati diuti⁹ tã indignã memoriã refricaret (quã ilico abolitã oporteret) cẽſuerũt iura tale brutũ ilico cũ homine peccante

cãte absumẽdum esse, ne vlla post patrati sceleris punitionẽ memoria re-
16 maneret reliqua. Porrò in hoc † delicto atrocissimo nõ requiritur cõsummatio operis, aut seminis eiaculatio: sed ad crimẽ & punitionẽ sufficit voluntas proxima, & conatꝰ actui proximus: ita vt ré perfeciſſet, si potuisset, aut nisi aliquod impedimẽtũ interces-
17 sisset, si potuisset. In his eĩm † conatibꝰ actui proximis punitur volũtas coinquinata pro effectu, & delictũ attẽtatũ delicto cõsummato, vt in l. Si quis nõ dicã rapere, & ibi Scribent. C. de episco. & cleri. Et l. 1. §. fin. ff. de extra
21 ordin. criminib. & c. Vt clericorum, De vita & honesta. cleri. &c. Clerici,
18 de excesib. prælato. Quocirca etiã † quicunque pueros, aut adulescentes furãtur aut rapiunt, vt cum eis suam innaturalem hãc venerẽ exerceant, hi profectò etiamsi actũ nõdum perfecerunt, plectẽdi sunt vti superiores: & si actũ cõsummauerint, puniẽdi sunt ambo. Atq; hęc de veris Sodomitis dicta sufficiant. In † quibus pie Lector
19 quinque potissimum obseruare teve lim: nẽpe, cõmunẽ in his procliuitatẽ, sceleris detestabilitatẽ, grauissimũ supplicium, iuris tectã explanationẽ, & reuerentẽ in modis nominationẽ, & Apostoli Pauli apertã criminis de-
20 tectionẽ. Quod igitur † homines his Sodomiticis perpetrãdis addictiores sunt, & ad tantum malũ præ cæteris propensiores, ex vehemẽtiori cacodęmonis tẽtatione prouenit. Scit enim humani generis perpetuus hostis diabolus, hoẽs per fidem & charitatem potituros cœlesti fœlicitate, qua ipse sese indignum fecit, & seipsum priuauit: quod ipsum tantopere torquet, & eũ ad tantæ fœlicitatis inuidiã acuit, vt nihil non intẽtatũ relinquat, quò à tãta fœlicitate humanũ genus remoretur, pręcludat, & impediat. Sed quũ nullũ cõmodius & cõpẽdio sius impedimẽtum sua tartarea bilis excogitare potuerit, quam si efficere posset, vt pauculi homines nascerentur, imò si omnem sobolis humanæ propagationẽ impedire posset (quod per Sodomitica cõtingeret) huc omnibꝰ neruis cõtendit, vt cũ in omnibꝰ alijs vitijs hoĩm animos labefactet, in hæc Sodomitica vel oĩm maximè vigilet, hęc hominibus suggerat, & ad ipsorũ cõcupiscẽtiã & perpetrationẽ incẽdat & inflãmet. Hęc mihi visa est potissima causſa, cur homines æquò ad dicta Sodomitica sint propen-
21 siores. Sũt † tamẽ nihilo minùs ea Sodomitica crimina oĩm profecto pessima, execranda, detestabilia, & indigna quę inter Christianos vel semel nominari debeãt, aut in cogitationibus versari: vocãt enim ob hoc Sodomiticos, filios diffidẽtiæ, quasi de ipsorũ salute penè diffidẽdũ sit, c. Clerici, de excesib. pręlato. & ibi voluit glos. fa. c. Deꝰ omnipotẽs. 2. q. 1. c. Flagitia, 32. q. 7. c. Sed, de pœnitẽt. distin. 1. Et ius ciuile in d. Auth. vt nõ luxurientur contra naturã, circa fin. l. 1. §. Remouet, ff. de postulãd. vbi illi etiã gẽtiles, qui Iesum Christum & verũ Deum nõ cognouerunt, huiusmodi tamẽ facinus vltimo supplicio affici voluerunt. Quin & sacra Biblia hæc crimina pessima vocarũt. Accusauit eos (inquiũt) Ioseph crimine pessimo, Geneſis 37. & ibi peccatum eorum aggrauatũ est nimis. Geneſis 18. Crimine pess. quod nonnulli Doct. asserũt fuisse hoc vitiũ Sodomiticũ, Cæterum alij dicunt fuisse inuidiã & odiũ fraternũ, nec credũt tãtos patriarchas tã horrẽdo vitio fuisse inquinatos. Quãquam Chrysost. contrariũ legat videlicet quod ipsi fratres apud patrem ex inuidia mendaciter accusarunt Ioseph crimine pessimo. Sunt qui legunt retulit patri ruinam eorum pessimã, vt vt sit istud nephas

Quod

22 Quod † tam execratur Deus, vt ob id (teſte Pontifice) ſæpe immittat in filios diffidentiæ fames, peſtes, bella, terræmotus, inundationes, atque alias id genus plagas generales, confirmat text. in d. c. clericorum, ext. de vita & honeſta. cleri. c. Adulterij malum, 32. q. 7. d. c. Flagitia, c. Offerebat Loth, c. Clerici, de exceſſib. prælato. tex, in d. Auth. vt non luxurientur, colla. 6. Et in c. Qui puero, de pœn. diſtinct. 1. & §. 2. inſtitu. de public. iudic. Et d. l. Cum vir nubit in fœminam, & l. Fœdiſsimã, C. ad l. Iuliam de adult. Deteſtabilitatem præterea confirmat Andreas Barba. in conſilijs ſuis, conſilio 64. (quod vltimum eſt) in primo volumine, vbi etiam poſt illud conſilium ponitur diſputatio Anaſtaſij Pluti, an ſcilicet ob criminis iſtius enormitatem Sodomita teſtari poſſet, hoc eſt, teſtamentum
23 condere: Deinde ob † criminis grande nefas in dubium vocat, & in d. con-
24 filio amplè diſputat: An propter † peccatum Sodomiticum fieri poſſet ſeparatio tori, hoc eſt: An vxor maritum quoquo modo Sadomiticum (vel erga ſeipſum, vel cum aliquibus alijs) poſſet iure dimittere, aut contrà, vti iſthæc Lectori videre licebit. Tertio notanda eſt ſupplicij magnitudò:
25 † Cum enim hoc peccatum ſit omnium maximum & execrandum, non ſimplici & leui morte puniendum eſt, ſed maximis ſupplicijs, & execrandis modis, ad terrorẽ aliorũ mulctandum eſt. Puniuntur enim (vt dictum eſt) omnes Sodomitici (exceptis mollibus, in prima ſpecie) incendio ignis: alij viui, alij priùs ſtrangulatione enecti, pro qualitate perſonarum, factorum, & circunſtantiarum. Quin & Imperator quum in d. l. Cùm vir, admodum exclamaret & iraſceretur tantæ turpitudini, ex iuſtitiæ zelo in hunc modum prorumpit: Iubemus inſurgere leges, & armari iura gladio contra huiuſmodi facinoroſos homines, qui audent naturæ ordinem peruertere, adeo enim turpe ſcelus eſt, vt minimè expediat cognoſcere, & nefas potiùs ſit de ipſo loqui, & diutius ſermonem facere, hinc iura quoque (vt Quartum explicemus) pu
26 diciſsimè, † & cum omni verecundia & reuerentia de hoc crimine nefario loquuntur, & tam tectè, vt nihil offendiculi lectoribus offunderent: Putabant enim ſatis eſſe, ſi rem tam horrendam, & pellicibilẽ Iudici quocunque modo inſinuarint. Ideóque malebant crimen peſsimum tectè, & cum inuolucris, cum verborum puritate, & caſtimonia, & ſine offendiculo prodere, quam apertè ſine prudentia & iudicio citra delectum cuiuis nudè & cum ruina conſcientiæ, & bonorum morum iactura effundere.
27 Non tamen ob † hoc taxandus Apoſtolus Paulus (hic Quintum obſerua) qui tam apertè quibuſuis hoc crimen depingit, vt nemo poſſet apertiùs, vide ad Romanos c. 1. vbi ait: Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes: quomodo (inquã) potuiſſent Sodomiticum abuſum clariùs demõſtrare? Quod certè non temere ab Apoſtolo factitatum eſt, ideóque tibi erit expurgatior, ſi cauſam tam apertæ demonſtrationis propius inſpexeris. Nam vt in re lubrica caſtiùs loquendum coram virgunculis, & tectiùs loquendum cum ijs qui eius lubricitatis nondum ſunt capaces, aut conſcij: Apertiùs autem, & aliquanto etiam inuerecundiùs, ſi ſcortũ ab errore

cone-

coneris reducere, aut si cum rerum lubricarum expertissimis sermonem feceris: Ita Paulus quoque in alijs locis castiùs, & cautiùs de hoc crimine meminit: Ad Romanos verò, quos sciebat in hoc nefario scelere esse exercitatissimos, adeò vt hoc sine fronte & conscientia passim committerent, no-
30 luit profecto leniter illorum conscientias pungere, & leuiuscula rei denominatione ipsos à scelere retrahere: quũ sciebat se hac via parũ profecturum. Sed duriùs ipsos obiurgabat, & apertè ipsorum probra in faciem obiecit, vt vel naturali pudore cõpuncti coërcerẽtur, qui internæ consciẽtiæ metu, forsan resipiscere detrectassent. Atq; ita hactenus de veris Sodomiticis, cũ suis quinque annotationibus. Priusquam†tamẽ hoc caput absoluamus,
28 notanda tibi fuerit candide Lector, & alia quædam species cũ Sodomiticis quiddã affinitatis habẽs, & pro Sodomitica condemnata: re tamen à vero Sodomitico multum aliena: quum nec vsum Sodomiticum & innaturalem, nec naturam Sodomiticam vllo modo referat: sed tamen consideratione nostræ fidei, pro vera Sodomitica iure habetur, & tanquam Sodomitica in iure dãnatur: veluti cũ quis na-
29 turali venere vtitur cum Turcis, †Saracenis, aut Iudæis. Nam huiusmodi omnes, Iura & religio Christiana nõ secùs, quàm bestias (non quidem natura, aut rationis vsu, & communi vocatione, sed ob procacẽ malitiã, qua fidẽ christianã (sine qua nemini salus promittitur, apertè oppugnãt) negligunt, fastidiũt, oderunt, & cũ ijs cõgressum, cohabitationẽ, & omne cõmercium prohibẽt, nedum actũ venereum cum eis exercere interdicũt, qui actus intimi amoris symbolũ refert, quiq; pro fœdere humanæ, atque adeò Christianæ charitatis meritò debet procedere, non ex beluina, & illicita extra cõstitutos terminos libidine, l. Nequis Christianã, C. de Iudæis, & c. Quãto, & ibi Ab. Sic. & Prępositus Mediolan. alias Card. Alex. De diuort. & text. in c. Caue Christiané, 28. q. 1. & c. Si quis Iudaicè, ea. caussa & q. Postremò cùm †libidinum species absoluere statueram, casu incidit in memoriã execrandus ille libidinis ardor, quo quidam fœminam cognoscũt mortuam. Primò dubitabã, ad quam libidinum speciem reducere potissimum conueniebat: sed quum ad nullam superiorum propriè spectare debeat, aptissimè ad Sodomitica reducendum esse
31 tandem statui. Sunt † enim multi qui putant omnem congressum, qui non liberorum gratia fit, non esse secundum naturam, sed omnino vitiosum & culpabilẽ, inter quos sunt beatus Gregorius, Ambrosius, & Hieronymus: apud iuriscultos quoque inter recentiores Marius Salomonius. Omnes tamen Theologi aiunt congressum matrimonialem esse meritorium & virtutis actum. Primò, si caussa prolis procreandæ ac religiose educandæ fiat. Secũdò, si fiat caussa reddendi debitum alteri coniugũ, quia tunc actus est iustitiæ. Vxori (inquit Paulus) vir debitum reddat 1. Cor. 7. Tertiò si fiat causa vitandæ fornicationis in altero, quam aliter cauere non potest, quod si fiat causa vitandæ fornicationis in seipso, quamuis huiuscemodi congressus non sit meritorius, est tamen licitus, nec est peccatum, secundum Augustinũ. Et Pau. 1. Cor. 7. propter fornicationem, ait vnusquisque suam vxorẽ habeat: & vnaquęq; suum virum habeat: hoc est, Vir ad vitandam fornicationem vtatur sua vxore: sua (inquit) non aliena: Et contra, vxor suo marito. Concedit igitur ob vitandam fornicationem congressum

greſſum illum matrimonialem: quod nequaquam faceret, ſi eſſet peccatum. In alijs caſibus, præter hos, huiuſcemodi congreſſus, aliquando veniale peccatum eſt, aliquando mortale. Sed de his ſatis: Cæterũ vt ad propoſitũ redeamus vnde digreſſi ſumus. Certè innaturalis prorſus eſt iſthæc veneris agitatio, nec ſcopũ, nec finem, nec modum naturalis veneris ſeruans: ſed ita venere cum mortuo cadauere abutitur, non ſecùs, quàm ſi cum ligno aut lapide coierit. Quocirca grauis deberet eſſe iſtius quoque ſceleris punitio, & non admodum abſimilis, quã eſſet eius qui alterius corporis violator eſſet, iuxta legem fin. C. de ſepul. viola. ibi. Si corpora ipſa extraxerint, vel oſſa eruerint, & c. Quare ſi huiuſmodi fuerint vilioris conditionis perſonę, vltimo ſupplicio punientur: ſi verò honeſtioris fuerint conditionis, in inſulam deportantur, aut alias relegantur, aut in metallum damnantur: certè ob nullam aliam cauſſam, quam quòd tam fœdè mortui corporis pudicitiam contrectauerint & contra naturam abuſi fuerint, l. Sepulchri deteriorem, ibi, corporibus non contrectatis, ff. de ſepulch. viola. Et D. Nicolaus Boërius in ſuis deciſionib. aureis, q. 316. in 2. parte.

De vi publica. CAPVT XCVII.



Summæ

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 97

1 Vbilibet locorum.
2.10 Inuasione armorum: vel oppressione. } Promittenda.
3 Cogendo ad damnosa, vel ——— } Facienda.
4 Violenta adductione.
5.7. Pub. vis fit { Violenta retardatione à iustitia.
6 Cogendo Iudicem ad iniquam sententiam.
8 Congregando milites pro oppressione alterius.
9 Infractione ostiorum vel fenestrarum.
11 Quæ arma dicenda sunt in vi publica.
12 Publica vis cum armis { Citra occisionem, punitur exilio & confiscatione.
13 Cum læsione vel morte, punitur vt iuris est.
14 Vi expulsus sua possessione { Sine armis { contra expulsorem agere potest { Ciuiliter.
15 Armis { Criminaliter.
16 Iudex ad vim publicam puniendam dissimulans, puniendus est ipse grauiter.
17 Aliæ pœnæ de vi publica in Iure ciuili: aliæ in Iure Canonico.

EXplicatis vtcũq; venereis criminibus, ad alia deinceps procedendũ est, ac primo de vi seu violẽtia public.

1 †Publicã autẽ vim vocamus, quoties alicui vis infertur publica, vel in do-
2 mo suã, vel in plateis: nẽpe †quum publicã violentiã inferũt, aut armis, aut
3 alio impetu, & vi aliquos † cõstringũt quippiã polliceri, aut quippiã facere,
4 quod effet cõtra iustitiã: Aut † quando aliquis vi aliquo pertrahitur contra
5 ipsius voluntatem: Aut † quãdo alquis violẽtè remoratur aut præpeditur, ne ad statũ diẽ iuridicũ tẽpori perueniat, vt ob hoc iustitię iacturã tandẽ faciat, l. Lege Iul. ff. ad le. Iul. de vi publi. Aut
6 † certè quando Iudex violentè cogitur proferre sententiam contra æqui-
7 tatem iustitiæ. Postremò † si quispiam ita externis impedimentis alium circumueniat, & retardet, vt is circũuentus suæ iustitiæ iacturam facere cogatur, aut à sententia sua saltẽ retardetur, l. Qui dolo malo, ff. ad le. Iul. de vi
8 public. † Aut quãdo quis cogit & congregat auxiliares milites ad oppressionẽ alterius, aut ad occisionem, aut ad seditionem in populo excitãdam, l. Qui cœtu, ff. ad le. Iul. de vi public.
9 Aut quoties † quis violentè infringit foresaut fenestras. In summa verò,
10 † vim vocamus pulicam, quoties aliquis armis opprimitur, aut ipsi armis vis infertur, §. Itẽ lex Iulia de vi publica, Institu. de public. iudic. Arma † autem in vi publica iura intelligunt omnia ea, quibus aliquis noceri, lædi, vulnerari, aut occidi potest, l.
12 Armatos ff. ad l. Iul. de vi pub. † Quoties igitur alicui vis infertur armis huiusmodi, citra occisionem tamen: tum is publicæ violentiæ illator, publico & perpetuo damnandus est exilio, cũ cõfiscatione bonorũ, l. 1. & 2. C. ad l. Iu. de vi pub. vel priua. l. 1. 2. & 3. ff. ad le. Iul. pecul. & in glos. 1. in c. 1. ext. de
13 ord. cognit. Verũ † si cũ vi coniũcta sit corporalis læsio, aut mors, hoc est, homicidium, raptus, & similia, tum factor ipse puniendus fuerit, vt iuris est. Nam pro qualitate illius criminis, & vim publicam committentes, & ipsorum fautores puniẽtur, de quo plenè per Docto. in le. Quoniam multa facinora, C. ad le. Iul. de vi public. vel priuat. & d. le.

Qui

Qui cœtu, §. Qui vacantem, ff. eo. ti.

14 Porrò †si quando quispiam, vi expellitur sua possessione: tum ille, cui vis infertur, iure contra violentiæ illatorem agere potest ciuiliter pro possessorio, & priorem suam possessionem

15 iure recuperare, si posset. Si verò †hãc vim quis intulerit armis, tum offenso contra offensorem agere licebit pro pœna subeũda, iuxta le. Iul. de vi pub. quæ pœna est iamiam prædicta l. 3. ad fin. ff. ad l. Iul. de vi publ. Cæterùm

16 †quisquis Iudex de hoc violentiæ illatæ crimine nullam iustitiam fecerit, sed aut punitionem distulerit, aut sententiam ferre neglexerit, aut in eo crimine volens sciensq; dissimulauerit, aut punitionem debitam non inflixerit: is Iudex fit infamis, & ob hoc priuandus suo officio, & omni officio deinceps inhabilis: deinde ex iure damnandus est pœna centum librarum auri, l. fin ad fin. C. ad le. Iul. de vi public. vel priua. Quisquis autem ampliora de hac materia scire desiderauerit, quibus modis vis publica cõmittatur: certè breuior vel clarior cognitio haberi nõ potest, quàm ea quã exprimunt textus 12. paruarũ legum, ff. ad le. Iul. de vi public. vbi modi & casus, quibus committitur vis publica, sigillatim enumerantur. Sed hic forsan mihi aliquis dixerit: supradi-

17 ctæ pœnæ †sunt omnes pœnæ ciuiles, quomodo igitur puniuntur Iure Canonico? Respondendum est, non esse prorsus easdem pœnas pro illata violentia, atque alijs criminibus publicis, & infamantibus, in foro Ciuili, & in Iure seu foro Canonico: Quandoquidem clerici vim publicã committentes, excommunicari possunt, donec emendentur, & præterea deponi pro offensa publica: pro quo faciunt quæ leguntur & notantur in c. Veritatis, ext. de dolo, & contu. & in c. Inquisitionis, & in c. Qualiter & quando, ext. de accusat. & in c. Licet Hely, ext. de simonia, & quæ notantur in c. Generali, de elect. lib. 6. & in c. At si clerici, & in c. Cum non ab homine, ext. de iudic.

CAPVT XCVIII.

De pignorationibus (vulgo) repræsalijs.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 98

1 *Repræsaliarum Etymologia.*
2 *Repræsaliarum origo & ratio.*
3 *Repræsaliarum permissio quando.*
4 *Ab extero Principe quando negatur iustitia.*
5 *Repræsaliæ non dantur contra Iudicem appellationis.*
6 *Repræsaliarum literæ quatenus iustæ dicantur.*
7 *Repræsaliarum permissio ex varijs authoritatibus.*
8. 9 *Repræsaliarum caussæ.*
10 *Grauem iacturam passis.*
11 *Repræsaliæ tan-* *Iacturam plenè probantibus.*
12 *tum conceduntur* *Verè Principum subditis.*
18 *Principum subditis tempore damni illati.*

Qui



13 *Qui verè ſunt Principum ſubditi.*

14 *Studentes in academijs.*
15 *Priuilegiati & tamen* — *Studentium ſubſidiarij bedelli.*
16 *Principum ſubditi ſunt* — *Stipendiarij Principum.*
17 *Conſiliarij Principum.*

20 *Subditum eiuſdem Principis.*
19 *Subditum factum, poſt damnum paſſum.*
21 *Mulieres, Clericos, Studentes, &c.*
22 *Repræſaliæ non dantur contra* — *Legatos.*
23 *Euntes ad priuilegiatas nundinas.*
24 *Peregrinantes ad loca celebriter ſacra.*
25 *Mercatores, nautas, vi aliquò impulſos.*
26 *Perſonaliter citatos.*

27 *Repræſaliarum literis vtendi ratio.*
28 *Repræſaliarum executio per officiarios Principis.*

29 *Repræsaliarum ius quibus permissum.*
30 *Repræsalias, malè impetrantes, & abutentes, puniuntur* { *Quadruplò, cum perditione causſæ.* / *Resolutione omnium damnorum.*
31

QVoniam proximè præcedenti capite de vi publica peractum vtcunque fuit, non putaui hic silentio pertereundam vim illam, quam exteræ nationes, exteris alijs, temporibus pacis inferunt: quam vim publicam, prædationes vocant, aut rapinas: & grauissimè tum à proprio, tum à quouis alio Iudice puniendæ sunt, vt infrà suo loco de rapinis, & alibi. Quocirca hoc † loco nihil de prædationis crimine mihi enarrandum putaui, quàm mutuam illam ac vicissitudinariam vim publicam, quam repræsalias iura compellitant, quasi reprædationes: non quòd repræsaliæ peculiaris species sint criminis: sed eatenus de ijs hic priuatum caput ponimus, quatenus violentiæ publicæ, (quę criminum est species) punitionem in se continent, & de suorũ subditorum illata iniuria iustitiam exprimunt: sunt enim omnes repræsaliæ ad hoc concessæ, vt vis publica aut puniatur, aut inferenda inhibeatur, aut vt offenso iustitia administretur. Ideo de his tantum hoc loco dicendum, & quomodo, & quando, & quatenus eas iura permittant, iuxta, illud Ethnicorum (vim vi repellere licet) de his igitur pignorationibus seu repręsalijs hęc accipe. Sit quispiam exteræ nationis vi publica tempore pacis, mea eripiat, aut in terris, aut in mari: adeundum fuerit mihi ad illius exteri prædatoris vel raptoris propriũ Principẽ, atq; ab eo restitutio meorũ bonorũ iure reposcẽda. Quã si is Princeps mihi ita iustitiam requirenti neget, aut æquò diutiùs differat, aut dissimulet, adibo ad propriũ Principem meum, imploraturus illius opem, iuuamen & patrocinium, vt sua authoritate, & gratia mihi literas concedat ad illum Principem exterum, quibus requirat & expostulet mihi fieri iustitiam, & bonorum vi per ipsius subiectos ereptorum, restitutionem. Quam restitutionem, si secundò is Iudex mihi detrectauerit, & adiudicare distulerit, redeo secundò ad Principem meum, ipsi exteri Iudicis constantem iustitiæ denegationem exponens, probans, ab eo requirens, & humillimè ob id ipsum obsecrans, vt alio modo per suam ipsius authoritatem & potentiã mihi tandem meorum ereptorum bonorum restitutio cõtingat, hoc est, vt mihi literas dignetur largiri repræsalias, quibus scilicet mihi concedat, & potestatẽ faciat, à quibusuis illius exteri Principis subiectis, in sua ditione existẽtibus, recuperationẽ bonorum meorũ requirere, eósq; comprehendere, ipsorumq; omnia bona arrestofistere, eáq; posse diuẽdere, donec mihi ad summã ereptorũ satisfactum fuerit. Atq; huiusmodi † literas repręsalias post ꝓbationẽ meã meus Princeps mihi tũc ilicò cõcedet, ad modũ, causſam, & vsum ꝓscriptũ, vt scilicet subditorũ bona diuẽdẽdo, mihi vel hoc modo satisfiat: quũ aliter ad meorũ restitutionẽ p ęquiorẽ iustitiã peuenire nequeã. Verũ hic intelligas † oportet, tum mihi ab extero Principe negari iustitiam, quãdo prędatoris Princeps neglectui vel potiùs cõtemtui meã habet querimoniã, adeò vt eam dissimulet, & iustitiã mihi adiudicare negligat, aut varijs futilibusq;

dila-

1 2 3 4

dilationibus me ſemper procraſtinet, aut vana quapiam ſententia, eáque
5 iniqua me abigat. Atq; hoc vltimum† potiſsimum de Iudice non appellationis intellige, hoc eſt, qui non haberet ſuperiorem, ad quem ob denegatam iuſtitiam, mihi appellare conceſſum eſſet. Nam ſi is denegans Iudex, eſſet Iudex appellationis, tum non darentur mihi literæ repræſaliarũ à meo Principe. Sed tunc mihi ius relictum eſſet aliud, & eundem ſcilicet Iudicem per appellationem ad ſuperioris Iudicis tribunal, de iniquitate ſententiæ pertrahendi conceſſa poteſtas, atque ab eo ſuperiori Iudice ius meum repoſcendi. Quam iuſtitiam ſi is quoq; mihi negauerit, tum vt prius mihi recurrẽdum eſſet ad meum Principem, pro impetratione literarum repræſaliarum, vt dictum eſt iam prius. Atq; hanc rerum æquitatem & iuſtitiam, iura vocant pignorationẽ, quam noſtro vulgari idiomate nuncupant, letteren ofte briefuen van marcke. † Porrò hæc qualiſqualis repræſaliarum æquitas, multis forſan videbitur plùs æquò rigoroſior, atque plus etiam habere violentiæ quàm æquitatis ac iuſtitiæ: nempe, quod ob incommoda noſtra, quæ à ſceleratis prædonibus paſsi ſumus, viciſsim nos vindicamus & armamus legũ authoritate & permiſſu, ad alium quemlibet etiam innocentiſsimum ſpoliandum, prædandum, & ad ipſius bona diuẽdenda, donec nobis abundè ſatis factum fuerit, nempe vt alterius innocentia pœnam luat alterius ſceleratæ innocentiæ: & vt quiſpiam vir innocuus mihi vi legum conſtrictus compenſet, & ſoluat damnum, quod ſceleſtus aliquis mihi contra omnem iuſtitiam intulit. Mihi autem quales eæ leges videantur, non eſt hîc velle definire: hoc tantùm addidiſſe contentus ero, quiſquis tales leges ſanxerit, eas ſibi non ex ſpiritu Euangelico ſuggeſtas, qui vim vi repellere prohibet, & alteram maxillam percutienti, iubet præbere alteram: & alibi, omni malo reſiſtere vetat: ſed ex carne potiùs, & ſanguine inſtinctas eſſe crediderim. Tametſi eas leges omni iure permiſſas eſſe vtcunque probare potuiſſem, diuino, Iure gentium, vel ratione naturali, Iure ciuili, Iure canonico, Iure conſuetudinum, & conſtitutionum particularium: vti videre erit apud D. Iacobum à Canibus, in tractatu ſuo Repræſaliarum, & apud Bart. in ſuo etiam excellentiſsimo tract. Repræſaliarum, & apud S. Thomam, ſecunda, 2. q. 40. quæ breuitatis gratia Lectori legẽda committimus. De æquitate autẽ quid ipſe cenſeam, hîc ne verbulum quidẽ amplius, quando eas leges, ipſa iura ex confeſſo ob dictas cauſſas ſatis permiſſas adſtruant, iurium hanc æquitatem omni iure (vt ſuprà) compro-
6 bantes. Quum enim † omnis iuſtitia 7 eſt rationalis æquitas, hoc expoſcit, vt ſingulis tribuantur ſua, & omnibus ablatorum fiat reſtitutio: deinde quum iuxta prędictas rationes nulla fiat offenſio, & ſpoliatio per iuſtitiam reſtitutio, ſed vi innocenti denegetur iuſtitia: ordinauit & permiſit ipſa lex & iuſtitia alium modum iuſtitiæ, & malo nodo, malum obijcit cuneum, vt vim vi repellat, & quod amore iuſtitiæ fieri non potuit, ſaltem vi ad æquitatem ſuam quis perueniat. Et licèt hoc cum innocentis & priuatæ perſonæ fiat iniuria, fit tamen cum qualicunque iuſtitia illius totius communitatis, cuius is innocuus, pars eſt & membrum: & ideo, quia commodiorem rationem iuſtitia inuenire non potuit, hac ratione per repræſalias vti tandem coacta eſt, duabus fere ex cau-

sis. Primò, vt suo subdito faueret potiùs quàm alieno, & iniuria potiùs sineret affici exteros, quàm suos sub-
8 iectos. Deinde, † vt ex harum repræsaliarum permissarum consideratione, diligentiores essent exteri Principes, & faciliores ad faciendam iustitiam aduenis, peregrinis, & exteris: & ne tam facilè vicini Iudices vicinis Iudicibus officerent & incommodarent, néve tam facilè sinerent suos grassari extra bellorum tempora in peregrinos mercatores: vel ob hoc, ne si in hac forent negligentiores, totum damnum tandem in suos subditos recideret, & forsan in eos, quos maximè præ cæteris
9 amarent. Verum † enimuerò in hoc negotio ascito varia requiri, vt repræsaliæ à Principibus largiantur. Primò enim necessum est ingentem esse iacturam, & graue damnum sui subditi, ob quod meritò repræ-
16 saliarum authoritatem suo subdito permitterent. Ob leue enim, paruum seu modicum dispendium, nulli æquum est repræsalias literas expedire: quoniam sicut remedia subsidiaria & odiosa (qualis est in integrum restitutio) non competunt
17 pro re modica, l. Scio, ff. de in integr. restitu. & l. Si oleum. §. finali, ff. de dolo: ita repræsaliæ (quæ reputantur remedium subsidiarium)
10 pro † re exigua non debebunt nec poterunt concedi, quin & concessæ pror
11 sus essent irritæ. Deinde † oportet Principem concessurum, plenè probationibus edoctum de certitudine
12 rerum. Adhęc requiritur, † vt repręsaliæ concedantur alicui, vt supplicans verè sit subditus Principis, qui-
13 que communia † vectigalia, & reliqua onera patriæ cum alijs persoluerit, exceptis semper personis priuilegiatis, † quæ ratione priuilegij, nulla
14 huiusmodi onera publica subeunt, quales sunt studentes in academijs siue vniuersitatibus publicorum studiorum causa, ab huiusmodi oneribus liberis & priuilegiatis, Authen. Habita, C. ne filius pro patre, Idemq; exprimit d. Authent. de familiaribus & nuncijs eorum: Quod Doct. exten-
15 dunt per † identitatem rationis ad scriptores, & (vt vocant) bedellos, qui ex officio suo, per appendentiam vniuersitatis partes sunt & membra, ipsisque studentibus, atque adeò studiosorum studijs planè necessarij, arg. l. 1. in fi. & l. Scriniarios, ff. de testa. milita. Quocirca huiusmodi studentes cum sibi adhærentibus, quantum ad personas suas, cum ijs omnibus quæ secum conferunt, seruant, auferunt, & ducunt studiorum publicorum gratia, pro ciuibus habēdi sunt, & à seculari onere immunes. Præte-
16 reà ipsi † stipendiarij simili ratione immunes sunt, quantum ad stipendium & militiam suam, in eo tamen loco vbi militiæ causa degunt & militāt, l. Municeps, §. fin. ff. ad municipal. l. Hęres absens, §. fin. & ibi glos. ff. de
17 iudic. Ad hæc † immunes sunt omnes Principis consiliarij, quum suo funguntur officio. Nam ob officij rationem, & in his quæ officij causa gerunt, pro veris ciuibus iudicādi sunt, l. Ciues, & ibi glos. notab. C. de incolis. Qui omnes superiores à dictis oneribus liberi sunt, & tamen Principum subditi. Qui omnes prenominati, etiam si non exoluant huiusmodi onera, impositiones, assisias, caillotas, gabellas, vectigalia, tributa, pedagia, guidagia, aut onera similia, qualicunque nomenclatura dicantur: nihilominùs tamen veri sunt Principum subditi, & habiles, & digni quibus literæ repręsaliarum elargiantur, non secùs, quàm quibusuis alijs.

alijs dictis oneribus obnoxijs & sub-
18 iectis.† Cęterùm Principum benignitas non confertur quibusuis suis subditis, sed tantùm ijs, qui eo tempore, quo damnum passi sunt, fuerunt subditi, & hactenus in Principum subie-
19 ctione permanserunt:† Nō enim conferunt Principes dictas literas repræsaliarū illis subditis, qui tempore passi dispendij non fuerunt subditi. Si enim quibusuis subditis hanc clementiam conferrent, multi naufragiū passi, ficto animo ad alicuius præpotentis Principis patrocinium confugerent, & se subditos efficerēt, donec impetratis repræsaliarum literis, damnum amissum recuperassent, quo recuperato, ad priorē suum Principem forsan ingrati redirent. Atque hactenus explicatum satis fuit, quibus Princeps suas literas repræsaliarum indulget, & contra quos, nempe contra exteros, violentósq; prædones alterius Principis. Restat paucis animaduertas, cōtra quos non expediantur Prin-
20 cipum repræsaliarum literæ. † Primò igitur non cōceduntur aduersus proprios subditos, hoc est, non concedun-
25 tur vni Principis subdito, contra alium quemlibet eiusdem Priucipis subditum, quum Principis sit, amborum subditorum causas cognoscere, & cuique æquam iustitiam administrare.
21 Non conferuntur etiam† dictæ literæ repræsaliarum contra mulieres, con-
26 tra clericos, contra studentes, contra Iudices, aut contra ipsorum famulos, familiares, aut bedellos (vt vocant).
22 Item non conferuntur † contra legatos aut contra feciales, aut (vt vocant) contra Ambasiatores, qui ex mandato sui Principis ad alium Principem vel locum insignem emittuntur. Tales enim nec in itinere, nec in loco de-
27 stinato, vllo modo aut seruari possunt, aut comprehendi, quod vel iura gentium apertè testantur, leg. Sancitum, ff. de rerum diuis. & l. 2. §. Legatis, ff. de iudic. & ibi notat gloss. in verb. Destinati: atque idem etiam priuilegium censent Doctor. de famulis & seruitoribus suis, sicut etiam iamiam diximus de scholaribus. Quin & illud quod de legatorum priuilegio dictum est, & de suis famulis, idē quoque dicendum fuerit de his, qui inuiti vel testimonij gratia, aliquò destinati sunt, vt notatur in d. leg. 2. de iudic. Item fallit ius repræsaliarum,
23 quod non† concedatur cōtra eos, qui se conferunt ad publicas & priuilegiatas nundinas: Hi eīm in nundinarum loco, nec capi, nec detineri possunt, l. 1.
24 C. de nundi. Itē fallit contra eos,† qui religiōis caussa se recipiunt ad aliqua loca sancta, peregrinantium frequentia, & indulgētiarum largitate, aut miraculorum testimonijs celeberrima, vt in Authen. Omnes peregrini, C. cō munia, de success. ibi, liberè hospitentur, & gloss. in l. 1. §. Idem Claudio, ff. de iudic. Verùm credo hunc casum rarò obseruari. Fallit etiam contra mer
25 catores,† nautas, & ipsorum seruitores, qui ventorum ac tempestatum vi in aliquem portum tutò appellere coguntur: in eo enim portu ita impulsi, detineri nō possunt, Authen. Nauigia, C. de furt. quæ Authent. hoc expressè voluit: ad idem l. 1. C. de nauicula, lib.
26 11. Itē fallit† contra eos, qui personaliter citantur ad comparendum in iudicio: Omnes enim præfatæ personæ gaudent priuilegio iuris, quo omnibus & singulis conceditur libera eundi & redeundi potestas: Atq; isthæc hactenus de literis repręsaliarum, à quibus elargiantur, & quibus concedantur, & cōtra qūos, & contra quos mi-
27 nimè. Post hæc, tribus† aut quatuor regulis accipe istis literis impetratis vtendi rationē, et modum. Postquam

igitur quiſpiam à Principe literas repræſaliarum impetrauerit, neceſſum eſt, vt eas ad executionem tradat, & committat in ditione ſeu diſtrictu ſui Principis, qui eas conceſsit, & nequa-
28 quam extra ipſius ditionem. Deinde† opus eſt, executionem hanc curet per ſui Principis officiarios, & nullo modo per ſeipſum, aut per proprios ſuos impetrantis officiarios, nec per vllos alios, quam ad Principũ executiones deſtinatos, quia cuiuis eſt interdicta propria ſui ipſius vindicatio, l. Scientiam, §. Qui cùm aliter, ff. ad l. Aquil. facit l. Extat, ff. quod metus cauſſa, & l. Meminerint, & l. Si quis in tantam,
29 C. vnde vi. Antequam hoc† Repræſaliarum caput abſoluerem, libuit quoque hic adijcere, non omnibus Principibus conceſſum eſſe repræſaliarum literas concedere. Sunt enim multi in hac ſententia, qui negant illi Principi ius eſſe concedẽdi repræſalias, qui maiori Principi ſubeſſet, & maiorẽ Principem ſeſeq; ſuperiorem vt ſubditus agnoſceret: ſed cõſuetudine & vſu diuerſum experimur, quod pauci ſint huiuſmodi Principes, qui ſuperiores velint agnoſcere, ſeq; ſuperioribus, vt vaſallos, ſubijcere. Qui autem maioribus Principibus ac ſuperioribꝰ ſubſint: qui verò minimè, non eſt hic noſtri inſtituti explicare velle, quum res ſit parũ tuta, & fructus penè nullius: quicquid enim de hiſce rebus ſtatuitur, illi mordicus per fas & nefas ſuã tuentur ſententiam. Nouiſsimè autem adijcere volui pœnam illam, quam leges ſtatuunt illis, qui perperam & ſiniſtrè à Principibus repræſaliarum literas impetrarunt. Malè†enim repræſa-
30 lias impetrantes, aut etiam ijs abutentes, puniũtur quadruplò. Deinde cauſ-
31 ſam†iuris ſui perdunt: et poſtremò ad omnium damna, & diſpendia recuperanda mulctabũtur, l. 2. & ibi per Iac. de Aret. ff. de verb. oblig. l. Si te, C. de iure deliberandi, Authen. & omnino, C. de actio. & obliga. & l. Nam & ſeruus, ff. de nego. geſt.

CAPVT XCIX.

De telonijs, ac alijs exactionibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 99

1 *Vis pub. fit etiam in* { *Telonijs, Vectigalibus, Tributis, Pedagijs, & ſimilibus,* } *vel* { *Malè inſtituendis. Exigendis.*

2 *Vis publica inſtitutione fit bifariàm, &* { *Coactè, tnuitis patientibus. Cum conſenſu patientum.*

3 *Vis publica* { *Coacta, Permiſſa ſeu conceſſa,* } *punitur* { *Hæc capitaliter.*
4 { *Hæc 50. lib. auri.*

5 *Vis pub. per exigentiam* { *A non debentibus* / *Pluris inſtitutione* } *punitur* { *Capitaliter.*
6 { *vel* { *Duplo.*
7 { *Quadruplo.*

Famæ-

8 Famuli crimina dominorum ſectantes, pœnam quoque dominorum imbibunt.
9 Vectigalia poſcentes, ab Eccleſiaſticis excommunicantur.
10 An vectigalia non ſoluere liceat.
11 Tributum ſignum ſubiectionis eſt.
12 Chriſtus tributum ſoluit, & ſolui præcepit.
13 Chriſtus nemini ſubiectus fuit.
14 Telonarij fideles non deberent eſſe odibiles.
15 Telonarij à Principe ſunt defendendi.
16 Doctorculorum quorundam imperitia
17 Telonarij Rupelmundani ſpoliati exemplum.
18 Latronib. comprehendendis imponenda precia.



EST poſtremò alia quædam ſpecies violentiæ publicæ, vſu quidem externo & forinſecus à ſuperioribus nonnihil diuerſa, re tamen

men cum vera illata vi planè eadem, eóque nõ minùs execrabilis, minúsve punienda. Ista† autem ſpecies ferè contingit in vectigalibus, telonijs, tributis, gabellis, pedagijs, guidagijs, paſſagijs, datijs, alijſque exactionibus, qualicunque vocabulo nominantur: id dupliciter, apertè in inſtitutione, & tectè in exigentia. Primò, quum quis priuatus dominus vſpiam noua inſtituit vectigalia, telonia ſimiliáque onera, quibus rempub. ſuam grauat: atque iſta omnia citra authoritatem ſui Principis, l. Vectigalia, & ibi Salice. in princ. & Azo, C. vectigalia noua inſtitui nõ poſſe. Porrò iſthæc †noua onerum in repub. inſtitutio, ferè fit bifariàm: nempe vi, aut coactè: Deinde cum gratia, aut beneplacito populi. Harum autem inſtitutionum punitio quoque erit varia. Nam †ſi coactè & vi huiuſmodi onera in rempubli. inferat, tum is violentus illator (quia vim publicam committit) plectendus eſt capitaliter. Sin huiuſmodi †grauamina non vi, ſed cum populi gratia inferat, tum non cenſendus publicæ violentiæ Reus, eóque nec capitaliter damnãdus, ſed priuatæ violentiæ Reus, atque mulctandus pœna quinquaginta lib. auri, & pœna le. Iuliæ de ambitu, l. vnica, ff. ad l. Iul. de ambi. aut alia pœna arbitrio Iudicis imponenda. Secundò tectè † vis publica committitur, quum quis telonarius, publicanus, ſeu tributorum collector, telonij iura vi requirit ab ijs, qui ab huiuſmodi telonio ſunt immunes & liberi: is enim (vt iura volunt, licèt ijs non vtamur) puniendus eſt, ceu publicæ violentiæ illator, capitaliter, expreſſa ac notabili l. Vniuerſi, in fin. C de vectigalib. commiſ.

Porrò † quiſquis fraudulenter in telonijs aut vectigalibus amplius exigat, quàm telonij aut vectigalis inſtitutio poſcit, is puniendus eſt duplo.

Si † verò vi & violentia amplius exposcat & capiat, tunc puniendus eſt quadruplo, l. 1. §. Dixerit, ff. de pub. & vectigalib. & quantũ verò ad fiſcum, puniendus eſt perpetuo exilio, l. fin. C. vectiga. no. inſtit. non poſſe. Eadem† quoque pœna plectuntur omnes famuli telonariorum, publicanorum, ac ſimilium, qui in hoc dominorum ſuorum crimina imitantur, eadem crimina committunt. De Iure autem Canonico † ſeu Pontificio, exigentes vel extorquentes ab Eccleſijs vel perſonis Eccleſiaſticis pro earum rebus proprijs, quas non negociandi cauſſa deferunt, aut deferri faciunt, vel tranſmittunt, vectigalia, telonia, tributa, gabellas, pedagia, vel guidagia, ſuo vel alieno nomine, excõmunicantur & anathematis mucrone feriuntur, donec illi ſic exacta reſtituerint, & de tranſgreſſione huiuſmodi cõpetenter ſatisfecerint, Clementina, Præſenti, De cenſib. & exactionib. Antequã hanc materiam omnino abſolueremus, queſtionẽ nõ ſolũ vtilẽ, ſed etiã perneceſſariã (propter fraudum frequentiam) ſciſcitari, & pauculis admodum examinare placuit: nẽpe, an temerè † & in foro conſcientiæ fraudare liceat, & non ſolure Principibus vel inſtitutorib. vectigalia, telonia, tributa, gabellas, pedagia, guidagia, paſſagia, datia, impoſitiones, aſſiſias, caillotas, quocunque etiam nomine appellentur? Deinde quando licet huiuſmodi vectigalia ſine conſcientiæ ſcrupulo non ſoluere? De hac quæſt. libuit plurima diſſerere, ſed quoniã apud authores abundè iſta cõmentata ſunt, breuitatis ſtudio Lectorẽ ad ipſos fontes remittere libuit, & inter eos, vide D. Ioan. Bertachinũ in tract. ſuo ſingulariſs. gabellarum, tributorum atque vectigalium.

Meam

Meam tamen interim hanc feram ſen
tentiam. Tributa prorſus eſſe ſoluen
11 da. Primò quod †ipſa ſint ſigna & te-
ſtimonia ſubiectionis. Et ſubditorũ
eſt parere præpoſitis ſuis authoritate
Petri Apoſtoli, primæ. 2. & Pauli, ad
Epheſ. 6. Porrò ſubiectionis ſignum
probatur, c. Recepimus de Priuileg.
Glo. in c. Magnum xj. q. 1. Innoc. in c.
Præterea de tranſactionib. quem ſe-
quitur Bald. in Margarita, ver. Cenſus
& in l. 3. & ibi Ange. C. de natur. liber.
In l. data opera 16. colum. C. Qui accu
ſa. non poſſ. Notatur in Authẽ. Quib.
modis natu. effic. ſui, §. Si quis in c. 2.
vbi etiam Docto. & Abb. Sicul. de cen
ſib. & Alex. de Imol. in conſilijs conſi-
16 lio. 34. 4. parte. Et gloſ. in c. Tributum
23. q. 8. Secundò tributa ſoluẽda eſſe
12 probatur. Lege diuina, & †exemplo
Chriſti, qui præcepit ſoluenda eſſe Cę
ſari, quæ ſunt Cæſaris. Quin & Chri-
ſtus ipſe tributa ſoluit, & ſi quãdo pe-
cunia defuerat. Piſcem capiet in ore
ipſius ſtaterem tributi recipi præcepit
ne cui maledicentiæ occaſionem aut
tumultus cauſam præberet. Quod ſi
Chriſtus filius Dei nobis exemplum
præbens tributa ſoluere voluit, qui
13 tamen †nulli ſubiectus fuerat, ſecun-
dum gloſ. ibi in verb. Omnis. Quis il-
le tantus, tamq; criſtatus qui negare
audebit Principibus tributa (potiſsi-
mum debitè, & ex cauſſa vrgente inſti
tuta) non eſſe ſoluenda? Porrò ſi tribu
ta ſiue telonia iuſtè ſint exoluenda, iu
ſtè quoque & cum pietate Chriſtiana
telonarium officium exerceri poteſt,
14 & †telonarij minimè ſunt execrandi,
potiſsimum ſi telonij ac vectigalium
iura debitè exigant, iuxta formam
ipſis à Principe, aut à Principis officia
rijs traditam. Huiuſmodi enim pro-
uentibus ac ſimilibus, Principis pote-
ſtas & robur alitur & cõſeruatur, quo
Rempub. ſuam prouidè curet, proſpi-
ciat, regat, & in florenti tranquillita-
15 te gubernet. Ideoque † ipſi telonarij
(licet paſſim inſipidis hominibus ſint
exoſi, fortaſsis ob ſuam ipſorum im-
portunitatẽ, aut ob tectè coniunctam
rapacitatem, de cuius punitione ſupra
meminimus) à Principibus ſunt de-
fendendi, ac protectionibus præſen-
tibus ilico iuuandi. Alioquin ipſa tri-
buta, telonia, ac ſimilia Principũ vecti
galia pauculis menſibus interire con-
tingeret, mox Principum poteſtas, ac
tandem totius Reip. ſtatus (qui Princi
pum ope ſuſtentatur) collabaſceret, &
fieret poſtremo miſera rerum facies,
& confuſio, & deploranda Anarchia.
16 Quocirca †mihi audiendi ſunt iſti
Theologaſtri inſipidi, & rerum mun-
danarum imperitiſsimi, qui ex Sco-
to, Aquinate, ex Poſtillis, ex ſummu-
lis, & id genus alijs obſcuris libris ſua
axiomata ſtabiliunt, & aſſerunt. Telo
nia ſine conſcientiæ ſcrupulo nec exi
gi, nec ſolui poſſe, idq; alijs atque alijs
perperam ſuadentes, geminum ſcelus
committunt, & quod ſeditioſo conſi-
lio propriam animam lædunt & occi
dũt, deinde quod populum aduerſus
Principum (quibus Chriſtus & Apo-
ſtolus obediri præcepit, etiam diſco-
lis) leges inſtigant, ad ſeditiones com-
mouent, & ad omnem rebellionem
inſtruũt. Nec eſt quod huiuſmodi Do
ctorculi ſuis libris duntaxat docti,
mundi vero gubernaculis pluſquam
ſtupidi, rem per ſe vulgo ſatis odibi-
lem ſuis ſuaſionibus vehemẽtius exaſ
perent. Satis ſunt ipſi Telonarij om-
nibus exoſi, ſatisq; periculis varijs
expoſiti, etiamſi iſti frigidam non ſuf
fundant neque malo malum acceri-
17 ſant. Referam †hic ea de cauſſa luctuo
ſum exemplũ quod in Maio anni 1560
contigit Rupelmondę, non ita procul
ab Antuerpia, In ædes Telonarij ſub
veſpertinum diei crepuſculum irrue-

runt vndecim viri laruati. Bini habitu nigrorum militum, tres aut quatuor hautarum ſpecie, reliqui verò alio atque alio militari habitu. Hi omnes atrium domus ingreſsi rogãt vbinam ſit Telonarius. Famulorum ille qui primò prodijt, dixit ipſum eſſe in cœnaculo cum vxore multum grauida, & liberis, alijſq; pauculis cum ſocru & ſocero, & iamiam omnes cœnaturos. His auditis cœnaculũ imperterriti intrant, telonarium & aſsidentes ſalutant. Venimus huc (inquiunt) telonium noſtrũ perſoluturi, & vobiſcum cœnaturi, dabitur ne nobis cœnandi locus? Simulq; cum dicto quatuor aut quinque ſclopetas manuarias eiaculantur in telonarij familiam præſentem, multosq; pilis tranſuerberantes, totum cœnaculum clamoribus, ac cædibus implent, feriẽtes gladijs, ac ſclopetis, famulum autem illum primò omnium humi proſternunt, & mactant. Mox ſocerum ipſum virum canum, multisq; verberibus & vulneribus affectum necant. Socrus autem multis verberibus ac vulneribus oppreſſa in angulo vſpiam delituit. Telonarij vxor grauida poſt acceptum vnum aut alterum vulnus in capite, & in fronte miſerandos clamores, & eiulatus ſuſtulit, ſimulq; per feneſtrã vnam, cum tanto onere ventris exilijt, atq; in æditiorem cameram procurrens lecto ſe fixit, in quo ſexto aut ſeptimo die proiem ædidit, maternorum vulnerum ſignatã ſtigmatis, atq; intra pauculos dies ipſa ſimul cũ prole è viuis exceſsit, literis verò & ſyngraphis, & libris Telonarijs omnibus incenſis & cõbuſtis ipſum Telonariũ cuius brachium ſclopeto trãsfixerant & mutilauerant cõaceruatim denuo corripiunt, verberibus multis afficiũt caput ſclopetorum ictibus ferociter feriunt, clamantes, cædite, ſternite, occidite nefarium Telonarium. Alij minus feroculi à verberibus abſtinendũ vlterioribus, clamant: Sat (inquiunt) habet. Redde nunc nobis omnes claues theſauri tui, & quicquid habes pecuniæ. Hæc omnia Telonarius cũ ijs per varia cubicula diſcurſans, oſtendere cogitur omnes opes ſuis oculis diripi conſpicit, & mutire non audet, quinimo miſericordiam, & gratiam, & vitam implorans vix eandem obtinuit. Hi autem ſcelerati raptores direpta hac præda, ac vniuerſa pecuniæ ad ſummam quinque milium, & trecentorum ducatorum, combuſtisq; ſchædulis vniuerſis repertis, incogniti, onuſtiq; domũ exeunt, Telonario ſemiuiuo relicto, qui multos menſes poſtea decubuit, priſtinamq; valetudinem recepturus nunquam. O ſegnes, & ignauos Principum officiarios, qui ad huiuſmodi publicam vim tam ſu-
18 pini ſtertitis, neque diligentiori † ſtudio tales latrones, ac publicarum viarum graſſatores, non paſsim proſcribitis, perquiritis, æréq; certo impoſito & inuentoribus promiſſo, non comprehendendos ſatagitis, vt tam noxijs membris Reipublicæ paſsim liberentur, iuxta l. Congruit, ff. de offi. præſid. l. 2. C. Quando lic. vnicui. in iudic. ſe vindi. arg. l. 1. C. de his qui latro. occulta. Quæ lex vtinam omnium Iudicum, & Officiariorũ mentibus altius infigeretur, ſyncerius, & quietius Reſpublicæ regerentur. Nulla autem pecunia Deo gratior, & Reipublicæ ſalubrior impendi poteſt, quam quæ huiuſmodi latronibus comprehẽdendis promittitur, & perſoluitur.

CAP.

CAPVT C.

De vi priuata.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 100

1 *Vis priuata quid sit.*

Vis priuata committitur, quando
2 *Creditor debitorem ad solutionem compellit.*
3 *Quis naufragantium bona iecta eripit.*
4 *Quis in incendio quid spoliat.*
5 *Quis copijs aliquem è possessione pellit.*
6 *Quis pupilli sui bona vi occupat.*
7 *Quis alterius sponsam vel filiam detinet.*

Vis priuata punitur, &
8 *Tertia parte bonorum.*
Infamia.
Inhabilitate ad quæuis officia pub.

Iudex

9 *Iudex ad priuatam vim dissimulans, redditur* { *Infamis.* / *Indignus omni officio.* / *Obnoxius pœnæ arbitrariæ, in praxi.*

10 *Vis priuata ex Iure Canonico punitur tertia parte bonorum.*

IN tribus proximè præcedentibus capitibus vtcũque peregimus de vi publica. Restat pauca etiam de vi priuata cõmemoremus. Est autem 1 vis priuata, † quãdo aliquis alicui vim infert absque armis, §. Item lex Iulia, de vi pub. seu priuata, Institut. de public. iudic. Qualiter autẽ hoc crimen committatur, clarè aperiunt leges, ff. ad le. Iul. de vi priua. veluti quum creditor † ex propria authoritate debitorem suum cõpellit ad solutionem: 2 ita enim priuatæ vis crimen admittit l. fin. ff. ad le. Iuli. de vi priua. Similiter † priuata vi sese alligant, qui vim 3 inferunt nautis in naufragijs, ipsorumq; eiecta bona furtim auferunt, l. 1. ff. eodem titulo. Item qui ad incen- 4 dium † simul cum alijs concurrunt, non quidem vt huic malo sua opera suppetias afferant, sed vti in tali homi num strepitu, & animorum perplexitate incautiùs è domo incensa quid eripiant: illud enim si faciant, vim priuatam cõmittunt. Similiter priuatam 5 vim † committunt, quicunque cõgregata multorum virorum multitudine, & coactis copijs siue armis, aliquẽ pellunt sua domo, fundo, vel possessiõe quapiam, & seipsos in possessionem eandem vi inferunt, & collocant l. Si quis, ff. eod. tit. Præterea priua- 6 tam vim † committit tutor quiuis, qui sui pupilli bona, vi occupat, fa. l. Tutoris, C. eod. tit. Similiter † quicunq; 7 alterius filiam aut sponsam vi conclusam detinet, aut includi iussit, aut arctè constringit, aut occultat. Pœna autem † istorum criminum secundum 8 iura, est confiscatio tertiæ partis bonorum suorum: supra quam declaratur infamis: & hinc omni officio & dignitate priuatur, & præterea habetur inhabilis cuique administrando officio, d. l. 1. ff. eod. tit. l. Hoc iure, ff. de regul. Iuris, per Iura ibidem allegata. Quin & ipse Iudex † in hoc crimine priuatæ violentiæ negligenter dissimulãs, & æquam de eo punitionem 9 non sumens, fit infamis, & omni munere publico indignus. Verùm si hic punitionem consuetudinariam spectare velis, scito hoc crimen ex vsu & in praxi ferè puniri punitione Iudicis arbitraria, iuxta circunstantias rerum & qualitates personarum. Et hæc est 10 pœna ciuilis. Pœna † autem canonica, est mulctatio tertiæ partis bonorum (vti suprà cap. de vi publica meminimus) huic seruit c. 2. de ordina. cognit.

CAPVT CI.

De rapina.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 101

1 *Rapina quid sit.*

Rapina



ACcedit superioribus alia quædam vis, aliàs publica, aliàs priuata, quã rapinam vocamus. Est† enim Rapina, quando quis alterius mobilia vel se mouentia bona publicè rapit, quod fieri conspicimus † duobus modis, nempe vi, & sine vi, siue sine violẽtiæ illatione. Vis quoque fit bifariàm: cum armis, & sine armis. Postremò ipsa bona erepta duplicia sunt, quando & in paruis, & in magni precij bonis rapina contingat. Quisquis † igitur alteri pileũ, tunicã, togam, palliũ, gladiũ, thoracẽ, indusiũ, lineũ, perã, marsupiũ, annulũ, & similia leuiora bona publicè & citra vĩ eripit, is rapinã cõmittit, & puniẽdus est quadruplo intra annum, cui quadruplo inest simplum: Post annũ verò damnandus est principalis rei ablatæ restitutione, hoc est, in simplum, l. 2. & 4. ff. vi bo. rapto. l. Res, C. eodem, & §. 1. Instit. eodem tit. † Qui verò superiora enarrata vi & publicè eripit, sine armorum tamen præsidio, is damnatur confiscatiõe partis bonorum suorum: Si cum vi quoque arma coniũxerit, tum perpetuo exilio damnabitur, aut alia simili pœna criminaliter, sicut & suprà de vi publi. memi-
5 nimus. Similes pœnas † oportet subeant omnes raptores cooperarij, qui re, ope, opera, & auxilio ad rapinam coadiuuerunt, l. Si pignore, §. Cum furti, versi. Qui ferramenta, ff. de fur. fa. l. Qui domum, ff. ad le. Iul. de adulter. Quisquis porrò sibiipsi Iudex est, & propriæ rei executor, & raptor,
6 vt rem suam † ablatam, propria authoritate raptori denuo eripiat: is certè nullam rapinam committit, vt eius gratia puniendus esset tanquam raptor, propriæ enim rei potius repetitor est, quàm raptor. Ius tamen suum perdit, quo licuisset raptorem suum coram Iudice peragere, l. 2. §. Hæc actio, ff. vi bo. rapto. & §. Quia tamen, Instit. eod. tit. hactenus de leuioribus bonis singula intellige. Qui
7 verò res † precio maiores alteri vi eripit, & publicè ad hoc adhibitis armis: is certè suspendio damnandus est,

eſt, quia ipſius crimẽ non multũ ab ipſo latrocinio abeſt. Quin & leuiorum quoq; bonorum raptores ſubinde ſuſpẽdio dãnantur, iuxta qualitatẽ perſonę, & facti circũſtantias & enormitates, nõ ſecùs, quàm clãcularij fures. Plura de præſenti materia, quatenus crimẽ in ſeſe cõtinet, explicare libuit: ſed quia de ea in ſuperioribus capitibus ampliora peregim⁹, & infrà quoq; in ſequentibus capitibus plura explicare certũ eſt, nẽpe in capite de furto, & alibi: ideo his paucis ab hac materia hoc loco ſuperſedendum putaui. 8 fit enim rapina aut vi, aut ſine vi. Vis autem, aut eſt publica, aut priuata: de quibus abundè ſuprà. Si verò ſine vi committatur, furtum cenſebitur, de quo infrà ſuo loco.

CAPVT CII.

De latrocinio ſimplici.



1 *Latrocinium ſimplex quid ſit?*
2 *Latrocinij ſimplicis punitio.*
9 *In inferiori Germania.*
10 *In Francia.*
11 *In Alemania.*
Ex olim priuilegio Gandenſium.
3 *Latrocinio non patrocinantur loca ſacra.*
4 *Latrones comprehendendi, cuius eſt vbique conceſſa poteſtas.*
5 *Latro loco capturæ plectendus.*
6 *Latronibus, nulla conceſſa eſt expurgatio.*
7 *Latronibus fauore & ope ſuccurrens, punitur vt principalis.*
8 *Index in latrocinio diſſimulans, quomodo puniendus?*
12 *Latrocinium eſt caſus fortuitus.*

RApinæ quoq; ſpecies eſt illud pernicioſum prædandi genus quod latrocinium vocant: non quidem illud latrocinium quod cum homicidio coniungitur, & de quo multa ſuperius meminimus, ſed quod nudam ſpoliandi vim continet, quod apud Barth. Cepolã dicitur latrociniũ ſimplex, in Auth. Sed nouo iu
1 re, C. de ſer. fugit. † Eſt enim latrociniũ ſimplex, de quo hic acturi ſumus, aliquẽ furtim & vi, ſuis citra mortem ſpoliare bonis: quod plerũq; fit in vijs occultis, in locis deſertis & à teſtimonio hominũ ſemotis, in ſyluis, in ſaltibus, aut in alijs ſuſpectis locis, & etiã
2 tẽporibus illicitis. Hoc † latrociniũ puniendũ eſt vltore gladio, nec nõ confiſcatione bonorũ, vt corpus decollatũ imponatur rotæ, cui ex more adpendunt ramulos, latrocinij commiſſi teſtes: Hoc † crimen tã eſt deteſtabile &
3 exoſum omnibus, vt ne Iudices quidẽ Eccleſiaſtici huic patrocinari velint, nec loca ſacra his latronibus præſidio
4 eſſe ſinãt. Eoq; omnia † iura, omnibus & ſingulis iſtos latrones quouis loco cõprehendendi & accuſandi poteſtatẽ faciũt, c. Inter alia, ext. de immu. Ec
5 cle. Deinde volunt, vt is latro † captus morti adiudicetur & exequatur eodẽ loco, vbi captus fuit, abſque vlla decli
6 natione. Præterea † nullis latronibus iure permittitur, vt in hoc crimine ſeſe ad expurgationem tradere poſsint: Verũ hoc duntaxat permittitur, vt in omnibus informationibus habitis &
7 habẽdis ſeſe cõmittere liceat. † Quiſquis præterea ſciens volensq;, dictos latrunculos hoſpitio excipit, aut ope, vel fauore vllo ſuccurrit: is certè non minus puniẽdus eſt capitaliter, quam principalis factor, l. 1. ff. de receptato. & l. 1. C. de his qui latro. occult. Niſi enim in huiuſmodi latrones ſæuiũs & acriũs aliquantò animaduerterent leges, publicæ viæ paſsim obſiderentur latrombus, & ſpoliatoribus, nec cuiquam liberum eſſet & tutum quoquam ſe recipere. Ideóque vt vel huic malo tempori occurreretur, per diuerſos Principes, atque etiam per Principem noſtrum, & per ſuos maiores variæ conſtitutæ & promulgatæ ſunt ordinationes, de puniendis latronibus. Et † ſi in eorum punitione
8 repertus eſſet Iudex plus æquò negligens, & ad iuſtitiam & punitionem ferendam diſsimulans: is certè damnandus eſſet mulcta, C. li. auri. & exin de habẽdus infamis, omníque dignitate publica indignus: imò aliquando vel ipſe capitaliter damnatur, iuxta diſsimulationis magnitudinem. In
9 Frãcia † verò, huiuſmodi latrones vel ſpoliatores publici, primò puniuntur rapti

rapti ad calces equorũ, deinde ſuffigũ
10 tur in malã crucẽ. In † Alemania verò, tales latrones, graſſatores, & ſpoliato res publicè puniũtur cõfractione mẽbrorum, hoc eſt, in rotã ſubigũtur, vbi ſingula ipſorũ mẽbra magno cũ cruciatu cõfringuntur: & ita viui in rota relinquũtur, ſua ſpõte animã expiraturi in magna pœna & calamitate. Priui
11 legia † Gãdenſium à comite Guidone cõceſſa, olim hoc crimen puniebãt ciuiliter: nẽpe, mulcta, 60. lib. & reſtitutione rerũ ablatarũ intra tertiũ diem.
12 Lubet hic vnã † quæſtionẽ in medium adferre: Latrociniũ an ſit caſus fortuitus? Gloſ. in verb. Etiã ſi ſine culpa, in l. Et ita, §. At hoc edicto, ff. nau. caupo. ſtabula. l. Cũ duob⁹, §. Damna, ff. pro ſocio. Gloſ. in verb. vel alio fortuito, in l. í. C. depoſiti, ſuſtinet latrociniũ eſſe caſum fortuitum, vti per ociũ, & occaſione emergẽte, videre poteritis.

CAPVT CIII.

De incendiarijs.



Sum-

Summæ rerũ m tractatarum in Commenta. CAP. 103

1 *Vehemens in Incendiarios inuectio.*
2. 7 *Incendiariorum punitio varia.*
10 *Incendendi voluntas punitur pro effectu.*
11 *Ad incendium præparationes struens, punitur vt factor.*
12 *Post bella confecta, succrescunt incendiarij.*

Incendiarij puniuntur
- *Ex iure ciuili*
  - *Capite.*
  - *Igne, variè.*
  - *Dilaceratione bestiarum, vel capite.*
- *Secundum Doctores, variè.*
- *Secundum consuetudinem*
  - *Flandriæ, igne, sed priùs enecti.*
  - *Brabantiæ, igne vtui.*
- *Ex iure canonico*
  - *Restitutione damnorum, & pœnitentia 3. annorum.*
  - *Excõmunicatione & perpetuo carcere.*
  - *Peregrinatione longissima.*
  - *Pro qualitate facti & personæ.*

1 GRaue crimen est, igne †aliorum tollere bona, & ad coniunctionẽ humanæ societatis tuendã (quod iustitiæ pars est non infima) perniciosissimum, imò ad eam prorsus tollendam, & subuertendam, scelus cum primis accommodum: quis enim eos benignis intueretur oculis, imò quis æquò animo ferret nequissimos illos incendiarios, qui studio, datáque opera & captata deliberando occasione, aliorum igne accendunt domos? aut alia bona? vnde tam graue exoritur incendia passorum dispendium, & nulli vel tantillum compendium, ne ipsis quidem incendiarijs, potissimùm quum omnia citra vllius commodũ per ignem redacta sunt in cinerem. Et mihi certè (vt ingenuè meam sententiam proferam) videntur hi ciues in repub. esse pernicioſissimi, imò pestes planè lethales potiùs, qui in repub. nihil aliud agũt, quam vt noceant multis, prosint nemini. Fures, spoliatores, latrones, raptores, prædones, ex scelere aliquid commod. aut consequuntur, aut saltem venantur: incendiarijs ex facinore nihil accrescit. In alijs multis sceleribus expletur vtcunque sceleratorum voluptas, sed in incendio, incendiarius nihil vtilitatis, nil voluptatis consequitur, Ah quantula quæso est voluptas aliorum incendere domos? quas natura sagaciter excogitauit ad tutandos homines ab imbribus, à ventis, tempestatibus & reliquis cœli iniurijs, à feris, à lupis, idque genus hominum hostibus. Quocirca cùm incendiarij hoc bonum & commodum confratribus in Christo nequissimè eripiant, nullis voluptatis stimulis excitati, nulla vtilitatis ratione pellecti, sed solo odio, inuidia, & nocendi libidine agitati, videntur mihi (vt denuo repetam) in repub. pernicioſissimi, detestabiles, & nullo modo ferendi diutiùs, imò tanquam inimici naturæ tollendi sunt è medio, & ex omni societate humana (cuius hostes se esse student) eripiendi sunt. 2 Quod etiam considerantes † ipsæ leges, grauissimas variásque incendia-

rijs iſtis pœnas indixerunt. Nã quiſquis alterius caſam, villam, ædes, domum, aream, ſtabulum, horreum, nauim, ſimiliáque ædificia, aut etiam aceruum frumenti iuxta domum poſitum combuſſerit, ignéque incenderit, aut ignem ſciens volenſque immiſerit tam in ciuitate, quam rure: is incendiarius de iure variè punitur. Primò † punitur capite, vt dicit gloſ. in verb. Poteſtis, in l. Data opera, C. Qui accuſ. non poteſt, de quo ibi latè per Bald. & Salic poſt Cynum, & per Barto. in l. 3. cum alijs, per Alex. ibi allegatis, ff. de offic præfec. vigil. † In alijs verò textib⁹ puniend⁹ eſt igne, vt in l. Qui ędes, cũ legib. ſeq. ff. de incẽd. rui. naufrag. Eſt item † alius textus, qui incendiarios puniri velit dilaceratione beſtiarum, aut capite, ſed aliquanto diſtinctiùs, vti habetur in l. fin. ff. eodem titulo, de incend. rui. naufra. Quin & alibi textus aſſeruit, huiuſmodi comburendos eſſe viuos, ſi incẽdium factum ſit ob inimicitias, vel prædæ cauſſa in oppidis. Ratio eſt, quòd is incendiarius, qui in ciuitatibus domum vllam incendit, quã plurimos periculo exponit, vt incauti viuique in ſuis, aut in aliorum domibus comburantur: & certè talem viuorum combuſtionem, quantum in ipſo eſt, ex ſua malitia multis præparat: ideóque æquum eſt, vt hic maleficus eadem abſumatur pœna, quam alijs nequiter præparauit, argu. l. Saccularij, in ratione ſui, ff. de extraord. criminib. Si verò in caſa & villa committatur incendium, puniuntur capite, vt in l. Capitalium, §. Incendiarij, ff. de pœnis. De incendiarijs † quoque iſtis violentis abundè meminit Angel. Areti. in tracta. malefici. in verb. Incendiario, & Anto. Abb. Sicul. & Fel. in c. Tua nos, de ſenten. excommuni. bona gloſ. in c. Cum deuotiſſimam, 12. q. 2. in verb. Si verò incendium. Item Docto. in l. Vendita inſula, ff. de peri. & commodo rei vendit. Ex † his nunc ſuprà allegatis textibus, & ex citatis Doctorib⁹, cernis clariſsimè pie Lector, incendiarios (vt antè memini) variè puniri. Quia (repetã denuo articulatiùs) puniuntur aliâs capite, aliâs furca, aliâs incendio, ſed diuerſimodè, aliâs beſtiarum dilaceratione: quandoque decollatione: interdum condemnatione in metallum, nouiſsimè deportatione, ſed hæc vltima pœna ex miſericordia potiùs infligitur quàm ex rigore iuſtitiæ. Hactenus de pœnis incendiariorum ex iure. Reſtat vt conſuetudinem † paucis attendas: qua ſcelerati, conuictíque incendiarij plectũtur apud quoſdam gladio, apud alios verò igne abſumuntur. Nam in Flandria moris ex inolita cõſuetudine tales perdere incendio ignis, deinde corpus infigere rotæ, cui appenditur olla teſtis puniti incendiarij. In Brabantia † hos incendiarios plectũt multò acerbiùs. Nam eos viuos ad maiorem aliorum terrorem comburunt, & vt horum exemplo minuatur incendiariorum frequentia, & extinguatur extimulans illicitáque peccandi libido. Atque iſthæc habes candide Lector, quæ de incendiarijs poſt opus, & poſt incendium patratum, ſtatuuntur. Sunt † tamen etiam incendiarij appellandi, qui voluntate, affectu & minis aliorum domibus incendiũ minantur immittere. Ideóque hanc incendendi promptam, & paratam voluntatem & minas, non minus leges puniunt quàm factum: Adeò vt ſi quis minitetur alterius incendere domum, dicendo (vt eſt in prouerbio) Rubrũ gallum tuas tranſmittam ad ædes, aut ſimile tritũ dictũ: is puniẽd⁹ ſit nõ ſecùs, quã ſi minas opere cõpleſſet. Sicut item † qui

ad

ad actum, id est, incendium futurum quicquam apparauerit, aut actus præparatorios ad hoc præmiserit: veluti ignem immittendo, flando, pupas, aut lineas stuppas cum igne, pice, sulphure, aut puluere bombardico vspiam secretè collocando: aut carbones, aut titiones secreto in loco suppeditando, aut alijs infinitis modis animi promtitudinem ostendendo: etiamsi actu & opere non compleuisset, iuxta illud generale axioma iuridicum: Quòd in atrocissimis delictis (quale est hoc studiosum incêdium) punitur affectus, licèt non sequatur effectus, l. Si quis nõ dicã rapere, C. de episco.
82 & cleri. cũ similib. & ibi scriben. Hos† autem modos omnes, & alios (quod dolendum est) quam plurimos excogitant scelerati milites, qui post bellorũ tragœdiã exauthorati passim per agros ocioſi vagantur, pertæsi relicti opificij, & domum ad relictas vxores & liberos redire nescij, nobiles bonósque agricolas opprimunt, non contenti aliquando rusticorum gratuita munificentia, qua ipsis conferũt quicquid possunt, nisi eos insuper ad maiora numeranda cogerent, & plura pro suo arbitrio ab ipsis vi & minis (quibus domos incensuros se minantur, nisi tantum numerẽt) extorquerent. Atque huiusmodi impunita libidine sic per aliquot annos grassantes, fiunt tandem ex militibus latrones, fiunt sicarij, fiunt spoliatores, fiunt incendiarij, & omissis spretisque omnibus bonis moribus, pessimis se coinquinant sceleribus, excogitantes artes mille, milléq; modos, quibus per fas & nefas sibi pecuniam conflent, & tanquam exleges & ratione cassi ex solis viuant affectibus: hæc autem de iure ciuili atque consuetudine. Sed
83 quæ pœna imponatur † talibus incendiarijs voluntarijs, ac dolosis, & domos comburentibus, tam in ciuitate quam ruri, de iure canonico, paucula quæso obserua. Nam ex iure canonico, incendiarij volũtarij, ac dolosi primò damnantur restitutione omnium damnorum: deinde per tres annos pœnitentiã agere iubentur, vt in expresso c. Si quis domum, ext. de iniu. & damno dato. quæ quidem pœna procedit in occulto incendiario: quia si esset manifestus ac infamia notatus, tũc si incenderet Ecclesias, tanquam sacrilegus Romano Pontifici esset pro absolutione obtinẽda, remittẽdus, c. Tua nos, ext. de sentẽ. excõmu. & tales ipso facto sentẽtiam excõmunicationis incurrũt. Incẽdiarij vero aliorũ locorũ† nõ sacrorũ, nõ sunt
14 ipso facto excõmunicati, sed sunt excõmunicãdi, deinde perpetuo carceri mãcipandi, c. Pessimã, 33 q. 8. de quo in c. Cum deuotissimã p. glos. 12. q. 2.
15 Iniũgitur † etiã eis aliquãdo peregrinatio Hierosolymitana, vel ad sanctũ Iacobũ in Galissia, c. Si quis mẽbrorum, 23. q. vlt. de quo habetur in c. Si quis, ext. de iniur. & dã. dato: quę quidẽ pœnę sunt magis cõsciẽtioli, quã
16 cõtẽtioſi iudicij. Nã si corã † officialibus episcoporum vel archiepiscoporũ aliorũve prælatorũ, fiscali procuratore intercedẽte, in iudicio ageretur: tũc pro qualitate cõmissi punirẽtur, ita vt si ingens sit & excessus in incendio magnus, tũ propter ingẽs scelus, & damnũ tã graue poterũt degradari: vel saltem si exiguus & modicus esset excessus, & incendijũ nõ vsq; adeò magnũ, tũ deponi à beneficio poterũt, aut certe à diuinis suspendi: & deinde pro qualitate criminis & personæ diuersimodè puniri, per ea quę traduntur in allegatis c. Pessimam, & c. Si quis, & in c. Cum non ab homine, ext. de iud. & in c. Tuæ, ext. de pœnis.

CAPVT . CIIII.

De ſpontaneo ſiue interno Incendio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 104.



1 *Incendium* { *Spontaneum,* / *Immiſſum.* } *Patremfamilias* { *Grauat crimine.* / *Nullo crimine grauat.*

2 *Incuria, per quam incendium oritur, variè punienda.*

3 4 5 6 *Incuria incendij punitur* { *Eodem incendio.* / *Perpetuo exilio.* / *Fuſtigatione.* / *Pœna Iudicis arbitraria.*

7 *Incuriæ patrisfamilias nihil præſtruitur: Nec* { *Ebrietas.* / *Famulorum* { *Inſipientia.* / *Negligentia.* / *Malitia.*

Incen-

8 *Incendium* { *Casu fortuitò natum* / *Ex malitia immissũ* } *Patremfamilias ob omni crimine purgat.*

9 *Quando incendium censetur immissum.*

10 *Occasionem incendij præbens, non vacat crimine.*

11 *Incendium committitur* { *Dolo malo* / *Lata* / *Leui* / *Leuissima* } *culpa.* / *In ciuitatibus* / *In pagis*

DIximus superiori capite de incendio ab alijs immisso, & incendiariorum punitione,
1 Hîc de † incendio interno, & sponte per incuriam, imperitiam seu negligentiam, aut casum fortuitum proueniente tractandum: quod à superiori in hoc differt, quòd illud violentum sit, & immissum: hoc spontaneum & vltro per infortunium exoriens. Deinde illud priùs, nempe ratione patrisfamilias, crimine vacat: hoc verò, quia ex alicuius incuria, imperitia & negligẽtia cũ alterius etiam detrimẽto nascitur, criminibus est adiungendum, non quidem directè quòd quisquam malum illud, & crimen intenderit, aut in votis habuerit: quia cum omnium ignorantia cõtigit: sed propter incuriam, imperitiam, & negligentiam, & imprudentiam commissam: vnde tot emersere mala, quorũ omnium paterfamilias, aut sui domestici indiligenti cura causa fuerunt.
2 Ideóque ipsorum † imprudentia, incuria, imperitia seu negligentia (quũ sit in crimine) non est impunita relinquenda, l. Si seruus seruum, §. Si forni carius, ff. ad l. Aquil. & l. Videamus, in princ. ff. locati, & §. penul. Instit. de obliga quæ ex quasi delic. nascuntur. Quoties igitur vllum cõtingit incendium vltroneum oriri, cum graui vicinorum detrimẽto: ille per cuius incuriam ortum est, varié puniri potest.
3 Primò enim † dissimulant Iudices, & conniuent, vt is vicinus qui ex vicini incendio passus sit grauem rerum suarum iacturam, ob iustum dolorem, in ipsa animi commotione posset alterum vicinum suum, vnde ortum est incendium, impunè in ignem conijcere: si quidẽ in eo ipso animi commoto furore comprehendi poterit.
4 Sin post illatum † sua culpa alteri incendium cõprehendi nequiuerit, sed callidè elapsus aliquò aufugerit, aut delitescat: tum damnatur ob sua incuria illatum dispendium perpetuo exilio. Verùm si damnum † incendij exiguum & leue fuerit, tum is, cuius incuria exortum est incendium, damnandus est, aut † fustigatione, aut pœna metalli, l. Capitalium. §. Incendiarij, ff. de pœnis: cuius loco in his partibus succesit exilium perpetuum, aut alia pœna Iudicis arbitraria. Neque ab his pœnis † incuriam, imperitiam, & socordem negligentiam excusare vllo modo potest, aut ebrietas, aut famulorum negligentia. Nam in incendiorum casu, omnium incuria, imperitia seu negligentia in suum recidit caput, atque adeò in suam negligentiam, quæ aliorum omnium incurias & morum vitia in se recipit, vt pro omnibus in ea re respondere debeat, & per suum incẽdium omnibus

damnū paſsis, eiuſdem dāni reſtitutione teneatur, d. l. Capitalū, §. Incendiarij, verſic. Nam fortuita incendia, d. l. Si ſeruus ſeruum, §. Fornicarius, & d. l. Videamus, in exordio, & d. §. pen. Si verò tale † incendiū primum ortum eſſet ex caſu naturali, ex fulgure, vel alijs impreſsionibus ignitis, aut caſu fortuito, aut per alicuius immiſsionem & operam: tunc nullo modo is, è cuius domo primum manaſſet incendium, obligatus eſſet ad dictas pœnas, l. Si fortuito, ff. de incend. rui. naufra. neque tenebitur reſarcire damnum, cum nulla fuerit negligētia, quę tamē requiritur ad hoc, vt reſarcire teneatur, l. Qui ædes, verſic. Si verò, ff. de incend. rui. naufra. & ita intelligit gloſ. in d. l. Si fortuito: Nam rem quæ culpa caret, in dānum vocari non cōuenit, c. Cognoſcentes, in prin. ext. de conſtitutionib. pœna enim noxiam præſupponit, l. Sancimus, in exordio, C. de pœnis: argumē tum optimū in c. fin. de iniu. & dam. dato. In ſumma, de incēdijs vel caſu, vel per negligentiam factis, videte. l. 1. 2. 3. & 4. ff. de offic. præfe. vigil. Et tū † præſumitur incēdiū immiſſum, quādo ipſum primum oritur ex horreo, aut ex ſtabulo aliquo, vel ſimili loco, vbi non eſt conſuetus conſtrui & excitari ignis, aut deferri lumen: vel quando ipſi hoſpiti, vel patrifamilias priùs interminatum fuerat ab alio, quòd is in domū ſuam ignem immitteret, idque fide dignis cō ſtiterit teſtibus. Item ſimili ratione, ſi nefarius quiſpiam in alicuius horreum, vel domum immitteret ignem, ex quo naſceretur eiuſdem domus incendium: & ex hoc incendio deinceps alterius vicini incendium, tū prior violentum incendium paſſus, non tenebitur damnum reſtituere alteri vicino, ſecundum incendium paſſo, d. l. Si fortuito: niſi certò † conſtaret illum priorem dediſſe occaſionem & cauſſam vel inimicitiæ, vel ob quam alius ipſius domum incendiſſet: tum enim omni iure teneretur ad reſtitūtionem damni alterius. Ex hoc atque ex præcedenti † Capite ſummatim colligendum eſt, incendium quandoque committi dolo malo, nonnunquam lata culpa, quandoque leui, quandoque etiam (ſecundum aliquos leuiſſima. Item quandoque committi in ciuitate vel oppido, quandoque in caſa & villa, quandoque caſu fortuito, vti copioſè deducunt & declarāt acutiſsimè ac diſtinctiſsimè Angel. Areti. in ſuo ſingulariſsimo tractatu maleficiorum, in Gloſ. in verb. Incendiario. Iacob. de Bellouiſu in ſua practica iudiciaria, ſub Rubrica de Pœna ignis & concremationis. Ioan. Berbe. in ſuo Iuris viatorio, in Rub. de Incendiarijs. Bald. & Salic. poſt Cynum in l. Data opera, C. Qui accuſare non poſſunt. Bart. in l. 3. cū alijs per Alex. ibi. allegatis, ff. de offic. præfec. vigil.

8 9 10 11

CAPVT CV.

De aggerum ruptoribus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 105.

1 *Aggerum infractio malitioſa.*
2 *Aggerum infractores multis nocent.*

Infra-

3 *Infractores* { *& Littorum, & Riparum* } *puniuntur igne.*
Aggerum, pratorum, puniuntur, vel { *In metallum. Restitutione. Morte. Aliter.*

4 *Cooperarij ad infractiones plectuntur pœna factorum.*
5 *Arbitrium Iudicis in maleficijs etiam ad mortem se extendit.*



HVmana malitia aliud à superioribus excogitauit, & malum haud dubiè non leuissimum, quo sola inuidia homines perciti, & vindicâdi libidine, aut alterum 4 lędędi furore inuidioso exagitati omnẽ occasionẽ quamlibet pernitiosam captãt, qua alijs detrimentũ quocũque modo inferãt: potissimũ autẽ & pernitiosum hoc malũ, & de quo hîc sumus acturi, est alicuius aggerum irruptio, & confractio, hoc est. Quũ aliquis ita lędędi rabie corripitur, vt nullã nõ sui hostis (aut cui ex inuidia

malè cupit)aut lædēdi aut extinguendi occasionē excogitet, adeò vt si commodior non detur occasio, præsumat alterius malè sanus effringere aggeres, vt ijs effractis, coniunctos agros, & cāpos, diluuio & inundatione corrumpat. Hoc malum quàm sit pernicioſum, nemo non vel cæcutiens facilè perſpicit, quum † tali irruptione nō
2 ſolum lædat ſuum aduerſariū, & cui parum fauet, ſed etiam vicinos omnes agros vitiet, & ita ſibi ignotiſsimis ſubinde, & etiam de ipſo aliquando bene meritis, ob odium alterius, graue diſpendium inferat: quocirca hoc crimen leges non leuiter etiam puniri volunt. Nam huiuſmodi om
3 nes † infractores aut littorum maris, aut aggerum, aut riparū fluminum, puniri iubent igne eodem loco, vbi huiuſmodi effractio facta eſt, l. vnica, C. de Nili aggerib. non rumpend. & ibi Cynus & Bald. Atque † ob eiuſdē
4 criminis indignitatē & pernicioſam malitiam, volūt eandem quoque pœnam ſubire omnes iſtius criminis cooperatores, conſultores, & eos denique, qui omnes ad hoc factum, vllum adiutamentum, opem, aut fauorem ſubſidiarium contulerunt, Cynus & Baldus in d. l. vnica: certè propterea, quòd exdicta irruptiōe, tot tantáque cōſequātur mala, damna, & incōmoda. Si enim leue indè euaſceretur diſpendium, leuiùs quoque crimen eſſet puniendum: veluti ſi quiſpiam infringeret aggeres pratorum, ita vt ob talem infractionem prata inundatione obducerentur aquarū, & ita corrumperentur: is infractor nō eſſet ob particulare malum damnandus igne, ſed tantùm ſecundum iura in metallum, cuius loco in his regionibus ſucceſſit exilium perpetuum. Secūdum conſuetudinem verò damnantur primò ad reſtitutionem damni, deinde alia quauis pœna Iudicis arbitraria, pro qualitate perſonæ, facti, & diſpendij, hoc eſt, aliquando capitaliter, vt no. ſingulariter Mat. Mathe. ſi is in ſi gu
5 laribus, ſingulari 102. incip. Nota † vnum, quod ſolēt vulgares dicere &c. arbitrium enim Iudicis à lege datum in maleficijs, etiam ad mortem ſe extendit, ſi ſit factum nimis graue, per Bart. in l. fin. ff. de rerum diuiſi. Nam ſi furūculos Iudices ob leuia aliquando furta ſubripiant in crucem, certè non videntur à cruce excuſandi, qui tam enorme crimen, & furtum damnoſum cōmittunt. Porrò (vti ex quorundam relatu didici) in quibuſdam locis maritimis, hi vltimi infractores pugni abſciſsione plectuntur. In hoc crimine puniēdo oculatiſsimi, & ſeueriſsimi ſint Iudices qui maritima loca inhabitant. & tales criminoſos ad omnium terrorem acerrimè puniant, ex quo crimine tot tantáque deplorāda mala proueniunt, non in vnū aut alterum ſolum, ſed in vniuerſam plærumque regionem. Sunt in multis locis (fateor) à Principe conſtituti dijcgrauij aut Scabini aut ſimiles Officiarij, quibus hæc vna cura incūbit vt diligenter inuigilent aggerum ac littorum quoque refectionibus aduerſus impetum vndarū, necubi vellæ rupturæ eueniant per quas damnoſa ſequatur camporum inundatio. Et ſi ipſi littorum præfecti fortaſsis reperti fuerint nimium ſegnes ad huiuſmodi inſpectiones, & ad tempeſtiua remedia adhibēda, ipſi ſimul cū littorum conterminis grauiſsimè puniendi erunt, pro qualitate & magnitudine damni ex eorū emergētis incuria, qui prōptiores ſunt ad percipienda huic negotio conſtituta præmia, quam ad ſubeundos labores & ad reſpōdēdū & ſatisfaciendū ſuis officijs, quod profecto magnopere eſt dolēdū.

Caput

CAPVT CVI.

De violatione templorum.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 106

1 *Templorum violatio, diuinæ Ma. eſt offenſio.*
2 *Templa, quando violantur?*

3 *Templorum violator* { *Ex Iure Ciuili* / *Ex Iure Canonico* } { *plectendus eſt* } { *Capite.* / *Reſtitutione, reparatione, &c.* }
4

5 *Non quilibet tuti sunt in locis sacris.*

6. 9 *Publicos latrones.*
7 *Infidiosos homicidas.*
8 *Ob confidentiam loci sacri vicini audaciùs occidentes.*
13 *Apostatas.*
14 *Loca sacra non tutantur* — *Clericum occidentes.*
15 *Infideles, hæreticos, schismaticos, templorum incendiarios.*
16 *Mancipia fugitiua.*
17 *Bancrotas vllos, de bonis.*
18 *Bona fisco debita: Cætera in loco sacro tuta erunt.*

19 *Generalis Canonistarum de immunitate Ecclesiastica conclusio.*

10 *Ex Iure Canonico* — *Loca sacra tantùm excludunt eos, qui suo scelere, eadem loca contaminant.*
11 *Loca sacra tuentur omnes maleficos vsque ad decisionem officialis, de immunitate, secundum nonnullos.*

12 *Perniciosa iuris Canonici laxitas* — *Non seruatur à iudice seculari.*
21 *Ridetur à Petro de Ferrarijs.*

20 *Canones ex cõmuni cõsensu, Ecclesiasticã libertatẽ negant* — *Depopulatoribus agrorũ. Insidiatoribus viarum. Homicidis insidiosis.*

22 *De immunitate Ecclesiastica variæ discordantiæ.*

TAmetsi longè superius de duplici meminerimus Maiestate, diuina scilicet & humana, & de earum læsione cum pœnarum varietate: Non tamen vtramque ibidẽ ita expressimus, vt quicquid alterutrius læsionem concerneret, hoc illic totum accuratè commonstraretur. Ibi enim animus erat ipsas Maiestatum læsiones tantum apertas explicare cum earum pœnis ordinarijs: volens alibi quoque ea crimina suo ordine proferre latiùs, quæq; vtcunque ad læsiones Maiestatum referenda viderentur, aliquanto amplius explica-
1 re. † Ad earum igitur numerum sese præterea adiungit, & hic sese primò offert templorum violatio, quæ profectò ad crimen diuinæ Maiestatis iu-
2 re applicanda fuerit. Est enim † templa violare, aliquam vim ac violentiam in templis, aut cœmeterijs committere, aut indè aliquem confugientem auellere, qui eò libertatis aut patrocinij gratia confugisset. Et huiusmodi vis, nonne tibi videtur Maiestatis diuinæ grauis offensio? & libertatis Ecclesiasticæ enormis & violenta turbatio? Quod iura dum considerant, variè hoc crimen puniendum statuunt, sicut & ipsum variè quoque
3 interpretantur & intelligunt. † Nam quisquis sacras ędes, templa, delubra, aut sacra monasteria, eorumq; fines, confinia, septa, atria, vel porticus, per vim, aut vllam illatam violentiam violat: is secundum iura ciuilia (quoniam crimen læsæ Maiestatis committit, l. Fideli, C. de his qui ad Eccles. confug.) plectendus est capitali & vltimi supplicij animaduersione, & bonorum confiscatione, l. fin. primo responso, C. de his qui ad Ecclesiam confug. & ibi Cyn. & alij scrib.

4 ſcrib. Ex Iure verò † Canonico damnandus eſt reſtitutione perſonæ auulſæ, & reparatione omnium detrimentorum, deinde alia quoque pœna arbitraria, iuxta qualitates & circunſtantias rerum, per ea quæ leguntur & notantur in c. Non minùs, & in c. Aduerſus, ext. de immu. Eccleſ. Et poteſt violator pecuniaria pœna puniri: nempe mulcta nongentorum ſolidorum, c. Si quis contumax 17. q. 4. Deinde, vt violatores, & vt publici latrones habendi ſunt, & excommunicandi, donec reſipiſcentes damnum omne reſarciant, & ablata per pœnitentiam reſtituant, c. Sicut antiqui-
5 tus, eadem Cauſa & Quæſtione. † Verùm non eſt, quòd quamlibet perſonarum abſtractionem à locis ſacris hoc crimine notes, & violationé templorum nomines: quia ne ipſe leges quidē Canonicæ ſeu Canones, quaſuis perſonas libertate Eccleſiaſtica donant, ſed multas (potiſsimum triplices) ab ea arcent, quibus priuilegia ſacra, & ſacra loca patrocinari nolūt: ſed eas à ſeculari Iudice, è templis, & alijs locis ſacris eripi ſinunt, ac omnibus eaſdem eripiendi poteſtatem fa-
6 ciunt. † Primò enim è templis (citra templorum violationem) eripi ſinunt latrones quoſuis publicos, vel agrorum depopulatores, ſicarios in nemoribus, aut vijs publicis graſſantes, c. Inter alia, ext. de immu. Eccleſ. & ibi Panor. & alij ſcrib. c. Sicut antiquitus, iuncta gloſ. in verb. Niſi publicus 17. q. 4. & l. 1. & 2. C. quando liceat
7 vni. ſine iudi. ſe vindi. Item † homicidas furtim & ex captatis inſidijs homicidium perpetrantes, & non aperto Marte, per text. in c. 1. ibi, per induſtriam, & ibi, per inſidias. & ibi Doct.
8 ext. de homicid. Deinde † eos arcent, qui ſub titulo Eccleſiaſticæ libertatis, & ſub ea confidentia homicidium committunt, vt à patrato crimine ſeſe mox in locum ſacrum proximum recipiant, tanquam ibidem per locum ſacrum tutandi: non commiſſuri alias crimen tale, niſi protectionem Eccleſiaſticam ilicò à facto ſperarent: aut niſi cœmeterio proximi, ilicò certum ſubterfugium, poſt factum homicidium, conſpicerent ad templum vel locum ſacrum. Nam quum hac ſpe licentioſiùs peccent, non ſunt per talem iniquam ſpem à libertate Eccleſiaſtica defendendi: ſed Iudici ſeculari potiùs relinquendi, c. vltim. & ibi Panorm. alijque ſcriben. extra de immun. Eccleſ. Nemo enim ſub ſpe veniæ peccare debet, c. Illud extra de cleric. excommunica. miniſtran. & c. Quando quis, de conſecra. diſtinct. 4. Quia facilitas venię, incentiuum tribuit delinquendi, c. Eſt iniuſta, 23. quæ. 4. c. Vt clericorum, ext. de vita & honeſt. cleri. Item
9 per † Eccleſiaſticam libertatem non defenduntur illi latrones, milites, & potatores illi, qui in tabernulis, & fornicibus iuxta loca periculoſa, & ad ſpoliādum accommoda potitant, quique conſpectis mercatoribus aut alijs viatoribus illinc euolant, & bonos quoſuis ibi trucidant, aut ſpoliant: nuſquam enim locorum ſacrorum tales liberi eſſe poſſunt. Plures alios præterea à dicta Eccleſiaſtica libertate Iura Ciuilia excludunt: nempe homicidas, virginum ac mulierum raptores, vel violentiæ illatores, & adulteros, per §. Quodſi delinquētes, in Authen. de manda. Princip. colla.
10 3. de quibus ſuprà. Iura tamen † Canonica in his nō per omnia ciuilibus legibus conſentiunt, ſed ſeſe ijs opponunt. Volunt enim tum ſolis homicidis, raptoribus, & adulteris adēptam eſſe libertatem Eccleſiaſticā, quando crimen in loco ſacro commiſſum eſt,

c. fin.

c.fin.ext.de immu.Eccleſi.Angel.in §. vlt. in fin. in Authent. vt liceat matri & auiæ,& Alberi. de roſa. in rub.C. de ijs qui ad Eccleſ. confug. dicens in hac materia, iura ciuiha ſequi debere iura Canonica, & Io.Berberij in ſuo iuris viatorio,tit.de violatori.immu-
31 nita. Imò ne in illis † quidem crimini bus volunt Eccleſiaſticam libertatem negandam eſſe malefactoribus,ſed ijs debere eſſe præſidio: & neminẽ quãlibet enormem maleficum ſeu malefactorem volunt à loco ſacro eripien dum eſſe: donec officiario ſpirituali priùs ſignificatum fuerit, quis fuerit malefactor,& quodnam crimẽ commiſiſſet.Et ſi tale tandem cognoſceretur eſſe crimen,quod Eccleſiaſtico privilegio indignum eſſet:tum demũ ex permiſſu Iudicis ſpiritualis volunt,ciuiles Iudices dictos maleficos ſeu malefactores,è locis ſacris detrahere poſſe, & non aliter, §. Neque autem, in Authent.de mãda.Principum. Colla. 3. & c. Inter alia, & ibi oẽs Doct. ext. de immu. Eccle. & D. Boërius in ſuis deciſionib. aureis, quæſtione 109. ad principium in prima parte.Verum Ec
32 cleſiaſtica† & nimis laxa volũtas,plus æquò maleficis ac malefactoribus fauens,& elabendi occaſionem præbẽs, & impunitatem tribuens, magnã ſępe iuſtitiæ remoram & dilationẽ gignit: ob quã non rarò criminoſiſsimi, & punitione digniſsimi, cũ graui detrimento reipub. & iuſtitiæ, & cũ maiori malo agricolarum,mercatorum, & bonorum ciuium,elapſi ſunt:Ideóque talia iura Eccleſiaſtica non ſeruantur de facto:ſed per Iudicem ſeculare extrahũtur, vt inquit Ioan. Fab. in §. fin. Inſtitu.de ijs qui ſunt ſui vel
33 alie.iur.Eccleſia† quoque(vt ad interminas perſonas redeamus)non tutatur monachos apoſtatas: hos enim ipſorum præfectis monaſticis ſiue prælatis citra loci ſacri violationem eripere omni iure conceſſum eſt.Neque
34 etiam † libertatem iam ſæpe dictã confert ijs,qui clericũ vllum occidũt. Itẽ
35 nec patrocinatur † Iudęis, Sarracenis, Infidelib⁹,Hęreticis,Sciſmaticis,Incẽdiarijs templorũ,& ſimilibus,l.1.C.de ijs qui ad Eccle.confu.Ioan.Berber.in ſuo iuris viatorio,tit.de violatori. im
36 munita. Neque † etiam mancipijs ſeu ſeruis à Dominis ſuis aufugientibus, l.Si ſeruus,C.de ijs qui ad Eccleſ. con
37 fug. Iura † quoque & edicta Imperatoria ab Eccleſiaſtica libertate reijciendos volunt nefandiſsimos illos fures ac raptores(clancularióſne,an violẽtos dicere malim,neſcio) qui quibuſuis optimis mercatoribus, patriæ quaſi parentibus alumnis, callida nocturnáque fuga aliquò profugientes, omne debitum ipſis creditum eripiunt, auferunt, & nequiter furantur: vulgus Bãcrotas vocat: optarim ego illos(caue,me ex ſtomacho loqui putes)omnes ilicò citra vllum Principis indultum in oſtio ſuo laqueo ſtrangulatos. Meæque ſententiæ adſtipulantur varia Principis noſtri Caroli Ro. Impera. 5. diplomata:quibus huiuſmodi raptorib. omnem libertatem adimit, & ſeueriſsimè vbiuis locorũ cõprehendendos & puniendos mandat, veluti in diplomatibus ſuis euulgatis, annis 31. & 40. In quibus tales fraudulоſos Bancrotas declarat eſſe publicos latrones & reipu. peſtiferos hoſtes. Ideóque citra omnem diſsimulationem, ſine vllo fauore, & ſine ſtrepitu & figura iudicij, & abſque vllius priuilegij conſideratione, laqueo ſtatim puniendos mandat. Quæ quidem edicta, diplomata tam optarim ſeueriſsimè citra vllam conniuentiam paſsim exequi & ſeruari,quã ſunt prudẽter & vtiliter edicta & promulgata. Sed quæri hîc nequaquam abſurdè

ſurdè poteſt: An quemadmodū perſonæ gaudent immunitate, gaudeant ſimiliter & bona in locis ſacris depo-
18 ſita vel allata? Reſponde† paucis, non omnia bona tuta eſſe in locis ſacris. Quemadmodum bona Principum, hoc eſt, bona debitorum fiſci, Principis aut reipub. quæ non gaudent immunitate, & è locis ſacris efferri poſſunt, citra illius loci violationē: Princeps enim ex iure ſuo conſueuit quęuis bona è templis citra templorum violationem eripere, arg. l. Diuus, ff. ad le. Iul. pecul. Quod fieri tamē non poſſet de bonis alicuius priuatæ perſonæ, hoc eſt, debitorum priuati: quia tunc immunitate gaudent: & ita intelligatur c. Sicut antiquitus, 18. q. 4. ſæpenumero præalligatum cum cordātijs: Niſi certè hoc fieret ex cauſa & cum conſenſu Epiſcopi, quem quidem conſenſum recuſare non deberet: quia Eccleſia nequaquam conſtructa, & ædificata eſt ad faciendum alicui iniuriam ac damnum: Atque ita hactenus de Eccleſiaſtica libertate, quibus ea patrocinetur, quibus verò minimè, in genere dictum ſufficiat.
19 Strictim † tamen hîc iterum commu nem concluſionem ſeorſum poſuero, qua omnes ſimul conſentiunt de Eccleſiaſtico patrocinio tribuendo. In
20 hoc enim omnes † Canoniſtæ conue niunt, vt Eccleſiaſtica libertas tribua tur omnib⁹ maleficis ſeu malefactoribus, exceptis tribus, ſcilicet, depopulatoribus agrorum, inſidiatoribus itinerum, ac homicidis inſidioſis, d. c. Inter alia, & d. c. 1. ext. de homicid. Ioan. Fab. in §. fin. Inſtitu. de ijs qui ſunt
21 ſui vel alie. iuris. †Verùm hanc laxam Canonum & immodicè licentioſam protectionem ridet Petrus de Ferrarijs in ſua practica, tit. forma inquiſitionis, verſic. Ex ijs poteſt non improbabiliter quæri. Dicit enim iura Canonica fuiſſe ad placitum, & ſine ratione facta: imò contra ius diuinum, quo cautum eſt: domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis eam ſpelūcam latronum, c. Decet, de immu. Eccle. li. 6. Si enim Deus noluit tolerare ementes & vendentes in Eccleſia, ſed eos eiecit: quāto magis non vult receptari in Eccleſiam latrones, homicidas, & ſimiles, vt ibi latiùs: & eundem citat D. Nicolaus Boërius in ſuis deciſionibus aureis, q. 109. nonnulla etiam addens: quos tempore & loco opportunis vi
22 dere licebit. † Vbi idem D. Nicolaus abundè tractat diſcordantias legiſtarum & canoniſtarum inter ſeſe, & rurſum diſcrepantiam legiſtarum à canoniſtis, & contra, quas omnes breuitatis ſtudio omittimus, tametſi nonnihil earum ſuprà attigimus. Cætera enim apud eūdem Boërium loco prædicto latiùs tibi perlegenda committimus.

CAPVT CVII.

De publicæ fidei, Salueguardiæ, ſiue ſecuritatis violatione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 107

1 *Salueguardia* } *punitur* { *Hæc capitaliter.*
3 *Securitas pub.* } *punitur* { *Hæc pœna infractori conſtituta.*

2. *Salueguardia quando dicenda est violari.*
4 *Securitas pub. non verbo, sed facto violatur.*
5 *In dubio violatæ securitatis inhærendum est verbis.*
6 *Amplior de securitate videnda insinuatio.*



ET publicam fidem vel publicam Principis indictã pacem, Salueguardiam, aut securitatem infringere, violare quoque est iustitiæ leges, ideóque nec impunibile tale crimen relinquitur. Quisquis enim † vllam Principis publicam fidem (vulgo Salueguardiam) siue securitatem, volens sciensq; violauerit: is puniendus est capitaliter, vltimóque supplicio subijciendus, vulgata l. Denunciamus, ad fin. & ibi scrib. C. de 2 iijs qui ad Eccles. confug. Tum † autem intelligitur publica violari Principis fides, quando quis directè & ex aduerso, quippiam contra talem prohibitionem committit: ita vt is qui ad sui defensionem talem Salueguardiam ac securitatem à Principe impetrauit, per alterius violentiam, aut vlsum dedecus patiatur, aut detrimen- 3 tum. Quisquis † autem violat & infringit eam publicam pacem siue securitatem, quam Magistratus inter quosdam ciues sub certa pœna constituit seruandam: is primus infractor

ctor puniendus eſt ea pœna, ad quam vterque obſtrictus fuerat, quæ aliquando ciuilis, aliquando capitalis fertur: iuxta cõſuetudinem locorum, vbi ea publica pax aut ſecuritas alijs
4 indicitur. Quæ † quidem pax ſiue ſecuritas minimè verbis infringitur, ſed facto tantùm: ad ipſius enim violationem non minùs factum requiritur, quàm in actuali furto, l. Si quis vxori, §. Neque verbo, ff. de furt. Sicut ad veram quoq; quęſtionem probandam, non ſufficit quæſtionis terror ac commonſtratio: ſed ipſum factum, ipſáque pœnaria quæſtio requiritur, l. Item apud Labeonẽ, §. Quæſtionem, & §. Quæſtionis, ff. de iniu.

Quum enim ſecuritas apertè pugnet contra ius commune, ideo ipſius violatio nulla verbali iniuria dicenda eſt committi, ſed facto vt diximus, arg. l. Conſtitutionibus, ff. de iniur. Cæte-
5 rùm † ad conuincendam ſecuritatis violationem, oportet verba ipſa in ſecuritate prolata, accuratè (potiſsimũ quando dubitatur de facto) expendere, & vltra ea non progredi: ſed iuxta eorum formam, ſententiam proferre, l. Non aliter, ff. de legat. 3. Qui †am
6 pliora de hac ſecuritate deſiderat, is tractatum ſecuritatis D. Guilielmi de Cuneo conſulat, Item deciſionis Cappellæ Toloſanæ, q. 4089. & in additionibus ibidem.

CAPVT CVIII.

De pacis ac induciarum violatione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 108.

1. 5 *Non miles* } *violans inducias furto, punitur* { *Quadruplo, & infamia.*
4 *Miles* } { *Capitaliter.*
2. 6 *Inducias violans* { *Hoſtem lædendo, vel cædendo* } *punitur* { *Pugno.*
3. 7 { *Hoſtem occidendo* } { *Capite.*
8 *Clericorum inducias violantium punitio, erit excommunicatio.*

NEque inter leuia crimina cõputanda erit Principum publicæ pacis violatio, ſiue induciarum in bellis pactarũ infractio.
1 Quiſquis †igitur priuatus nõ miles, poſt publicã indictã pacem, aut poſt prociamatas inducias (quæ pactę fuerãt, aut à Principib⁹, aut à ciuitatibus) præſumit vlterius in aduerſarios graſſari, ac mercatorib⁹, aut agricolis ſua
4 per vim eripere: is puniendus reſtitutiõe quadrupli, deinde vt perfidus dãnãdus eſt publica infamia, qua omni publico munere indignus efficitur.
2 †Qui verò vnũ ex hoſtibus, tempore induciarũ durãte, aut cędit, aut lædit, is plectẽdus eſt amputatiõe pugni, aut certè punitur alia pœna arbitraria, iuxta qualitatẽ & circunſtantiã facti &
3 perſonę. Qui aũt eodẽ durãte † tẽpore hoſtẽ occidit: is puniendus eſt capitaliter animaduerſore gladio. Sic
4 ipſi † authorati milites & quicunque alij militiæ ſacramento adſtricti, qui hanc pacem atque haſce publicatas inducias malicioſè infringunt &

vio-

violant,puniendi ſunt quoque capitaliter,ob publicę pacis violationem, l. fin. ad fin. ff. de re milita. Cæteri
5 †verò ab omni militiæ ſacramento liberi,qui tales publicas inducias frangunt,puniendi ſunt pœna Iudici ar-
6 bitraria. Alium†verò lædẽtes plectun
7 tur amputatiõe pugni. Alium†autem occidentes,puniuntur capitaliter, vti antè quoque diximus. Porrò ſi alio quocunque obliquo modo pacẽ publicã,aut inducias publicas violãt,extraordinariè puniendi ſunt. Perſonæ
8 †verò Eccleſiaſticæ has publicas inducias violantes,plectendæ ſunt Eccleſiaſtica excommunicatione, c. Illi qui 24. q. 3. & priuatione, c. 1. in fin. ext. de treug. & pace. Atque ipſe quidem Epiſcopus hanc violationem non puniens,priuatiõe damnatur:multò magis igitur ipſe inferior presbyter aut clericus violationẽ cõmittens, cuius dolus cõmittẽtis haud dubiè æquiùs puniendus foret,quàm Epiſcopi non puniẽtis negligẽtia: hanc tamẽ Eccleſiaſticarũ perſonarũ punitionẽ cernes nõ admodum obſeruari, quare de ea quoque ne verbulum vllum poſthac.



Caput

CAPVT CIX.

De violatione ſepulchrorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 109

1, 2 *Sepulchri violati punitio varia.*
3 *Domus direpta ſepulchra continens, confiſcanda erit.*
4 *Sepulchralia diripiens, quaſi ſacrilegus eſt.*
5 *Iudex violationem ſepulchri non puniens, damnatur 20. lib. auri.*
6 *Cadauer ſepulchro auferens, punitur* { *Plebeius, capitaliter.* / *Nobilis, perpetuo exilio.*
7 *Violati ſepulchri punitio apud Canones nulla.*

ESt alia inſuper violatio, qua non ſolùm viuentibus, ſed & mortuis quoque iniuriam inferimus: nempe quum ſepulcrorum ſaxa, epitaphia, columnas, ſtatuas, aut aliquas ſepulchrales imagines efferimus: quod facientes crimen violati ſepulchri committere dicuntur, quod ſua punitione quoque omnino non vacat, l. Qui ſepulchra, C. de ſepulchr. viola. Quiſquis † igitur alicuius frãgit aut aufert ſaxum, aut lapidẽ ſepulchralem, imaginem, columnam, aut alia ſepulchralia ornamenta: is condemnandus eſt reſtitutione rerum earundem ablatarum, contra illius ſepulti veros poſteros & hæredes: & deinde mulcta cẽtum aureorum, l. Prætor ait, ff. de ſepulchr. violat. imò iure C. decem pondo auri, l. Qui ſepulchra, C. eod. tit. Eadem † pœna quoque damnandus nefarius ille ablator, & ſepulchri violator contra omnes, qui de harum rerum ablatiõe ipſum apud Iudicẽ vrgebunt, etiamſi eorũ nihil omnino poſſeritatis cauſſa intereſſet. † Quin ipſe locus ſiue ipſa domus in quam huiuſmodi ſaxa, marmora, lapides, ſculpturas &c. ipſi raptores deportarunt, ea per ſententiam adiudicãda erit fiſco, l. Si ſeruus, C. eod. tit. de ſepulchr. violat. Nam † quiſquis hoc crimen committit, ſacrilegus habendus eſt, & de ſacrilegio iuxta iura puniendus in decem libras auri, d. l. Qui ſepulchra, & l. Pergit, C. de ſepul. viola. Iudex † verò qui diſſimulanter hoc crimen non punit, damnandus pœna 20. lib. auri, l. Si quis ſepulchrum, C. eod. titu. Qui verò temerarius † præſumit è ſepulchris eximere ipſum cadauer exanime, aut ipſius oſſa vlla, aut reliquias quaſuis: is certè grauiùs, nempe capitaliter puniendus eſt, ſummóque ſupplicio afficiendus: potiſsimum ſi plebeius fuerit, aut infimæ conditionis ſeu fortunæ homo: Si verò nobilis fuerit, damnandus eſt perpetuo exilio, l. fin. ff. de ſepulch. violat. quod vocant iura, deportationem, l. Relegatorum, §. Hæc eſt differentia, ff. de interdic. & relega. niſi vi & armata manu id feciſſet & aggreſſus fuiſſet more latronis: quo caſu capitaliter plectendus eſſet: Si autem ſine armis, vſque ad pœnam metalli, l. Prætor ait, §. Aduerſus eos, ff. de ſepulchr. violat. Quæ autem pœna violati ſe-

pulchri esse soleat, ruminabitis per glos. super verb. Crimen, in l. 1. & in l. Si quis, in verb. violatores, C. eod. tit. Necnon in l. Prætor ait, super verb. Centum aureorum, & in l. fin. ff. eod. tit. de sepulchro viola. ad quas pium Lectorem remitto. De
7 iure autem † Canonico nullam pœnam statutam reperio, nisi quòd gesta irritantur, c. Fraternitatem, ext. de sepultur. Et vt paucis absoluam, quia hac tempestate Ecclesia abūdè prouidit de cœmeterijs, hoc crimē in dissuetudinem abijt, parumq; hæc rubrica in vsu est, ideo ingenij vires in ea exercere superuacaneum foret.

CAPVT CX.

De furto.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 110

1 *Furtum crimmum omnium generalissimum.*

2 3 4 5 6 *Furtum prohibetur iure* { *Ciuili.* / *Naturali.* / *Consuetudinario.* / *Canonico.* / *Diuino.*

7. 8 *Furti definitio duplex.*

9 10 11 12 13 14 15 16 *Furtum fit cum* { *Contrectatione .i. ablatione.* / *Fraude.* / *Ablatione rei* { *Alienæ.* / *Mobilis.* / *Corporalis.* / *Vsu pignoris.* / *Animo furandi.* / *Inuito animo domini.*

17 20 *Furtum est bifarium* { *Simplex .i. non compositum.* / *Non simplex .i. compositum, & qualificatum.*

18 *Burficopi lepidum exemplum.*

19 *Burficopi aliud exemplum.*

21 22 23 *Furti cum* { *Violatione sacrorum* / *Violentia armorum* / *Homicidio, vel vulnere* } *punitio qualis.*

24 *Furtum compositum iuxta maioris partis culpam puniendum.*

25 26 27 28 29 *Simplex furtum punitur iure* { *Veteri in* { *Seruis, fustigatione, vel loris, vel virgis.* / *Liberis* { *Nobilib. vel in dignitate constitutis, pecunia.* / *Ignobil. vel ext. dig. & Probis tamē, pecunia, si soluendo essent, alias corporaliter.* } } / *Nouo* { *Prima* / *Secunda* / *Tertia* } *vice* { *Flagellatione.* / *Auris abcisione.* / *Laqueo vel puteo.* } *Improbis, corporaliter.*

Fur



30 *Fur vocatur* { *Primò* / *Secundò* / *Tertiò* } *Fur* { *Simplex.* / *Conſuetus.* / *Famoſus.* }

33 *Cur fur morte mulctetur.*

34 *Furtum ſimplex Longobardi puniunt* { *Primò, extinctione alterius oculi.* / *Secundò, naſi præciſione.* / *Tertiò, corporaliter.* }

35 *Romani nullam punitionem admittunt in facie.*

36 *In furto Iura Ciuilia nec agnoſcunt* { *Magnitudinem,* / *nec* / *Ætatem.* }

37 *Furtum grauatur potiùs frequentia, quàm magnitudine vel ætate.*

38. 39 *In furto simplici obseruanda sunt*
- *Furum*
  - *Necessitas.*
  - *Inopia.*
  - *Fames.*
  - *Consuetudo.*
  - *Voluntas.*
  - *Calliditas.*
  - *Simplicitas.*
- 40 *Res furto ablata.*
- 41 *Tempus furti.*
- 42 *Locus.*
- *Qualitas furis.*

43 *Pro primo furto simplici suspenduntur*
- *Famuli dominis suis furantes.*
- *Fures equorum, boum, vomerum.*
- *Concisores monetæ Principum.*
- *Hospiti suo furantes.*
- *E locis sacris furantes, vel sacrilegi.*
- *Plagiarij, & mangones.*

44 *Furtum quo* { *Liberi aut Vxores* } *Furantur* { *Parentibus aut Maritis* } *Iura non puniunt.*

45 { *Patri* / *Marito* } *conceditur furata à* { *Liberis* / *Vxore* } *bona vbique posse referre.*

46 *Abducens alienam vxorem marito furantem, punitur capitaliter.*

47 *Vxor marito furans, & cum mœcho fugitans, punitur exilio, vel arbitrariè.*

49 *Fures in iure sunt quadrifarij*
- 48 *Improbi & simplices.*
- *Improbiores, atque hi*
  - *Effractores.*
  - *Expilatores.*
  - *Sacculary.*
  - *Directary.*
- 49 *Improbissimi, vel grassatores.*
- 50 *Plusquam improbissimi, id est, latrones famosi.*

51 *Furum item alij sunt*
- *Manifesti.*
- *Non manifesti.*

52 *Amara reprehensio prætorum, bona furum sibi vsurpantium.*

53 *Furta licita sunt quæ fiunt*
- *Deo iubente,*
- *aut*
- *Iure permittente.*

54 *Carnifices in quibusdam locis furtorum sunt receptores.*

55 *Exemplum furti, in valido mendicante.*

56 *Aliud exemplum furti in valido mendicante lepidum.*

57 *Exclamatio in neglectum legis vnicæ de mendicantibus validis.*

58 *Constitutiones Philippi & Caroli V. de vagabundis, & validis mendicantibus.*

59 *Laus institutionis Scholarum pauperum apud Brugenses.*

Expli-

EXplicatis varijs criminum generibus, quæ non vsquequaque frequenter occurrunt, enarrandum quoque tandem fuerit criminum penè omnium generalissimum, furtum
1 quod † vbique gentium tam est familiare, vt vix vllum inter mortales reperiatur aut frequentius aut notius, eoque non minùs ad societatem humanam tuendam pernitiosum & dete-
2 stabile: ideóque † quouis Iure prohibitum, primò, Ciuili, vt ff. & C. de furtis, clarè & apertè constare haud du-
3 bium est. Deinde Iure † naturali, quod ostéditur aperta l. 1. ad fin. ff. de fur. & §. Furtum, Instit. de oblig quę ex delic. nascun. Ius enim naturale dictat, vt quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris: hi ic est, quòd Schytæ, qui iure scripto carent, nullum delictũ grauiùs puniunt, quàm furtum, vt apud Iustinum: Ad hæc Iure prohibetur
4 † Consuetudinario, vti ipsa quoque communis experientia docet. Præte-
5 reà Iure † Canonico, vt extra, de fur-
6 tis. Postremò, Iure † prohibetur Diuino, sicuti in Decalogo apertè monstratur, cum dicitur: Non furtum fa-
7 cies. Est autem † furtum, alicui clam, occultè, & sine armis, sua eripere: vel furtum est alterius bona mobilia, vel vsum eorũ contra possessoris consensum animo furandi fraudulosè auferre: Aut (si mauis Iurisperitorum defi-
8 nitionem) furtum † est contrectatio fraudulosa rei alienæ mobilis, corporalis, vel etiam vsus eius, possessionísve, quæ fit animo lucrifaciendi, inuito domino, l. 1. ad fin. ff. de furt. & §. Furtum, Institu. de obliga. quæ ex delicto nascun. Hic autem furti definitionem ipsam ad verbum exprimere libuit, quod tamen in alijs criminibus non vsque obseruatum compe-
9 ries. Dicitur autem in † definitione (contrectatio) non ex rigore grammatico, pro quouis contactu rei alienæ, quæ nullum obligat vllo crimine: sed contrectationẽ Iurisperiti omnes hic intelligunt actualem rei alienæ ablationẽ, hoc est, furtum, quod sine fraudulosa contrectatione fieri nequit, licet volũtas furandi & auferendi adfuerit, aut licet id ipsum cõceptis verbis, aut scriptis vllis quis minatus fuerit: Sola enim & nuda cogitatio, & furandi voluntas, aut scriptura, aut contactus, furem facere non possunt, nisi actualis sequatur rei ablatio, d. l. 1. versic. Sola cogitatio, ff. de furt.
10 Diximus autem † in definitione (fraudulosa) quia si quis credat aliquem facilè permissurum contrectare, hoc est, auferre res suas, is ablatiuus contrectator nullum furtum committeret. Similiter, si quis clãculum res alienas auferret, putans easdem esse suas, omníq; iure sibi proprias, & ob hoc nihil inconcessi se patrare credens, sed omni iure licita: is certè ablator propter errorem nullo modo furtũ committit, quòd nec is error, nec ea ablatio fraudulosa fuerit, §. Quia tamen,
11 Institut. de vi bo. rapto. Dixi † item in definitiõe (rei alienę) quòd rei propriæ nemo furtum committere possit, nisi eandem rem forsan haberet cũ alio communem: Tum enim nõ tam suarum rerum, quàm alienarum fur habendus esset, l. Si socius, ff. de furt. Dictum † est prætereà (rei mobilis) im-
12 mobilia enim (vt ipsa vox sonat) propter summam suã grauitatẽ & onus, moueri & contrectari vel auferri non possunt, §. Quod autem, Insti. de vsucap. Si tamen quis cretam ex fundo alieno abstulerit, furtum committit: non quòd cretã effoderit, sed quòd eã scilicet mobilẽ effectam abstulerit, l. Si cretæ, ff. de furt. Dixi insuper (rei
13 corporalis:) Quia † res incorporales, sicuti nec tradi nec possideri possunt,

ita nec contrectari nec auferri, l. Seruus, §. Incorporales, ff. de acqui.
14 re. domi. Dixi † item in definitione (vſus, poſſeſsioniſve:) Quia ſi creditor vtatur debitoris pignore, vel ſi depoſitarius vtatur deponẽtis re depoſita, vterque furtum committeret, l. Si pignore, ff. de furt. & §. Furtum autem, Inſtit. de obligat. quæ ex delic. naſcunt. Dictum etiam fuit (animo lucrifaciendi) † propter eos, qui
15 res alienas interdum contrectant & ſecum auferunt, non tamen animo furandi auido, & ex ea re lucri quippiam parandi cupido: ideóque etiam nullum furtum tales committunt: quia nullum furtum ſine affectu furandi, & ſine lucri amore indè parandi, committitur, §. Item ſi is, Inſtitut. de vſucap. & §. Placuit, Inſtitut. de obligat. quæ ex delic. naſcun. Dictum eſt denique in definitione (Inui
16 to domino:) quia † quando fit domino permittente, etiam ſi ſurripiẽs putet eam ablationem inuito domino fieri, furtum non eſt, §. Placuit cum §. ſeq. Inſtitu. de obliga. quæ ex delic. naſcun. Poſt furti definitionem ad ipſius diuiſionem procedendum
17 eſt. Furtum igitur eſt duplex: † Alterum ſimplex: Alterum non ſimplex. Simplex furtum & non compoſitum, id eſt, ſine aliqua alterius criminis compoſitione, eſt, cui nullum aliud crimen aggrauans vnà coniunctum eſt. Huiuſmodi furtis ſubeſt aliud
18 furti genus, quod † burſicopiam vocare poſſumus, id eſt, burſarum abſciſiones. In quo crimine multi dexterrimi ſunt, & aſtutiſsimi, qualem ego audiui de quodam Antverpienſi qui in æde virgini Mariæ ſacra conſpexit quatuor aut quinque mercatores Brugenſes mihi notiſsimos, horum vnum altari cuidam incumbentem in re diuina, latenter is fur aggreditur, aſtat, & crumenam mercator is ex pera (quam ſub toga ſuſpenſam habuit) ſubripit, in qua fuerant plus minus 100. carolini. Mercator domum reuerſus, ſubreptam crumenam comperit, tacetq; ne alijs riſui fieret. Proximo dominico die, eodem in altari breuiori pallio amictus denuo incumbit, peramq; rurſus apertius oſtentat. Acceſsit idem larus hians, crumenamque tentat. Mercator ipſius manum perſentiſcens ocius ſe erigit, furem capillis comprehendit. Vah (inquit) fur nequiſſimè, tu es qui ſuperiori Dominica hîc crumenam meam ſurripuiſti, eandem mihi ocius redde, aut te hic comprehenſum curabo. Fur veniam, & ne pudefiat, rogat, reddam tibi (inquit) omnem pecuniam tuam, loco mihi per te deſignando. Hic mercator, prandebimus (inquit) quaterni in Leone, in foro, illuc pecuniam mihi referas volo, aut in patibulum te abreptum curabo. Noui enim vbi habites, quidque exerceas. In prandium fur reuertitur, pecuniam ſurreptam numerat, & vt factum ſecretum maneat, orat. Cum ijſdem mercatoribus prandet, abſoluto prandio à Mercatoribus rogatur cur tam vili, & ſceleroſo crimini ſeſe addixerit. Quid (inquit) facerem, huic furto à multis annis aſſueui, & verſatiſsimus, aſtutiſsimuſq; in eo euaſi, vt iam vix me ab eo temperare queam. Si mei artificij ſpecimen aliquod experiri cupitis agite, contendo vobiſcum periculo huius ſymboli, quod alicuius veſtrum crumenam ſurripuero proxima dominica, ſi ad templum vos venturos cum crumenis, promittitis. Mercatores conditionem accipiunt:

cipiunt, & circa futuram dominicam ſinguli crumenas ſuas quàm poſſunt abditiſsimè occultant, alius in fœmorali, alius ſub axillis, alius in tunica, quartus in ocreis. More igitur ſolito hi mercatores templum adeunt, peracto ſacro ad diuerſorium redeunt. Inter prandendum meminit vnus eorum de fure, num quis eorum ipſum in templo vidiſſet, id ſinguli negabant. Hoc dicto fur ipſe in cœnaculum venit, conuiuas ſalutat, rogat num memores eſſent pacti, octauo die inter eos initi, an nemo ipſorum perdidiſſet crumenam ſuam, ſinguli ſuas perquirunt. Vnus atque alter dixerunt ego meam habeo, alius ego quoque meam. Vnus verò comperit partem manicæ ſuæ vna cum crumena ſimul abſciſſam. Fur eandem ilicò tradit. Mercator rogat quibus technis id feciſſet: Nouacula (inquit) acuta, & pollice plumbato. In proceſsione, & populi compreſsione. Hic cachinnus tollitur, artifex laudatur, & potatur ſtrenuò. A prandio furem dimittunt duobuſq; aureis ornant, ad ſaniorem interim mentem, & ad reſipiſcentiam ipſum admonent. Hi ijdem † mercatores inter pauculos dies proficiſcuntur Bergas, vbi ipſis non procul à Bergarum portis aduehitur obuius fur iam iam ſuſpendendus. Conſcendunt hi in editiorem colliculum Iuſtitiæ executionem conſpecturi. Adiungit ſe eis paruus nebulunculus, eandem quoque executionem conſpecturus, à mercatoribus ſuſcipitur, vt melius conſpiceret, erigitur, continetur, & ſeſe vt fortiter teneret, iubetur: quod hic nebulunculus gnauiter fecit, & vnum ipſorum ſtrictè complectens, rogat num ipſum læderet, ipſo mercatore hoc negante, furunculus ſuũ artificium exercet, & mercatoris cui adhæſerat crumenã abſcindit, quod idem mercator non prius perceperat, quàm Bergas in diuerſorium venerat. Huiuſmodi technas imò furta flagitioſa, quotidie nobis fiunt obuia, & crebriora ſunt quàm reipubli. bonum eſt, ſed de his plus ſatis. Porrò non ſimplex furtum, id eſt, compoſitum cum alio crimine eſt, † quod aliquo additamento, vel circunſtantia aliqua grauante, conduplicatum aut aggrauatum eſt: veluti ſacrilegium, quod furtum eſt non ſimplex, ſed qualificatum, duplex vel compoſitum. Præter enim rerum violentam ablationem, adiunctam quoque habet vel loci ſacri violationem, vel rei ſacræ illicitam contrectationem: Ideo is ablator non vt ſimplex fur puniendus eſt, ſed acriùs, & enormiùs: quòd is fur non ſimplex habeatur, ſed fur cum adiuncto, nempe fur ſacrilegus. Sic etiam qui † quippiam furatur adhibita violẽtia publica vel priuata, effringendo ſeras aut alia repagula vel obices: is (quia non ſimplex furtum admiſit, ſed furtum alio præterea ſcelere auxit) non ſimpliciter etiam puniendus eſſet, ſed lege Iulia de vi publica vel priuata: vel quia furando occidit vel vulnerauit: & tenetur le. Cornel. de ſicar. vel le. Aquilia de vulnerato. † Et ſic, quotieſcunque furtum componitur cum alio crimine, ſi illud cũ quo componitur, inſignius fuerit & † notabilius crimen: tunc punitur pœna criminis notabilioris, vt claret ex iamiam allegatis & productis exemplis. Iuxta hos enarratos modos dicendum quoque fuerit in omni-

nibus alijs modis similibus, in quibus cum furto aliud crimen coniunctum adhæret, quod multis exemplis tibi commõstrare possem, nisi id plus molestię conferret & laboris, quàm subtilitatis. Quocirca pergamus ad reliqua furti simplicis, cuius definitionẽ suprà tibi apertè explicauimus: nunc verò furti simplicis varias punitiones accipe. Sed furtorum simplicium variam distinctionem priùs dignoscas oportet: Quandoquidem iuxta iura vetera simplex furtũ puniebatur pro qualitate personarũ, ad hũc modum:
24 Si † furtum simplex commissum fuisset à seruo: is seruus puniebatur fusti gatione, virgis, loris, aut alia simili punitione corporali citra mortem, l. In seruorum, ff. de pœnis. Si verò à libero homine commissum erat: tunc is liber, aut erat in dignitate constitu-
25 tus, aut certè nobilis. Si † in dignitate fuerat, aut nobilis: tum puniebatur pœna aliqua pecuniaria, sicut habet l. Capitalium, §. Non omnes, ff. de pœ. Si verò ignobilis & ab omni dignitate pub. alienus: tum considerabatur, an homo erat probatæ vitę, an culpa-
26 tæ. Nam si is ignobilis, † & idiota plebeius fuisset bonæ vitæ, & qui ex consuetudine non consueuerit talia committere mala: tunc is puniebatur mulcta pecuniaria: quam si soluere non potuisset, conuertebatur ea mulcta in pœnam corporalem: In argumentũ adducebant l. 1. §. Generaliter, ff. de pœ. & l. Quicunque, §.
27 Quod si, C. de ser. fugiti. Si † autem talis persona ignobilis cõtaminatæ fuisset vitæ, & quę aliàs similia perpetrasset mala, aut alia quæuis: tunc ea puniebatur corporaliter, d. l. Capitalium, in fine, ibi. Maiores nostri in omni supplicio seueriùs seruos, quàm liberos: famosos, quàm integræ famæ homines puniexunt. Atque ita de iure veteri, quod in puniendo furto personarum distinctionem perpenderat. Post hac de Iure nouo, quod talem distinctionem non recipit, sed omnes ex æquo de furto punit, vti habetur Auth. Sed nouo iure, C. de ser. fugi. & text. vnde d. Auth. deprompta est, in Auth. vt nulli iudicum, §. Quia verò nos oportet, colla. 9. constitu. 9. Sunt tamen nonnulli, qui iuxta communem curiarum praxim, iura vetera, iuxta distinctionem præfatam obseruari velint, sed his non est summa authoritas: Secundum iura noua igitur in d.
28 Auth. Sed nouo iure, C. de ser. fugit. & iuxta inoletam † diuq; receptam consuetudinem, simplex furtum, in fure primum deprehenso, punitur flagellatione seu fustigatione: Si secundò commiserit, punitur auris alterius aut manus abscisione, vel alia nota corporali. Si autem ita bis correptus, non resipuerit, sed tertium furtum audet aggredi: tum ita tertiò deprehensus puniendus erit suspendio: nempe quòd furtum toties iteratum, factum sit auctius & grauius: ideóque
29 pœnam meretur maiorem. † Sed hoc suspendium furti simplicis nascitur potiùs ex legum interpretatiõe, & ex consuetudine publicæ tranquillitatis gratia obseruata, quã ex vlla certa & cõstituta in iure, lege, teste D. Ioã. Ber. in suo iuris viatorio, sub Rub. de fur.
30 Fur † aũt ille, qui secũdò furti reus deprehenditur, vocatur in Iure fur cõsuetus seu consuetudinarius, quòd bini actus consuetudinem efficiant, l. 3. in fin. & ibi glos. in verb. Consuetudini, C. de epis. audien. Barth. in l. Cõsuetudinis, versi. Deinde quæro, quot requirũtur ad consuetudinẽ inducendam, C. quæ sit long. consue. l. Capitalium, §. Solent, iuxta fin. ff.
31 de pœ. Qui verò † tertiò furtũ commisit, is fur famosus vocatur, vel

graſ-

graſſator: & propterea vir reſte, mulier puteo, aut aliàs ex more cuiuſque regionis, ad mortẽ punitur: niſi enim
32 † tales iterantes fures iuſtitia morte condemnet, parum profectò ad reſipiſcentiam furum profuerit: imò ne pilo quidem eos correctiores reddiderit, quamlibet etiam atrociſsimis pœnis, eos citra mortem affecerit. Adeò tales fures omnes pœnas iuſtitiæ rident, & flocci faciunt, vt earum gratia à furto rariſsimè ſuperſedeant, niſi præmaturiùs è viuis (ne ampliùs obſint) ſuſpendio tollãtur. Quod quũ cordati Iudices & oculata iuſtitia cerneret, ſtatuit tandem tertiò in furto
36 deprehenſos, laqueo eſſe tollendos, licèt in Iure (quando ſeculum erat noſtro æuo non parum melius) hoc non ſit expreſſè notatum: nẽpe vt vel hoc modo communi conſulatur bono potius, quam vt immodica laxitate alios in furandi aſsiduo ſcelere foueat: atque hanc noſtram conſtitutam
33 legem conſuetudinariam imitantur † Longobardi: ſed ad hunc modum ali quãto à noſtro differentiorem. Nam pro primo furto, ſimplicẽ furem pu-
38 niũt alterius oculi exoculatione: pro ſecundo, naſi præciſione: pro tertio, corporaliter ac morte. Iura verò Ro-
34 mana † nihil læſionis, nihil iniuriæ humanæ faciei inferri ſinunt: ſed omnem faciei maculam, imò quæuis humanæ faciei dedecora prorſum aſpernantur, & abominabilia eſſe volunt. Quocirca nec vllam punitionem in facie ſtatuunt, quam ad diuinam effigiem effectam eſſe cognoſcunt, l. Si quis in metallum, C. de pœ. ibi, quo facies, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis eſt cœleſtis figurata, minimè
39 maculetur, &c. gloſ. in verb. Seu furtum, in c. vnico, in. §. Iniuria, de pace tenenda inter ſubd. in vſib. feu. Cẽte-
35 rum Iura Ciuilia † nullũ diſcrimẽ ponunt inter fures ratione magnitudinis furti vel ætatis: vt puta ſi aliquis fur abſcindat marſupium cuiuſdam ſcholaris, quod (vt plerunque) nõ eſt munitum multis pecunijs, putans illum eſſe opulentum mercatorem, animo auferendi quicquid in eo inuenerit, & ibi nõ inueniat niſi groſſulum: alius abſcindat marſupium mercatoris, in quo inueniat aureũ: tales profectò æquali pœna puniendi ſunt. quia æquali cupiditate furantur. Omnes enim fures, & iuuenes & ſenes, & magni & parui furti, iura ex æquò puniunt capitaliter, quando frequenter
36 contigit: † quia plus delictum aggrauatur ex frequentia, quàm ex magnitudine rei ſubtractæ, Iaſon in §. Ex maleficijs, col. 2. Inſtitu. vi bo. rapt. & iteratio criminis indiget grãdiori ſupplicio, c. 1. de pœniten. diſtinct. 5. l. 3. §. Si plures, & l. Non omnes, §. Deſertor, ff. de re milita. Vnde elicitur: Iura furti frequentiam debere potiùs obſeruare, quam furum qualitatẽ. Hoc
37 tamen notandum eſt, Iudices † non
38 paruam debere obſeruationem adhibere circa furum neceſsitatem & inopiam: an ex neceſsitate famis, an ex animo furandi cupido, furtum commiſerint. Si enim neceſsitate famis, non verò animo fraudulẽter lucrandi, furtum factum ſit, excuſari certè poteſt, c. Si quis & ibi ſcri. ext. de furt. ſi non ſit inſigne & magnum, iuxta l. 1. ff. de furt. Non enim factum quæritur ſed cauſſa faciẽdi, l. Verũ eſt, ff. eo. Et neceſsitas ſanè non habet legem: quum etiam ob extremam neceſsitatem aut alimentorum gratiam, filios ſuos vendiderint parentes, authore
39 Paulo lib. 5. Sentẽt. Deinde † obſeruẽt oportet circa calliditatẽ aut ſimplicitatẽ furũ, hoc eſt, an furatus ſit ex deſtinata malitia, vel ex conſuetudine, vel ex ſimplicitate, & imprudẽtia, qua

non putabat ſe tantũ crimen cõmitte
re: vel certè an ex paupertate, & rerũ
egeſtate ad furtũ penè coactus & im
40 pulſus fuerit. Deinde † res obſeruent,
an panes aut potũ furatus fuerit, aut
ſimiles res edibiles & potabiles. Ad
hæc obſeruent tẽpora cõmiſſi furti:
an fuerint ea rerum omnũ pœnuria
differta & obnoxia: an vbertate omni
abũdãtia. Poſtremò, furti cõmiſſi lo-
cum diligenter obſeruent oportet, &
furis qualitates omnes: huiuſmodi
enim circunſtantiæ, furtum aut gra
uant aut eleuãt, adeò vt non videam,
quam æquam de furto ſententiam
ſit laturus Iudex, qui iſta non accu-
41 ratè expenderit. Sunt tamen † quæ-
dam furta, ob quæ primò deprehen-
ſi fures morte afficiantur: veluti in
Francia, & in alijs quoque regioni-
bus vſitatum eſt, ob primum etiam
furtum ſimplices fures in crucẽ adige
re. Primò enim ad patibulũ rapiũt do
minorũ ſeruos ſeu famulos & dome 42
ſticos oẽs cõuictores, qui ſuo domino
aliquid ctã (licẽt primũ fuerit) eripiũt:
Tametſi iura velint ſeruos ſeu famu-
los ob furtũ dominis ſuis factũ, nun
quã publicè exequẽdos & puniẽdos
eſſe: imò nullũ ſeruum ſiue famulum
morte puniendum ob furtum, in
domo domini ſui commiſſum, l.
Serui & filij, ff. de furt. In Francia præ-
tereà vſitatum eſt, primos etiam fures 43
ſuſpendere, qui primò ex aratris fu-
rantur vomeres, aut equos, aut bo-
ues. Deinde qui Principum monetas
defalcatoria concilione diminuunt.
Ad hæc qui ſuo hoſpitio in diuerſorijs
quid auferũt, vbi hoſpitati ſunt. Itẽ
qui aliquid è templis, aut cœmeterijs,
aut ex alio loco ſacro furãtur. Poſtre
mò plagiarios omnes & mangones,
qui aliorum liberos ſeu filios pigno-
ra chariſsima ſurripiunt, vt alijs di-
mẽdant, vt etiam in l. fin. C. ad l. Fa-
ui. de plagia. Huiuſmodi enim fures
omnes licèt ſimplices, licétque primò
commiſerint: Franci tamen alijque
permulti in crucem ſurripiendos vo
lunt. Iura porrò Cæſarea in c. 1. §. Si
quis quinque ſolidos, de pace tenenda, & eius viola. in vlib. feud. furun-
culum etiam puniunt capitaliter &
laqueo, qui tantum quinque ſolidos
furatus eſſet. Verùm hoc intelligas
oportet, quando tale furtum ſimul
contingit cum violatione pacis, aut
induciarum, aut ſimilium fœderum.
Nam in talibus furtis aiunt nonnul-
li Doctores ſingulos ſolidos indicare
& efficere vnum nummum aureum
è quibus 72. conſtituerent vnam lib.
auri, gloſ. in §. Et iudicare, in verb. ad
trecentos, in Auth. de defen. ciuita.
colla 3. gloſ. in l. fi. & ibi Alex. ff. de in
ius vocan. gloſ. in §. fin. in fi. Inſtit. de
pœnis teme. litigan. cũ pluribus alijs.
Porrò filij † aut filiæ, qui ſuis furãtur
parẽtibus, l. Ne cũ filio ſa. ff. de furt. &
vxores, quæ ſuis furãtur maritis, fur
tum quidem committũt: ſed vti fu-
res non ſunt punibiles: ſubſunt ta-
men Iudicis cenſurę arbitrariæ, vt ex
conſideratis circunſtantijs & perſona
rum, & rerum aliquam punitionem
inſtituat pro ſuo arbitrio, l. Si quis vx
ori, ff. de furt. l. vxor, ff. de crimi. expi-
lat. hæredit. Ideóque † etiam iura, pa- 43
tri & marito concedunt, dicta ablata
bona poſſe referre, ſuóque priori
vſui attribuere poſſe, ſicubi ea conſer
uari aut latere cognouerint, d. l. Si
quis vxori, idque etiam citra vllius
precij numerationem aut pecuniæ
pro ijs ſolutionem, l. Si mancipium,
C. de rei vendica. & l. Inciuilem, C. de
furtis & vtrobiq; ſcribẽtes. Si verò † 44
vxor marito furata, ſe extra mariti cõ
fortium ſubtraxiſſet, & cum aliquo
adultero aufugeret, cui mariti ere-
pta bona tradidiſſet: aut certè ſi is a-
dul-

dulter ipſe per operam vxoris marito quippiã abſtuliſſet, aut pecuniam, aut annulos, aut argentea, aliáve bona ad maritum vel mariti domũ pertinentia: tum is abductor alienæ vxoris & furator puniendus eſſet capitaliter, ob geminum furtum, nempe alienæ vxoris, & rei mobilis contra voluntatem mariti: Fur enim is eſt geminus & adulter nefarius. Porrò vxor ipſa mœcha & fur punienda eſſet exilio, aut alia pœna arbitraria Iudicis. Hactenus de furtorum diuerſitate, & de diuerſis ipſorum pœnis. Ex quibus colligas nũc licet, tam varios eſſe fures, quàm ſunt varia furtorum genera. In Iure tamen enumerantur principaliter fures quadruplices. Sũt enim furum alij improbi & ſimplices fures (quorũ ſuprà meminimus) quíque clam interdiu, noctéq; furantur, & de his loquitur tex. in d. §. Furtum, Inſtitu. de obliga. quæ ex delic. naſcun. & in d. l. 1. ff. de furt. Alij fures vocantur improbiores, quorum quidam effractores dicũtur, qui cum effractura & aſcenſu in domum alicuius, furantur: eæ circunſtãtiæ furti pœnã augent, fureſq; maximè grauãt, vti & ſuprà. Quidã expilatores. Quidam ſaccularij, qui vetitas in ſaculis artes exercent. Quidã verò directarij, qui ſe in aliena cœnacula inferũt & dirigũt: de quibus in l. 1. ff. de effracto. & in l. Saccularij, ff. de extraordi. crimini. Tertij verò, fures vocantur improbiſsimi, qui inſtratis vijsq; furantur publicis, ſine hominis occiſione, & de his eſt tex. in §. Graſſatores, d. l. Capitaliũ, qui dicũtur propriè graſſatores, & ſunt proximi latronib⁹. Quarti autem ac nouiſsimi, fures vocãtur pluſquã improbiſsimi, hoc eſt, qui inſtratis vijsq; regijs & publicis, aut in domibus rapiunt cũ hominis occiſione, aut occidẽdi intentione: & ij latrones famoſi propriè dicuntur, ob maioris ſceleris denominationẽ, & de his loquitur tex. in d. l. Capitaliũ, §. Famoſos, ff. de pœnis. Rurſus, furũ alij vocantur fures manifeſti, alij nõ manifeſti: fures manifeſti ſunt, qui in furto atq; adeò cũ ipſa re ablata deprehenſi ſunt. Nõ manifeſti fures ſunt, qui furtim & clã aliorum bona aut auferũt, aut contra eorũ conſentientiũ voluntatẽ ſeruant & contrectãt, §. Furtũ, & §. ſeq. Inſtitu. de obliga. quæ ex delic. naſcun. Hæc tamen diuiſio nõ magni eſt ponderis, quòd eadem ratio ſit de furto quocunq; modo contracto & cõmiſſo. De homicidio autẽ & furto, pulchram & doctam repetitionẽ habes in §. Famoſos, conſtituto in l. Capitalium, ff. de pœ. editam ac publicè diſputatam per D. Iacobum Boullenc Ebriocenſem, iuris vtriuſq; Prolytã in almo Aurelianẽſi gymnaſio. In qua repetitiõe homicidij furtíq; pœnas apertè diſputat, & explanat, cui annectũtur 45. caſus, in quibus homicida à pœna mortis releuatur. Huc nõnihil facit quod ſcribit D. Bartholomæus Chaſſeneus humanorũ Iuriũ Doctor nequaquã incelebris, in cõſuetudines Ducatus Burgũdiæ, Rub. *Des Iuſtices et droitz dicelles*, §. Quintò, per plures colũnas. Quũ hactenus de furto in genere & de furũ pœnis abundè ſatis explicatũ ſit, antequã hoc abſoluerem capitulũ, inprudentẽ Iudicẽ prius admonitũ volui, vt cũ fures ipſos ſeuerè puniat, ne ipſos etiã officiarios furti abſoluat, aut parcat, qui in captura furũ ſibi reſeruãt, & bono iure aſſcribũt ea bona quę cũ furib⁹ captis reperiũt, aut quę fures ipſis cõmonſtrãt. Sũt enim permulti huiuſmodi officiarij exitiali auaritia rapti & prętores & ſupprętores, & quęſtores parricidarij, latrũculatores, idq; genus officiarij permulti: qui captos fures ilicò omnibus bonis

bonis exuũt,& ſpoliant, rogantes eti am,nũcubi plura furata bona recondiderunt,aut abſtruſerũt. Atque hæc omnia ſibi, neſcio quo iure (nili iure prædario) vendicant, & pro iuſtiſsima poſſeſsione ea omnia ad proprios vſus attribuunt,quum tamen certò ſciant, cuiuſnam ea fuerint, & à quo per fures ablata, (Nam ſecùs eſt de bonis incognitis, & ad fiſcum deuoluendis, de quibus non agimus). Certè tales nefarij Prętores(penè dix eram prædones) quum paruos furunculos in crucem adigant, quo munere quæſo donandi ſunt,qui ijſdem furunculis, imò ipſis veris furtiuarum rerũ dominis, triplo ſæpe maiora ſcientes furantur? Scio quid premam. Fures ſuos infurcam rapiunt, & ipſi furum fures liberi dimittuntur, imò ipſorum furtum tandem iuſtum haberi volunt. Horum tantùm imperitos Iudices admonitos voluerim, ſi tales officiarios (bonos cordatos & iuſtos non noto) punire nolint, ſaltèm ea furibus erepta bona, ab ipſis denuo eripiant, & proprio veróque Domino ſuo reſtituant, & reddant: Nullo enim iure, ea bona, ſua ſunt, quanquam in hoc ſibi mirè blandientes, ſibi admodum perſuadeant: ſed
54 falſò,& ſtultè. Idem quoque† furtum exercent in quibuſdam locis carnifices, qui furunculos interdum alienis furtiuiſque bonis exonerant, ipſos hoſpitio excipiunt, partemque furti ad ſe recipiunt promittentes furunculis ſilentium criminis diſsimulationem & ſicubi neceſſum erit mitiorẽ excuſationẽ atque ita in furto (quantum in ipſis eſt) eos fouent, & alunt. Verùm huiuſmodi carnifices cum ipſis ſuis furunculis, mea ſententia, in crucem ſimul abripiendi eſſent, imò aliquanto ſeuerius etiam puniendi. Cæterum velim pie Lector (vt hæc quoque huic ſubnectã capiti) ſubeant tibi quædam eſſe furta licita, eóque etiam nullo modo punienda. Veluti primò fuit furtum Iſraëlitarum in Ægypto: qui Deo iubẽte Ægyptum ſpoliarunt ſuis opibus, vti habetur Exod.12. & in decretis, c. Dixit Dominus,14. q. 5. ibi, nec Iſraëlitæ furtum fecerunt, ſed Deo iubente miniſterium præbuerunt. Sic Abrahã & Samſon & alij permulti fuerunt excuſati authoritate Domini, vt c. Si non licet, 23.q.5. Item excuſatur, ſi quis furaretur res Turcarum, ſiue aliorum Barbarorum, l. Non ſolùm, C. de cõmer. & merca. Item excuſatur & impunitus habetur, qui adſtans abripiat res depoſitas aleatorum, l. 1. ff. de aleæ luſu & aleato. hæc & ſimilia puniri non poſſunt. Qui enim facit aliquid aut Deo iubente, aut lege permittente, non peccat, l. Gracchus, C. de adulter. & c. Qui peccat, 23.q.4. vbi inquit, Qui ſecundum leges facit, pœnam non meretur, d.c. Dixit Dominus iuncta gloſſa ibidem, in verb. furtũ, nonnullas concordantias allegante. Ad
55 hoc Capitulum† quoque ſpectare videtur illud furti genus, quod a validis mendicantibus planis ſcurris ac impoſtoribus committitur qui veris pauperibus è faucibus debitas eleemoſinas eripiunt, quorum nuſquam non plura quam æquum eſt exempla cõſpiciuntur. Vnum referam, quod Gandaui olim comperi, vbi ego cum aliquot Senatoribus Brugenſibus ſe di ante portam domus ſenatorię: Hic enim nobis adoritur Mendicus quidam, gemibundus, plorabundus, miriſque modis Iri paupertatem ſimulans, eleemoſinam petit, habere ſe latens vitiũ ac malum prædicat, quod pudor vllius hominis conſpectui exhibere deterreat: Ipſius miſerti ſingu li mendico eleemoſinam largimur.

Men-

Mendicus à nobis digreditur. Vnus noſtrum iuſsit famulum ſuum hunc Mendicum inſequi, & proprius quid latentioris vitij haberet, perquirere. Paret is mandatis. Mendicum rogat quodnam ſit illud latens vitium, quo ſe laborare dicebat. Inſpicit faciem, videt pectus, videt brachia, omniaque nitentia & valida conſpicit. Nihil (inquit, famulus in te mali video. Ah (inquit mẽdicus) longe aliud eſt malum, quod me præmit, quod à tuis obtutibus remotum eſt, nempe tale malum, quod per vniuerſum corpus meum ſerpſit, quod per venas ac medullas ita graſſatur, vt nullum ſit mihi corporis membrum, quod ſeſe laboribus ac operis tradere valeat, hoc malum vocari audio pigritiam & deſidiam. Quid? hæccine noxia admodum ſunt vitia. Famulus hic ſtomachabundus diſcedit, ad ſuos redit, Rogatur quod fuerit illud latens malum: famulus vt à mendico edoctus fuit rem explicat, cognitum illud latentiſsimũ malum quod multos alios quoque præmit, aperit. Reſponſum cum riſu omnium excipitur. Mox perquiritur vt Capturæ piæ commendetur. Verum ſcurra
56 alio ſe ſubduxerat. Huic † exemplo non abſimile fuerit illud, quod ego quoque conſpexi in inclita ciuitate Brugenſi, cui tum temporis eram à conſilijs, profecto exemplum non minus lepidum quã flagitioſum & hoc loco narratu dignum. Circa annum Domini. 1536. plateatim mendicabat quidam mẽdicus iuxta externam ſpeciem plane (vt apparebat) miſerabilis, mutus, elumbus, adeò vlceroſus, ſcabioſus & deformis, vt omnibus miſerationem ſui incuteret, alijs etiam lachrimas excuteret. Hic ſingulis dominicis per ſingula parochialia templa ante fores templorũ ſeſe proſtrauerat, ſtraminibus incubans, mutum balbutie quadam ſimulans, tintinabulum altera manu agitans, atque vniuerſam eamque miſerabilem corporis deformitatem prætereuntibus oſtentans. In quem prætereuntes conſpicantes tanta commiſeratione affecti ſunt, vt ſæpe ſingulis dominicis & feſtis ex hac improba mendicitate corraſerit. 5. 6. aut 8. ducatos. Quod quum æquò diutius duraſſet, ad tres menſes & in eodem ſtatu, ſemper per vices ad intermiſſas templorum fores tragediam ſuam iteraret & proforibus D. virginis Mariæ proſtratus, iaceret: cõtigit vt vnus ex publicis ſatellitibus in hunc oculos intentius conuerteret, impoſturæ ſuſpitione tangebatur & quibuſdam prætereuntibus dicebat hunc ita deformatum eſſe plane planum & aſtutum impoſtorem. Tandem curioſius & certius rem cognoſcere cupiens propius acceſsit, & iterum iterumque eundem preſsius intuens cœpit aliquanto audacius aliquot faſcias & pãnos lineos purulentos digitis ſuis detrahere, quibus detractis comperit cutem ipſius eſſe nitidiſsimam, ſanam & validiſsimam: idem conſpicantibus multis. Mendicus autem cernens per hoc impoſturam ſuam detectam quam ociſsimè ſeſe in pedes cõijcit, ceruoque velocius fugam init. Satelles clamoribus inſequitur: Tenete nebulonem, tenete impoſtorem: Ob hos excitos clamores à quibuſdam via prouolanti intercluditur, curſus remoratur, ab eodem ſatellite capitur & ad carceres deducitur. Inter deducendum verò multæ mulierculæ, & ſimplices plebei multi (quibus in via hic mendicus captus flebat obuius) non ferentes hanc indignam pauperis (vt apparebat) apprehenſionem clamare cœperunt, non ferendam talem iniuriam tam indignam

nam, tamque deplorandam qua ita miſelli & vlceroſi homines raptentur ad carceres. Videte (inquiunt) quam tyrannice iſte calamitoſus tractetur, quam inhumaniter abripiatur. Proh deum atque hominum fidem: fieri non poteſt quin Deus tam indignum facinus propediem puniat atque totam ciuitatem funditus tandem perdat. Pórrò ad hunc mendicum vlceroſum imò impoſtorem nefarium, poſtridie à captura acceſſerunt ipſe Prætor cum duobus ſenatoribus, & vno Scriba penſionario, qui poſt carceralem examinationem & rerum debitam diſcuſſionem factam iuſſerunt vt purulentas illas faſcias abriperet, quo facto compererunt ipſius corpus eſſe ſanum, valens, & puriſsimum, nulla in parte læſum aut vlceroſum. Sed iuuenili ætate præditum, fortem & à ſummo capite vſque ad calcem ſanum. Interim fallacijs atque huiuſmodi impoſturis apertè cognitis eundem mendicum impoſtorem admonere cœperunt, rogantes quid ipſum mouiſſet, qui iuuenis eſſet multis naturæ dotibus exornatus, vt ad tam abiectam, vilem & dedecoroſam vitam ſeſe manciparet, & tam miſeram mendicitatem potius amplecteretur, quam vitam per ſe modis omnibus honeſtam complecteretur. Quibus is hunc in modum reſpondit: poſtquam (inquit) video hanc impoſturam meam eſſe detectam, meque infamiæ iam fore ſubiectum, vniuerſum vitæ meæ ordinem nudè profitebor. Parentes habui honeſto loco natos & re lauta, qui me erudiendum curarunt literis Latinis, & Græcis. Poſtea ad iura & ad praxim me applicuerunt. Vbi familiaritatem contraxi cum ijs, qui me ſeductum prorſus corruperunt, adeò, vt relicta honeſtiori vita, relicta patria, relictiſque parentibus (in quorum conſpectum venire metueram) malorum conſortijs me adiunxerim, cum quibus vna in Italiam profugi, hinc in Franciam, deinde Neapolim, mox Cyprum quoque inuiſi, hinc per Siciliam Romam reuerſus fui, hinc Venetias, Inde Germaniam peragraui: ac tandem in Belgiam hanc regreſſus, hic ſedem figere ſtatui. Profuſis autem rebus meis omnibus aleis, atque omni voluptatum genere, tandem honeſtis ciuibus inſeruire cœpi, quorum famulitium impatienter ferens, planis ac nebulonibus me adiũxi, cum quibus per varias ciuitates & Zenodochia vagatus nullum non impoſturæ genus fœliciter didici, quibus mundũ hunc cætum, aſtutè fallerem, pecuniam abundè corraderem, eóque modo commodam in ocio & voluptate vitam degerem. His igitur modis multos ad commiſerationem concitaui, queſtum ingentem feci, ac non rarò ſingulis diebus 4. 5. 6. aut 8. ducatos corraſi, quos per hebdomadam (detractis purulentis faſcijs & indutus veſtibus alijs elegantioribus, quarum quatuor aut quinque genera ſeorſum habebam) in nullo non dilitiarum genere inſumpſi & vitam Epicuri aut certe vitam Sardinapali commodiſsime tranſegi. Abſumpta pecunia ad priorem piſcationem meam redij, domunculam meam denuo ſubij, me vt prius ad ſpeculum (quod in hunc vſum habebam) ornaui, ſiligineam farinam ſingulis membris, capiti, tibijs, pedibus, pectori, ſcapulis ſuperliniui, quæ eadem membra mox lineis laceriſque faſcijs veſtiui, hinc ardentem candelam altera manu com

plecte-

plectebar, altera sulphuris partem quam ardore candelæ per easdem fasciolas pasim instillaui. Postremò columbam aut alium pullum accepi quem discerpens permisi guttatim per eadem membra sulphure & farina oblita instillare vt vniuersum corpus tanto apertius appareret purulentum, miserabile & conspectu horridum, tandem vbi me ita probè ornatum ad speculum contemplatus fui ex tuguriolo meo (quod vbique locorum circa mœnia conduxi, ne quis me ibi instruentem perciperet) prodij, templorum valuas repetij, nonnunquam commeatum parare studui. Ad valuas me prostraui tintinabulum in manu corripui, meamque miserabilem tragœdiam peragere cœpi, meis rebus populi transeuntis pecuniolam aucupari satagi. His omnibus cum risu auditis, Domini ipsum admonendo interrogabant. Cur ipse qui iuuenis esset, elegantissimus, varijs literis & linguis instructus, multisque naturæ dotibus præditus, quibus sese ab egestate facile vindicare posset, imò lautissimam, atque honestissimam vitam vbique locum peragere, mallet huiusmodi technis, dolis, & imposturis victum queritare, quam honestissimis mille alijs exercitamentis vitam protrahere. Quibus ille quoque ridendo ita respondit. Quid inquam miramini de hoc vitæ meæ genere. Ego talem vitam peregi qua ne meliorem quidem optare possem. Vixi enim votorum meorum compos, sine cura, sine sollicitudine vlla, in summa, rerum omnium voluptate, aleas & omnium ludorum genera tractaui, ad quæ natura pronus fueram facile conquisiui. Mulieres etiam formosissimas mihi indulgentissime adiunxi varias ciuitates, varias regiones, varios hominum mores conspexi, quicquid rerum gerebatur vel apud Indos facile cognoui, atque omnia hæc absque vlla animi solicitudine. Ah, inquam, quænam vita huic vitæ generi est anteponenda? Sine cura enim inquam viuere fœlicem ac diuturnam vitam efficit. Curæ verò canitiem contrahunt ac præmaturam mortem accelerant. Dum ita iactanter suam vitam commemorat, Senatores ipsius insipientiam taxant, vitæ inhonestatem coarguunt, indignissimè nequitérque facta improbant, damnant, & contrarijs rationibus nequitiam ipsius conuincunt. Ipse verò quasi pœnitens, veniam optat, relipiscentiam & honestiorem vitam ipsis firmiter promittit, séque in gratiam Magistratus commendat, vt is miserius inuentutis suæ atque insipientiæ in ipsum potius clementiam quã iustitiæ rigorem exerceat, quod ijdem Senatores ipsi bona fide promiserant. Interim tamen non defierunt repetere ipsius nequitiam, ipsumque nefarium factum commi sisse qui tam enorme furti genus impudenter perpetrauerat, veris paupertibus, veras eleemosynas è faucibus præripuerat, & subdolè & fucatè oppresserat & fortasis mortis quoque occasionem (ob non consecutas per eũ debitas eleemosynas) præbuerat. Quam admonitionem is satis patienter admisit, & meliora promittebat. His rebus ita liquido cognitis, Senatores ab ipso digrediuntur, audita, comperta & conspecta ad Senatũ nudè referunt. Causa ipsius discutitur, trutinatur & dãnatur reus, vt postridie eius diei sese in carcere solito more exornet, ita ornatus inter

ſatellites é carcere per Burgum forum publicum conducatur ad domum ſenatoriam, percepturus ibi ſuæ nequitiæ perpetratæ ſententiam. Inter deducendum veró leuis iudicij populus ſatellitibus occlamare cœpit, & obſtrepere, indigniſſime fieri quod tam miſerabilis hominumque omnium infimus, per Magiſtratum raptaretur ad pœnam. Interea tamen reus is impoſtor córam Magiſtratu ſiſtitur, & hac ſententia damnatur, vt ad ſemihoram palo affixus in theatro populo ita ornatus oſtentaretur. Deinde à carnifice omnes faſciæ ſordéſque tollerentur, vt cunctis nitor cutis & corporis ſanitas innoteſceret, deinde 12. virgis ad effuſionem ſanguinis acriter cæderetur, & tandem extra terminos Flandriæ decem annorum exilio, ſub pœna ſuſpendij, relegaretur. Quam quidem ſententiam is alacriter (metuerat enim ſuſpendium) in ſe recepit, ſed minus alacriter verbera ſenſit, qui ita verberibus diſcerptus fuit, vt totum corpus cruore madeſceret. Populus autem his dolis & impoſturis conſpectis, ridere cœperunt qui prius fremuerant, & optimè digniſsimé-
que factum eſſe quod prius imprudenter ſuggillauerant, ſuamque in-
ſipientiam deteſtabantur, qui tam temere Senatorum facta præter cognitionem cauſæ, prius inceſsere non verebantur. Hic † mihi excla-
57 mare libet, Ah hominum verſutias & nefarias planorum impoſturas: Cùm enim eas in memoriam reuoco, ſine dolore commemorare non poſſum ſacroſanctam illam L. Vnicam titulo de validis mendicantibus lib. 11. C. Imp. Iuſtini. tam neglectam atque adeò pene iacere ſepultam, neque diligentius reuocari in vſum. Quod ſi fieret non tot nebulones ocioſos, non tot ſceleroſos impoſtores alerent paſsim Regiones, neque tot paſsim committerentur maleficia. Ex odioſa enim mendicitate quot mala ſuppullulent exempla certius quam libri perdo-
58 cent. Prodiderunt prꝛterea † Imperatores multi, potiſsimum Carolus Roma. Imp. quintus & Philippus Rex Hiſp. Caroli pater in ſuis diplom. æditis Mechliniæ anno 1560. ſalubria Reipub. edicta de validis mendicantibus. Verùm multorum Iudicum inertia quoſuis & vbilibet locorum mendicare permittit, qui eleemoſynis nõ egent, ſed ocium dumtaxat ſectantur & voluptates, & vbicunque pulchram interim occaſionem nanciſcuntur, ibi ne à maleficijs quidem temperant, quorum maleficiorum cauſam præbent Officiariorum ſupina inertia, & corrigendorum pauperum pertinax tædium. Optarem hicnoſtram Chriſtianorum pietatem æquiparari poſſe Turcis & Ethnicis, apud quos nulli fas eſt ita mendicare oſtiatim, ſed vnaquæque ciuitas ſuos alit pauperes, & vere pauperes. Ocioſos autem cogunt ad labores. Qua in
re † mihi magopere laudandæ ſunt
59 Brugæ mea dulciſsima patria, in qua inſtitutę ſunt duę clariſsimę pijſſimæque ſcholæ puellorum vna, puellarúmque altera, quibus præſunt 10. præſtantes viri rectores: illis ſex, his verò quatuor. In has ſcholas ciuitatis pauperes & penè platearum fæces deducuntur, qui ibidem aluntur, veſtiuntur, docentur, & pro naturæ dotibus inſtituuntur, donec adoleuerint. Adulti verò alij traduntur mercatoribus, canonicis, mechanicis, alij liberalioribus ſtudijs, poſtea altioribus facultatibus &
diſci-

diſciplinis. Puellæ in honeſtas familias ſeruituræ traduntur. Nec ab his manus auxiliares Rectores retrahũt, prius quam ad matrimonium elocentur, aut ad ſtatum perfectionis prouecti fuerint. Vnde contingit ex hiſce ſcholis emergere multos viros probos, bonos ciues, mercatores diuites, ſacerdotes, Canonicos, imò & Abbates. Ex altera matronas honeſtas, & aliquando religioſas, Abbatiſſas. Qui fortaſsis omnes ſine harum ſcholarum inſtitutione & auxilio ad nequiſsima peruenirent, alij ad furta, alij ad latrocinia, alij ad alia, atque alia maleficiorum genera. Puellæ quoque aut ad furta, aut ad mendicitatem, aut ad lupanaria, quę iſtarum ſcholarum ope ad honeſtiſsima fœliciter conſcendérunt. Quæ quidem ſcholarum inſtitutio ita pia omnibus viſa eſt, vt eam plures huius regionis ciuitates imitari ſtuduerint. Imò & ipſa Francia eaſdem ęmulari cœperit, forma & inſtitutionibus à Brugenſibus expetitis.

CAPVT CXI.

De Sacrilegio.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 111

1 *Sacrilegium furtorum execrandiſsimum.*

2 *Sacril. eſt 3.* { *Rei ſacræ de loco ſacro, propriè.* / *Rei ſacræ de loco non ſacro, impropriè.* / *Rei non ſacræ de loco ſacro, impropriſsimè.*

3 *Sacrilegij proprij definitio.*

4 *In ſacrilegio quam rem dicamus ſacram.*

5 *Sacrilegium proprium punitur, vel* { *Laqueo.* / *Gladio.* / *Igne.* / *Beſtiarum deuoratione.* }

6 *Sacrilegium improprium punitur* { *Præciſione pugni, vel Perpetuo exilio* } *ex iure.* / *Laqueo vel gladio ex conſuetudinaria lege.*

7 *Sacrilegium maximè improprium punitur, vel* { *Laqueo.* / *Gladio.* }

8 *Generalis ſacrilegij punitio.*
9 *Sacrilegus nullam meretur veniam.*
10 *Quid ſacrilegium excuſet.*
11. 12. *Sacrilegij punitio apud Ethnicos.*
13 *Carolus Impe. de capitalib. iudicijs.*

14 *Sacrilegium apud Canoniſtas eſt quadruplex,* { *Rei ſacræ è loco ſacro.* / *Rei ſacræ è loco non ſacro.* / *Rei non ſacræ, è loco ſacro.* / *Violenta in clericum manus iniectio.* }

15 *Pœna canonum in ſacrilegos nimis laxa.*
16 *Sacrilegus non fruitur loci ſacri præſidio.*
17 *Sacrilegus ſemel, Eccleſiæ tutela indignus perpetuò.*

1 INter † furta materialia (Spiritualia præcipuè punit Deus, aut Iudex eccleſiaſticus, nempe confeſſor) execrandiſsimũ eſt Sacrilegium.
2 Quod & fit tripliciter, † nempe quod ſacrum de ſacro, vel ſacrũ de non ſacro: vel nõ ſacrum de ſacro aufertur, ſeu furto tollitur, &c. Si quis cõtumax, & c. Quiſquis, verſus medium, 17. q. 4. & gloſ. in c. Sacrilegium eadem Cauſa & Quæſtione, & in l. Sacrilegij pœnam, & l. Sacrilegi capite, & ibi gloſ. & in l. Diui, & ibi Bart. ff. Ad l. Iuli. peculat. & Abb. Sicul. in c. Cæterum, colum. 5. de Iudic. Hæc autem triplicia † ſacrilegia non æquè enormia,
3 ſed verum ſiue proprium ſacrilegium de iure ciuili eſt, quod primum poſuimus: hoc eſt, quando aufertur res ſacra de loco ſacro, vt notatur, in d. l. Sacrilegij pœnam, & l. Sacrilegi capite, & l. Diui, præcitatis, & ibi Dynus, Bartol. & Alberi. de Roſa. quamuis de iure Canonico ſufficiat alterum (& ſi minùs propriè) d. c. Quiſquis, & gloſ. & Docto. in c. Conqueſti, de ſenten. excommunicationis.
4 Porrò rem ſacram † hic intellige, non tantum ipſa Sacramenta, ſed ipſa Sacramentorum vaſcula, vel aurea, vel argentea, ſeu monſtrantias, in quibus eſt ſanctum & venerabile Sacramentum altaris, ſeu Euchariſtiæ, aut in quibus ſolet quieſcere, & quęcunque alia ad ſacrorum vſum potiſsimum dedicata, veluti ciboria, phialas, capſulas aureas vel argenteas, calices, patinas, feretra, libros, ornamenta, mappas, linteamina altarium, mantilia, cortinas, cæram, candelabra eburnea, ærea, aut cryſtallina, gazophilacium aut arculam, in quam ſacræ eleemoſynæ conijciuntur. Hoc ſacrilegium leges

ſeueriſsimè puniunt. Nam †quiſquis
5 vllam dictarum rerum eccleſiaſticarum furatur è templis: is puniendus eſt aut igne, aut gladio, aut ſuſpēdio, aut beſtiarum deuoratione, ad arbitrium Iudicis, d. l. Sacrilegij pœnam. Quiſquis † verò ſacrilegium impro-
6 prium cōmittit, hoc eſt, qui vlla bona eccleſiaſtica furatur extra templa aut extra ſacrorum locorum ſepta: is iuxta iurium conſtitutiones plectendus eſt abſciſsione pugni, ſeu manus amputatione, aut perpetuo exilio, arbitrio iudicantis, l. Lege Iulia, §. Mandatis, ff. ad l. Iul. pecul. Conſuetudo tamen (quæ optima legum interpres, necnon pro lege habenda eſt, l. 1. & per totum tit. & ibi ſcrib. C. quæ ſit longa conſuetu.) eoſdem pariter damnat laqueo, aut gladio, vt ſuperiores. Porrò quiſquis † vlla *bona non* ſacra
7 furatur, è loco ſacro: is quoque patibuli damnatur ſuſpendio, aut gladio conſumitur. Nam etſi ipſa bona ablata ſacra nō fuerint, locus tamen vnde ſuſtulerat, ſacer eſt, quē furto violat & cōtaminat: ob quā cōtaminationē & violationem irreuerentē (licet impropriè) etiā ſacrilegus vocatur, & vt verus ſacrilegus punitur. Sic qui è tē plis aut ex alijs locis ſacris furatur, vt è ſepulchris mortuorum cadauera, aut ciſtam mortuariam, vel linteamina & ſimilia: is quoq; ſacrilegus cenſetur, & crucis ſuſpendio, aut gladio (vt cæteri) damnatur, l. fin. ff. de ſepul. viola. cum diſtinctione tamen,
8 vt ibi. Cæterùm † in genere ſacrilegium (vt denuo repetam) ſecundum iura vario modo punitur: nempè aut gladio, aut laqueo, aut igni, aut proiectione ante feras, vt ab ijs deuorētur, ſicut videre eſt in l. Sacrilegij, ff. Ad le. Iul. peculat. Et quia præfatum crimē ſacrilegij furto maius ac grauius eſt, d. l. Sacrilegij, poſt princip. & l. Aut facta, §. Locus, ff. de pœn. ideo omnis pœna, quæ in furto per legem municipalem ſtatuitur, multò magis locum habet in ſacrilegio: quia quod pluris eſt, vtique tanti eſt, l. Cum furti, ff. de in lit. iuran. tenet Baldus in l. Si nondum, verſic. Sed nunquid ſacrilegium, C. de furt. Quocirca
9 †etiam huiuſmodi ſacrilegia minus indulgentiæ, minus veniæ ſeu miſericordiæ merentur, quàm furta rerū profanarum. Furta tamen in † ſacris
10 locis facta, hoc eſt, ſacrilegia, excuſantur etiam famis neceſsitate, iuuentute, & ætatis vel ſimplicitatis imperitia, ſi modò legitimè ac verè de iſtorum aliquo conſtet: In his enim agendum eſt per omnia excuſantia, ſicut in profanis furtis prædictum eſt.
11 Nec obliuiſcendum † hoc capite cenſuimus, *in ſacrilegos etiam apud Ethnicos* ſeuerè animaduerſum fuiſſe: ſicut de Phaleco Phocenſium ductore legimus: qui quū furti inſimularetur, & quòd multas è ſacris pecunijs ſibi vendicaſſe traduceretur, ex Imperatoria dignitate, quam gerebat, prorſus excidit. Nam poſtquam ſacrilegij fama prauatior fieret, tribus delictis ducibus, Dinocrate, Callia, & Sophane, ſacrarum pecuniarum quæſtio eſt habita, qui cum ab ijs, qui eas adminiſtrauerant, rationem repoſcerent, & ij reddere eam nequiſſent, eos maximè cruciatu adfectos, reſtitutiſq; quæ ex furto ſupererāt, morte acerba tandem mulctarunt. Habētur autem
12 paſsim multo † plura apud authores exempla de ſacrilegorum pœnis, atq; adeò à dijs ipſis etiā quos depeculati fuerant, inflictis. Hinc Menelaus apud Libaniū: Vides (inquit) impune nō eſſe ſacrilegis, res Deorū ſuſtuliſſe? vti elegānter commemorat D. Iuſtinus Goblerus Goarinus Iurecōſultus nequaquam incelebris, & variæ multæ que

lectio-

lectionis in ſuis commentarijs (quæ ſumma cum laude edidit) ſuper conſtitutione Auguſtiſsimi Imperatoris
83 Caroli quinti,† de Capitalibus iudi-
84 cijs. De Iure autem Canonico, † ſacrilegium dicitur committi in omnibus caſibus prædictis , quibus etiam addūt quartum, quoties quis manus impias mittit in clericum vel monachum, c. Si quis contumax , c. Quiſquis inuentus,& c. Si quis ſuadente,
85 17. q. 4. Pœna †autem Iure Canonico imponitur, ſcilicet quòd poſt trinā admonitionem excommunicandus eſt,vt vult gloſ. in d. c. Quiſquis inuentus, §. Si quis domum,17.q. 4. In quo miranda eſt immodica Canonū laxitas,qui in tanto ſcelere, tam mitē pœnam imponāt,qua malum foueāt potiùs & excuſent, quàm corrigant aut puniant, ſicut etiam ſentit d.gloſ. Antequam hanc ſacrilegij materiam deſeramus,explicāda ſunt nobis duo dubia ſatis familiaria. Quorum priùs
86 eſt: †An ſacrilegus gaudere poſsit immunitate Eccleſię aut cœmiterij?huic dubio omiſsis varijs argumentis in vtramque partem,reſpōdendum eſt, Sacrilegum nuſquam ſacrorum locorum tutū eſſe,nec vſpiam debere gaudere Eccleſiæ,aut cœmeterij immunitate, c. Frater, 17. q. 4. propter quod dicit text. ibi in c. Sicut, Quòd ſicut maius peccatum eſt, quod in Deum cōmittitur,quàm quod in hominem: ſic grauius eſt ſacrilegum agere, quā fornicari,vt ibi.huc facit c. fin. iuncta gloſ. in verb.Quo facūt ſe indignos, ext. de immunita. Eccleſ. & ibi Panor. 1. Si quis in hoc genus, C. de epi
87 ſco.& cleri. Alterum †dubium fuerit: An ſacrilegium ſemel committens,poſtea in alijs delictis vti poſsit Eccleſiæ aut cœmeterij immunitate?vel ſic: An qui ſemel ſacrilegium commiſerit in Eccleſia vel cœmeterio , de quo non fuerat punitus, ſi ob aliud prius , vel poſterius delictum per eum commiſſum,fugiat ad Eccleſiam aut cœmeterium,gaudere debeat illius immunitate,vel locum habere debeat c. Inter alia,ext. de immunita.eccleſi.? Quam quidem quæſtionem vtrinq; examinauit & affirmatiuè & negatiuè D. Nicolaus Boërius in ſuis deciſionibus aureis, q. 110. Et tandem negatiuam partem probat magis,dicens ita determinaſſe deciſio. Capel. Toloſa. 422. in princ. talem non debere gaudere,per text. in c. Ad epiſcopos, cum ſeq.17. q. 4.& d. c. fin. ext.de immunita. eccleſi. & ibi tenere videtur Abb. Siculus , quia puniri debet in eo in quo deliquit : fruſtra enim legis auxilium implorat, qui committit in legem, & per conſequens contra Eccleſiam, Fridericus Schenck primo Tomo viridarij concluſionum Iuridicarum,Concluſione 8. &c. Poſſem ipſe quidem non pauca huic materię & capitulo non inconuenientia inſerere, nempe quæ certa cognitiōe ab ipſis ſacrilegis maleficis didici & intellexi, veluti quibus modis,qua arte,& quo pacto multi ſacrilegi aperire conſueuerint,ſine ſono etiam aut quaſi templa,priuatas ædes,clauſtra, & portas. Verùm ne hæc docere velle videamur,hoc præcipuè corruptiſsimo ſeculo, ea omnia conſulto ſubticere malui. Reliqua videte locis citatis.

CAPVT CXII.

De crimine expilatæ hæreditatis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 112.

1 *Crimen expilatæ hæreditatis quid?*
2 *Expilator hæreditatis punitur perpetuo exilio, aut pœna arbitraria.*
3 *Expilatorem non excusat ignorantia veri domini.*
4 *Expilator scit bona expilanda non esse sua.*
5 *Bona expilata sunt hæredibus omnibus communia.*
6 *Possidens, hæredes fraudans, perdit ius bonorum suppressorum.*
7 *Expilati cuiusdam Aurelienſis luctuosum exemplum.*



1 ALiud quoq; furti genus est, & peculiari nomine à reliquis distinctum: nempe †furtum luctuariũ, sic vtique dictũ, quòd in domibus luctuum, siue in ædibus mortuarijs, seu in hæreditatibus ferè contingat: ideóque iura vocant crimen expilatæ hæreditatis, vt ff. & C. eisdem titulis, De crimine expilatæ hæreditatis. Id igitur crimen vt nefarium est, & iuri naturæ repugnans, ita sua punitione non caret. Quisquis enim

2 nim furtum † luctuarium, hoc est, cri
men expilatæ hæreditatis committit,
id est, qui domibus mortuarijs aliqua
bona necdum diuisione hæreditaria
partita, aut clam, aut vi sustollit: is pu
niendus est & coërcendus extra ordi
nem perpetuo exilio, aut alia Iudicis
pœna arbitraria, iuxta qualitatẽ per
sonæ, & circunstantias facti, l. 1. ff. eo.
3 tit. Nec expilatori † patrocinatur, si di
cat bona hæreditaria seu luctuarię do
mus adhuc fuisse hæredibus commu
nia, & ex æquo adhuc esse omnium,
vtpote nulla partitione seu diuisione
facta singulis esse distributa: eóq; nõ
dum constare, cuius bona abstulerit,
aut cuius partem eripuerit: licet enim
de certitudine domini necdum con
stiterit, à quo abstulisset: de certi
tudine tamen & expilationis com
missæ, & expilatoris committentis,
certissimè constitit. Atque ipsi ex
4 pilanti † certò constabat, eadem ab
lata bona non esse sua: sed alterius,
licet hic ipsi non innotuit. Neque
hoc ipsi etiam sciendum fuerat,
quum non tantum sit prohibita ex
pilatio domini cogniti, sed omnis
expilatio: atque adeò omne fur
tum rerum alienarum, hoc est, quæ
nostræ nõ sunt. Atque hic si quis mor
dicus vrgeret, & certitudinem certæ
personæ adstruere vellet, vnde talia
indistributa bona sint ablata, non vi
deo quid hac ignorantiæ caussatione
suæ expilationi præstruere vellet: cer
tò defendi posset, certoq; constare de
5 quo ablata sint, nępe † ab hæreditate
siue è domo mortuaria, & à commu
nitate indiuisa: quæ simul coniuncta,
mortui personam vsque ad tempus
partitionis siue diuisionis eatenus re
6 presentat. Cæterùm † possessor aut
possidẽs mulier, si alter ipsorũ ab obi
tu illius, cuius possessionem reseruat
iuxtą consuetudinem regionis depre
henſus fuerit parum fideliter bona
omnia in apertum protulisse, & non
omnia certo scripto, hoc est, reperto
rio, redegisse, sed quædam aut studio
expilandi subticuisse, aut suppressisse:
is iuxta Brugẽsium ac aliorum non
nullorum consuetudinem aut priui
legium, eadem tacita & suppressa bo
7 na perdit. Quantum † autem peccent
in foro cosscientiæ huiusmodi expila
tores nefarij: hoc ipse vno exemplo
satis didici, quum Aureliæ Iuri naua
rẽ operam circa annum Domini 30.
Vbi quidam vir honestus & Aurelien
sis ciuis, in suburbio ciuitatis peste
(quæ tunc ibi magnopere sæuiebat)
correptus, eóque ab omnibus suis
derelictus, ad sui curam & minister
rium adiunxit sibi duas mulierculas
mercenarias, & vnum virum lai
cum. Ingraueſcente morbo, eccle
siasticis sacramẽtis se muniri curauit,
& testamento condito legauit pastori
20. francos pro certis aliquot missis,
quos francos iussit Pastori recipere
ex demonstrata arca quadam. Pasto
re isto digresso, ministri decumbẽtis
coniunctis animis præmonstratã ar
cam adeunt, effringunt & pecuniam
omnẽ repertã diripiũt. Decũbens au
tem semiuiuus, ac penè moribundus,
æquo diutiorem suorũ morã admi
rans in medijs ardoribus sese ex lecto
nudũ corripuit, pedetentim incedens
quid sui molirẽtur perquisiturus, cõ
perit aũt suos diligentissimos in expi
landis suis scrinijs. Quid multis? Hic
moribũdus præ nimio tũ pestis ardo
re, tũ indignissmi facti furore & iracũ
dia percitus, inde se per posticũ sub
duxit ad ciuitatem celerrimè cucurrit
seseq; (infandum) iuxta mœnia versus
Ligerĩ fluuiũ in profundissimũ puteũ
prȩcipitauit, in quo pluſquã 2. menses
corpus ipsius nullo sciente delituit, &
computruit. Atque huius putei aquis

ego & vicini omnes tanto tempore vti fuimus, ex quo plurima incommoda poſtea ſubſecuta ſunt, vt hinc apertè conſtet, quantum huiuſmodi expilatores peccent, qui non ſolum ſuam mentem coinquinant, ſed & alios plurimos in peiora mala pertrahunt.

CAPVT CXIII.

De abigeatu.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 113

1 *Furantes aut* { *10 oues, 4 porcos, equum vnum, bouem vel vaccam vnam,* } *puniuntur in metallum, &c.*

2. *Dicta*

2. *Dicta cum violentia furantes, puniuntur deuoratione bestiarum.*

3 *Abactores siue abigeos hospitio recipientes, puniuntur, vel* { *Relegatione 10. annorum, de iure.* / *Ex consuetudine, etiam exilio 10. annorum.*

4 *Furantes aut* { *Anates,* / *Anseres,* / *Pauones,* / *Gallinas,* } *puniuntur arbitrariè.*

ALia item occurrit furandi species, eáque admodum etiam frequens, nempe abigeatus: id est, de bestijs aliorum furto abducendis: atque hoc furtum etiam suam in iure constitutam habet punitionem. Nam † quisquis alicui pecora subtrahit, furatur & quodammodo deprædatur gregem & numerum 10. ouium aut 4. vel 5. porcorum, aut equum vnum, aut bouem, aut vaccam etiam vnam ex pascuis, vel armentis, aut gregibus: is pro vnico istarum rerum furto, iuxta iura puniendus in metallum, & in perpetuum exilium, l. 1. & 3. ff. de abigeis: secundum consuetudinem verò patriæ & iamdiu inolitam, punitur laqueo & suspendio. Si autem † dicta pecora, vi & adhibitis armis abduxerit, secundum iura puniendus est proiectione ante bestias, siue bestiarum deuoratione, hoc est, damnatur bestijs, l. Abigeatus, ff. eod. tit. de abigeis. Quin & ipsi qui † tales abigeos, hoc est, equorum, aut ouium, aut porcorum subtractores, & quodammodo deprædatores scientes, volentésque hospitio excipiunt, id est, receptores abigeorum seu abactorum, & ita absconduntur, & quantum in ipsis est, tuentur & fauent: ij puniendi sunt relegatione decem annorum, l. fin. ff. de abigeis. Secundum verò patriæ consuetudinem & iamdiu etiam obseruatam, puniuntur exilio decem annorum. Cæterùm † quisquis subtrahit aut furatur aliorum anates, anseres, pauones, apes, gallinas, capos, pullos, cuniculos, idq; genus alias domesticas bestias: is ob furti indignitatem puniendus est mulcta iudicis arbitraria, iuxta qualitatem & circunstantiam facti & personæ. Hoc autem Abigeatus crimen quàm sit frequens & impunitum in nostro æuo, clarius ex ipsis factis, & damnis vbibet locorum pasis erit cernere, quàm ex libris discere, idque tempore pacis, & potissimum tempore belli quando nefarij milites non solum ab hostibus (quod iure belli foret excusabile) bestias quascunque abigunt & diripiunt, sed etiam à suis amicis, cuncta eripiunt, bestias abigunt, ac nullum non detrimentum audacius inferunt, & liberius, quàm ipsis hostibus, quos vt hostes certius metuerent, ab amicis nihil periculi formidantes.

CAPVT CXIIII.

De furto incendiario.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 114.

Furtum incendiarium vel in naufragio commiſſum quid? 1
Pœna furti incendiarij. 2



ADhæc aliud quoque ſpeciale furtum nobis occurrit, quod peculiari loco & tẽpore committitur: ſcilicet illud furtum, quod in incẽdijs cõmittitur: quod certe deteſtandum eſt, vt quod maligno animo deſtinataq; malicia & captata occaſiõe peragitur. Dũ enim †alios incendio turbatos norũt, & rebus ſuis ſeruandis inuigilare ſciũt: atq; ob eã curam ad aliarũ rerũ diligentiorem curã prępeditos eſſe, maligni quidam furunculi ſuis quoq; inuigilant commodis (vt putant) & in ea turbatione incendij, tũ audaciùs, tũ etiã liberiùs, tum incõſideratius, bona domus incenſæ clã ſubripiunt & furãtur: quod crimẽ ſua punitione etiam nõ vacat.

Quandoquidẽ ij, †qui ita in incendijs aliorum bona furtim eripiunt, intra eun-

enndem annũ puniendi ſunt reſtitutione quadrupli: Poſt annũ verò, reſtitutione ſimpli, l. In eum, & ibi Bald. & Salic. C. de furt. & ſer. corrup. Iuxta conſuetudinẽ verò puniendi ſunt laqueo: nempe quòd tanto ſit crimen enormius factũ, quòd ſimulando amicum, & adiutorium velle adferre alteri, factus ſit callidus hoſtis, & furnefarius. Idem quoque cenſendum eſt de ijs qui ſimili modo bona naufragorum eripiunt, d. l. In eum.

CAPVT CXV.

De peculatu.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 115

1 *Peculatus eſt furtum Principis vel reipub.*
2 *Peculator puniendus eſt* { *Quadruplo, & exilio, vel Capitaliter.*
3 *Peculator extra officium receptoratus, punitur laqueo.*
4 *Bonam Principis pecuniam commutans vitioſa, punitur vt depeculator.*
5 *Publicum cenſum ſeruans coniciẽdus eſt in carcerem, vſque ad reſtitutionem eiuſdem.*
6 *Publicus theſaurarius ſtudio quæda in ratione ſubticens punitur* { *Quadruplo, & Exilio.*
7 *Quæſtores erarij, qui militibus, pro bonis pecunijs acceptis, dependunt malis, quomodo puniendi ſint.*

NEque hoc loco ſubticendum crimen illud, quod peculatum †appellant, hoc eſt, furtum aut Principis aut Reipublicæ. 1 2 Quiſquis † igitur in adminiſtrandis, aut diſpenſandis Principum bonis ita infideliter ſe gerit, vt eas pecunias furetur, aut clancularijs technis eripiat, aut ad proprium commodum abutatur, aut ad alios certè vſus, quàm ad vſum Principis: is puniendus quadruplo, & exilio. Imò iuxta multorum ſententiam, puniendus eſt capitaliter, l. vnica, C. de crimine peculat. 3 Alius verò, cui † nulla commiſſa eſt Principis pecunia, qui audet tamẽ Principis aut bona aut pecuniam furto ſubducere: is puniendus eſt laqueo & ſuſpendio, vti fur alius. Porrò cui commiſſa eſt fides & adminiſtratio alicuius ciuitatis aut regionis, aut reipub. ſi is eiuſdem pecuniam ſecum auferat, & ad alios vſus impendat, quàm ad id ad quod ipſi delegatę ſunt, traditæ & commiſſæ, ſine authoritate & conſenſu magiſtratus: is (inquã) puniendus eſt reſtitutione quadrupli & perpetuo exilio. Simili quo- 4 que † modo damnandus eſt, qui talem pecuniam cambit & commutat, 5 eiuſq; loco pecuniam deteriorẽ, aut bona magis vitioſa reſtituit. Qui † autem quippiam annuè Principi debet aut Reipub. aut ſaltèm reipub. bona apud ſe reſeruat, nec ea apud alias Principis pecunias & theſauros deponit in ciuitatibus & locis ijs, quæ ad huiuſmodi theſauros recipiendos

ſunt

sunt commissa: is cõprehendi potest, & in carcere detineri, donec diu illã
6 seruatam pecuniam, suo loco deposuerit. † Thesaurarius seu receptor verò, qui repertus est parum fideliter suum subdixisse calculum: sed certis demonstrationibus constat eum non omnia scripsisse quæ receperat, sed eorum quædam subticuisse: is puniendus est quadruplo, & exilio. His seruiunt l. 2. 4. & l. Qui tabulam, ff. ad
7 le. Iuli. pecula. Item philargyri † illi, quos quotidie cõspicimus, plenis velis tendere ad receptiones publicas & ad Thesauriatus Principum, vel alicuius reipub. aliàs per sese, aliàs interces sione amicorum, aliàs opibus & pecunia, aliàs verò vtroque modo, ea tantùm causa, vt sibi quid lucri indè cõparent, nempe vendendo bonas pecunias receptas, & pro ijs emendo aut adulterinas aut iniusti ponderis, quas miselli s laboratoribus, Principũ aut Ciuitatum nomine persoluant: Quique in bellis quæstores ærarios agũt, vbi pro optima pecunia miseris militibus stipendia soluunt militaria pecunia pessima, iniqua & pondere & auro, (boni receptores à nobis non taxantur) quã pecuniam milites ipsi pro necessarijs exponere nequeunt: Tales (inquam) omnes iniusti receptores, (quales ipse in bellis partim vidi, partim ex ore aliorum didici) puniendi essent, vti superiores omnes, & de quibus antè multa diximus. In summa, quisquis alterius bona, qualia qualia ea sunt, contra voluntatem veri domini aufert, quocunque modo id fiat: is certè furtum committit, diuersum tamen, eóque diuersimodè etiam puniendum, nempe aliud restitutione quadrupli vel dupli: aliud exilio: aliud laqueo: aut alio modo diuerso (vt dictum est) iuxta qualitatem facti, & personæ.

CAPVT CXVI.

De receptoribus furtorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 116

Receptores furum, furibus nihilo meliores. 1
Receptores furum, vt fures plectendi sunt. 2
Consilium furti non semper criminosum, scilicet in foro fori. 3
Cognatio & affinitas eleuant receptionis crimina. 4
Amicus non cogitur amicum furem officiario prodere. 5
Officiario inquisituro omnia recludenda sunt. 6

SVnt multi quos aut pudet, aut qui metuunt maleficium committere, attamen quantum in se est maleficium animo conceptum, & peccandi libidinem opere consummant, aut per se, aut per alium, quem in furto alunt, defendunt, iuuant, & ope succurrunt. Hi † quoniam ipsis
1 furibus nihilo sunt meliores, imò aliqua in parte sceleratiores, quòd eos
2 (vt dixi) in furto alunt, & post † furtum domo recipiũt, aut tuentur: ideo tales quoq; furum aut furtorum receptores non secùs, quàm ipsi fures commissarij plectendi sunt: imò omnes qui furibus vllum solatium, subsidium, consilium, aut iuuatorium famulatum præbent: aut furti fuere participes

ticipes: aut furtiua bona in domum receperunt: aut ex ijs cum furibus co meſſati ſunt, ſcientes eos eſſe fures, & bona ea illata alijs furto eſſe ablata: Tales (inquam) omnes ſimili pœna cum veris furibus plectendi ſunt, arg.
3 l. 1. ff. de receptatorib. De cõſilio † autem ſic intellige: Neminem ob conſilium furti ſic criminaliter eſſe puniendum, niſi certò conſtet, tale furtum ob alicuius conſilium tãtùm eſſe cõmiſſum, adeò vt fur illud nunquam commiſiſſet, niſi talis viri conſilio fretus fuiſſet, c. Sicut dignum, §. Qui verò ext. de homicid. l. Non ſolum, §. Si mãdata, verſic. Attilicinus, ff. de iniur. ita notat Bart. in l. Sæpe, ff. de verb. & rer. ſigni. Bald. in l. Ob hæc, colu. 2. ff. de his qui notan. infa. Idem Bald. in l. Data opera, in 17. colum. C. de his qui accuſa. non poſſunt, & in c. Querelam, in fi. de elect. in anti. latè & pulchrè diſcutitur per D. Iacod. Boullenc Ebroicenſem Iuris vtriuſque prolytam, in ſua excellentiſsima repetit. §. Famoſos, conſtituti in l. Capitalium, ff. de pœnis. Pa-
4 rentes † verò, mariti, vxores, liberi, fratres, ſorores, atque id genus reliqui conſanguinei & affines, ſi alterius ſui conſanguinei, & affinis bona receperint hoſpitio: ij non ſunt tam acriter ac ſeuerè puniendi ac alij ignoti, & extranei, vel ipſis nulla affinitatis, aut conſanguinitatis ſocietate coniuncti, l. 2. ff. de receptato. niſi certè ipſi bonorum furtiuorum fuiſſent participes: lex enim naturæ (cui poſitiua omnia ancillantur) hoc ſuadet & dictat: vt amicus amicum, vt conſanguineus conſanguineum iuuet, liberet, & defendat, ſicubi poteſt: hinc nota aliquid fieri ratione ſanguinis, quod aliàs non fieret, l. fin. §. penult. C. de codicill. l. Quamuis, 2. C. de adulter. l. 1. ff. ad le. Iul. repetun. l. 4. §. fin. ff. de re milita. cum ſine numero ſimilib. iurib. Atque ex hoc hic a-
5 lia naſcitur quæſtio: † An ſi quiſpiam poſt commiſſum furtum, ad amicum ſeſe præſidij aut patrocinij cauſſa reciperet, ibíque latitare vellet: an is (inquam) amicus deberet fugitiuum furem domi ſuæ latitantem ſiue latentem prodere officiario? Sed hic, ſi iura naturæ, imò iura etiam poſitiua reſpiciamus, dicemus neminem debere hoc dicere, nec poſſe compelli, vt furem clam domi ſuæ latitantem proderet, niſi is velit ipſe (licet contrarium videatur de Iure Canonico cenſendum in c. Qui cum fure, iuncta ibi gloſſ. ext. de futt. vt ibidem videre nec obſcurum erit.) Sed ſi officiarius in eadem domo vellet inquiſitionem facere, nullo modo is amicus eam inquiſitionem officiario denegare po-
6 terit. Imò officiario † permiſſum eſt quibuſuis in locis & domibus furtiua bona requirere, vbicunque vlla ducatur ſuſpicione, ac vlla ei appareant indicia, & apud parentes, filios, filias, nepotes, affines, & apud omnes denique ea bona ſeruari putabit, nec vllus eorum eſt, qui officiario domus apertionem denegare poterit, ſed cogetur illi aperire omnes feras, cameras, ciſtas, omniáque ſecreta.

Sine enim ſuſpicione aut indicijs, hodie non poteſt quis cogi, vt permittat quem ſcrutari in domo ſua, vtrùm ibi ſint res furtiuæ, ſiue furto ſubtractæ. Expedit enim patrifamilias, ne ſecreta patrimonij ſui pandantur.

CAPVT

CAPVT CXVII.

De furtorum emptoribus.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 117

Furtorum emptores, fures alunt in furto. 1
In furtorum mercatores exclamatiuncula. 2
Furtorum emptores, vt fures ipſi puniendi. 3
Furta inſciens emens, culpa vacat. 4
Furtorum emptione infamis cito labitur in priorem ſuſpicionem. 5
Conſilium, ne furtorum emptione ſuſpecti in periculum incidant. 6
Fœneratorum priuilegia, ratione eſſe irrita. 7

Aliud

ALiud prætereà furti crimen eſt, quo multi fures ſubſidiarij, ſuos fures in furto fortiter coadiuuãt & alunt,& quo furibus fouẽdis commoditatem ſanè præbent non ineffi-
1 cacem: non †quo fures, aut hoſpitio ſuſcipiũt,aut bona eorum domi conſeruant: ſed quo bona eadem furto ſubducta à furibus ilicò emunt, & prompta pecunia ſoluunt, non iuxta rerum dignum precium, ſed lõgè infra dimidiam precij dignitatem,ac valorem,vt ijdem fures ſuis ſarcinis, & prædis liberi,ad noua furta ſeſe accingant: Quæ ipſi rurſum coëmunt, &
2 vili quibuſuis † diſtrahunt & diuendũt.O ſceleratos mercatores, dignos vos cenſeo, qui cum veſtris authoribus,& præraptoribus inter cœlum & terram ſemiſaltum ſpectanti populo peragatis, vt tali ſpectaculo perterriti cæteri caueant ab huiuſmodi furibus ablata furta coëmere,& ipſis liberiorem furandi anſam ſuppeditare.Huic meæ ſententiæ ſuffragantur Iura, &
3 leges conſuetudinariæ:quæ † iubent furtiuorum bonorũ emptores, quiq; certò ſciunt ea bona eſſe furata, pari pœna cum ipſis furibus eſſe plectendos.
4 Verùm ſi ipſis non † conſtitiſſet de furtiuis bonis,putantibus ſe iuſtas mercari merces, quum verè furtiuæ fuerint: tunc non puniendi erunt vt principales fures, ſed tantũ reſtitutio ne rerũ,citra vllum precium aut ſolutionẽ earum,l. Si mancipiũ,C.de rei vendi.& l. Inciuilem, & quæ ibi tractantur,& l.Eos,C.de furt.& ſer. cor
5 rup.Sed hoc notandum †eſt,ſi quãdo reperta fuerint in alicuius viri domo vlla bona furata,q; aliquãdo talia bona furata emere conſueuerit, aut hoc nomine malè audiuerit,aut ſemel per iuſtitiam conuictus, & dãmnatus fuerit:tũ ſuſpicio eſt,& iura cenſent, eadẽ furata bona, apud ipſum reperta, empta eſſe ab eo cũ conſcientia,& certa notitia furti, etiãſi ita res ſe nõ haberet,nec ipſe iuxta veritatẽ de furto cognouiſſet:Quocirca vt fur etiã puniretur,licet innocẽter: nẽpe ob priorẽ ſuſpicionẽ mali, d. l. Si mancipiũ & d. l.Inciuilẽ,cũ ibi notatis per gloſ.
6 & Doct.Hinc †ſuaſerim omnibus huiuſmodi criminis nigrore ſemel commaculatis,vt in emẽdis bonis diligenter inquirãt,& certò ſciãt,vnde allata ſint:aut certè(ſi aliũdè viuere poſſint) vt planè ab eo exercitio ſeſe abſtineãt ne incauti & imprudentes in vllũ periculum vitæ incurrãt: niſi forſan ab eo ſingularis priuilegij gratia planè immunes ſint & liberi. Sũt enim nõnullæ ciuitates, quibus à Principibus ea legata ſunt priuilegia,vt nemo à talibus ciuitatũ ciuibus & mercatoribus repoſcere poſſit vlla bona (quãuis etiã furtiua)quæ ipſi propalã & in publicis foris emerũt,aut quæ tribus cõtinuis diebus ante ædes ſuas expẽderũt venalia.Quin ipſis lombardis ſeu fœneratoribus priuilegio conceſſum eſt, nulla bona furto ablata reddere dominis, aut poſſeſſoribus citra reſolutionẽ prænumerati precij.Atque hi omnes à dictis periculis ſunt tutiores.Hoc tamẽ vltimũ,non omniũ ſed paucorũ tantum ſentẽtijs comprobatur:quare ego quoq; his minimè ad-
7 ſtipulor.Nõ enim †aliquo modo fundatum reperitur in Iure, vt fœneratores & vſurarij (qui ſunt Reipub.peſtes) deberent eſſe melioris conditionis quàm alij boni ciues, aut etiã extranei probatę alioqui vitę.Atque ob hoc,cùm ciuitati Brugenſi erã à conſilijs,atque hic caſus de vſurarijs nobis occurreret,cõſului magiſtratibus, tales fœneratores in ſuo priuilegio audiendos non eſſe, ſed contrarium eſſe iudicandum,quodq; rationi magis eſſet conſentaneum.

Cap.

CAPVT CXVIII.

De repertis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 118

Reperta eaque cognita sibi vsurpans, furtum committit. 1
Reperta nota sibi seruans, punitur arbitrariè. 2
Reperta reddenda sunt suo domino. 3
Repertori pro fida custodia debetur domini benignitas. 4
Reperta incognita reddenda Episcopo. 5
Rperta incognita seruari possunt à repertore paupere. 6



ALiud quoq; est furti genus, non quo animo furandi alior ũ res furatũ abis, aut quo cum furib⁹ fias particeps, aut eos recipias, sed quo

quo aliena tibi, fortuito oblata, pro tuis vſurpas, hoc eſt, quando quis inuentis vtitur vt ſuis. † Quiſquis igitur alterius caſu reperit togam, tunicam, veſtem, zonam, crumenam, aut aliud quid alterius quod ſuum non eſſe cognoſcit, nec id profert in propatulũ, & notitiam: † is furtum committit, & puniendus eſt arbitrariè, l. Falſus, §. Qui alienum, ff. de furtis, Chaſſa. in tit. *Des Iuſtices & droictz dicelles*, §. 3. in fin. ſuper Conſuetudinibus Burgundiæ, c. Si quid inueniſti, &c. Multi, 14. q. 5. † Verùm ſi rem repertam debito modo per indicia, & proclamationem ad notitiam peruexerit: atq; exinde venerit is dominus & poſſeſſor qui eam perdidit, tum inuentor verò poſſeſſori tradere cogitur, ſi is bonis indicijs demõſtrare poterit ſarcinam, vel rem amiſſam eſſe ſuam. † Attamẽ à poſſeſſore repoſcere & Iure petere poteſt numum honeſtum pro fidelitate ſua & pro cura rei ſeruatæ, & bene cuſtoditæ. Sin autẽ repertori nullo modo cõſtiterit, nec poſt debitam inquiſitionem factã conſtare poteſt, cuiunam dicta bona reperta fuerint: in eo caſu forſan mouẽda eſſet quæſtio, ad quem vſum is repertor talia bona impendere debeat, & cui reddere debeat: An ſibi ſeruare poſsit, an alteri tradere: quum certum ſit ea non eſſe ſua: ideóque ſibi etiam nõ eſſe ſeruanda videtur. Sed huius dubij apertam ſolutionem tradit Baldus in l. 1. ff. de rerum diuiſi. † Vbi vult ea incognita bona in foro conſcientiæ tradẽda eſſe in manus Epiſcopi, vt ea per ipſum diſtribuãtur pauperibus, vt in Authẽ. Omnes peregrini, C. communia, de ſuc. † Si autem is repertor verè pauper eſſet, cenſuerim eo in caſu talem repertorem citra conſciẽtiæ ſcrupulum ſibi ad proprios vſus & eleemoſynarum loco ea incognita bona poſſe ſeruare. Interim tamen obligaretur ad perpetuas preces fundendas pro ſalute amitentis.

CAPVT. CXIX.

De falſis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 119.

1 *Rem falſitate corrumpere, furti genus eſt.*
2 *Rem adulterans, committit crimen falſi.*
3 *Falſi crimen committitur.* { *Conſenſu.* *Verbis.* *Scriptis.* *Abuſu.* *Silentio.*

1 SVbdolum † & occultum furãdi genus eſt, rem aliquam falſo, malicioſo, & excogitato animo corrumpere, atque ita ſimplices falſitatis fuco decipere. † Quiſquis igitur 2 tales res externo quodã & apparente amictu adulterat, & ad deceptionem corrumpit: is dicitur committere crimen falſi, vt colligitur ex l. Quid ſit falſum, ff. eo. ad le. Cor. de falſ. & ex c. Tua nobis, ext. de offic. vica. faciunt quæ habentur in c. Super literis, ext. 3 de reſcript. † Quod ferè quinque modis committere conſpicimus, nempe conſenſu, verbis, ſcriptis, abuſu, & ſilentio.

CAPVT CXX.

De falsitate per consensum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 120.

1 *Falsitas per consensum fit in contractibus.*

2 *Falsitas per consensum punitur &* { *Criminaliter.* / *Mulcta pecuniaria.* / *Restitutione damni.*

1 FAlsitas †autem per Consensum fit, quoties aliquem circumuenimus & fallimus per contractus, aut compacta fœdera. Veluti, quando rem vnam bis diuendimus, ijsque diuersis: aut quando rem aut fundum vēdimus vni, & eundem rursum alteri in solutionē damus, aut hypothecamus, l. qui duobus, ff. ad le. Cor. de falsi. glos. in l. Stellionatus, ff. de cri. stellio. l. Si quis in pignore, §. 2 Sed etsi quis, ff. de pign. act. †Istiusmodi autē falsitas, quæ cōtractibus committitur, aut cōsensu, punienda est criminaliter, cū mulcta, & cū restitutione damni & interesse ex eo orti, ad arbitriū Iudicis, per lecta & notata in l. Stellio. §. Pœna, ff. de crimi. stelliona.

CAP. CXXI.

De falsitate in verbis.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 121.

1 *Falsitas verborum committitur quinque modis, falsa* { *Suggestione.* / *Denunciatione.* / *Accusatione.* / *Depositione.* / *Condemnatione.*

2 *Falsa impetratio, subreptitia est & nulla.*

3 *Falso accusans, tenetur restitutione damni.*

4 *Falsus testis punitur ciuiliter, vel criminaliter.*

5 *Falsus testis ad mortem alterius, punitur capitaliter.*

6 *Falsus testis coram Commissario punitur arbitrariè.*

7 *Falsus testis offendit* { *Deum,* / *Iudicem,* / *Proximum,* } *ob quem punitur* { *Pœnitentia.* / *Infamia.* / *Variè.*

8 *Falso iudicans &* { *Declaratur falsarius pub.* / *Punitur pœna arbitraria.*

1 ALtera falsitatis species est, quæ verbis seu dictis committitur dolosis, & ad fraudem & circumuentionē alterius. Committitur †autē huiusmodi verborum falsitas ferè quinq; modis: nempe falsa suggestione: falsa denūtiatione: falsa accusatione: falsa depositione seu falso testimonio: & falsa 2 iudicatione, vel condēnatione. †Quisquis à Principe, aut Iudice impetrat quippiam falsa suggestione, aut declaratione, illius impetratio & subreptitia & obreptitia est, dolosa, falsa, atq; ob id nulla, impetratūq; ipsius sit irritū: siue id sit remissio criminis, siue alterius

terius cuiuſpiã beneficij, aut officij impetratio. potiſsimũ quũ ex ea ſuggeſtione ac perſuaſione fiat iniuſticia parti, cõtra quã perſuadetur, l. Siquis obrepſerit, ff. ad l. Cor. de falſ. cum iurib. per gloſ. in ea allegatis, & l. Maiorẽ, &
3 l. Vbi falſi. C. eod. tit. † Quiſquis itẽ falſò aliquẽ accuſat crimine, quod certa probatiõe ſtabilire nõ poteſt: is quoq; à ſua cadit accuſatione, quæ tã fit irrita, vt ob eã nõ probatã, damnãdus ſit ad reparationem & reſtitutionẽ detrimentorũ, non ſolũ parti accuſatæ, ſed etiã fiſco, ad diſcretionẽ & arbitrium Iudicis. Similiter à ſua falſa denuntiatione cadit, qui falſa denunciat: veluti executor, aut commiſſarius, qui falſa exequitur, aut falſa renunciat, vt in l. Lege. Cornelia cauetur, §. fin. ff. eod. ad le. Corn. de falſis. Huc faciunt quæ traduntur per Doct. in l. 1. §. Incidit, ff.
4 ad S. C. Turpilianũ. Teſtis † verò qui falſa teſtatur ſeu dicit, vel tacet veritatem, vel aliquid accepitne ferret teſtimoniũ, punitur aut criminaliter aut ciuiliter, iuxta qualitatem facti, l. 1. in princip. & §. 1. & l. Falſi pœna, ff. ad le. Cor. de falſ. etiã ſi falſum ſuũ depoſitũ nullũ ſortiatur effectũ, per lecta & no-
5 tata in c. 1. ext. de cri. falſ. Sin † ob falſum ipſius teſtimoniũ, res producatur ad actũ, adeò vt ob fidẽ ipſius quis cõdemnetur ad mortẽ, is tunc falſarius teſtis nõ ſolũ puniendus eſt, vt denunciator, vel teſtis falſus, ſed vt proditor & vt homicida, vti ſuprà memoratũ
6 eſt cap. de homicidio. Pari † ratione teſtis qui corã cõmiſſario aliter deponit quàm res cõtigit, & quàm publicè in plateis notũ eſt, imò ſecùs, & cõtrario modo, quàm priùs in plateis & corã ſe producturo locutus & profeſſus ac teſtatus eſt: is nõ ſolũ puniẽdus eſt vt teſtis falſus, ſed etiã vt deceptor, & vt mentitor noxius, ad diſcretionẽ & arbitriũ Iudicis, pro qualitate facti. Prę-
7 tereà ſignat ex his quæ diximus pœnã falſi teſtis eſſe triplicẽ, quia tres lædit: Primò Deũ: pro quo imponitur pœnitẽtia: Secundò Iudicẽ: propterea ſit infamis: Tertiò proximũ, cõtra quẽ teſtificatur: & punitur pro modo læſio-
8 nis, d. c. 1. † Poſtremò, quiſquis falſò iudicat & ex malitia, vel munere corruptus falſam fert ſententiã: is puniẽdus eſt de crimine falſi, & falſarius declarandus, atque ampliori pœna inſuper mulctãdus, iuxta qualitatẽ & circunſtantiam perſonę Iudicis offendẽtis & perſonæ offenſę, atq; etiam magnitudinem damni ex ea falſa ſententia conſecuti, l. 1. §. Sed etſi quis, verſic. Et qui Iudicem, ff. eod. tit. de falſis: tenetúrq; homicidij, ſi homicidium ſequatur, quemadmodum ſuprà meminimus in cap. de homicidio.

CAPVT CXXII.

De falſitate ſcriptorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 122.

1 *Falſitas in ſcriptis committitur, falſa*
- *Mutatione.*
- *In mundum redactione.*
- *Conſcriptione*
  - *Inſtrumentorum.*
  - *Literarum.*
  - *Librorum.*
- *Litura, vel raſura.*
- *Subſcriptione.*
- *Sigillatione.*
- *Enarratione ſcriptorum.*

2 *Quando falsitas in scripto dicenda est.*

3
4 *Falsarius* { *Scriptor* / *Sigillator* / *Chirographi effictor* } *punitur exilio, infamia.*
4

5 • *Scripta vitians in perniciem Ecclesiæ, punitur perpetuo exilio.*

6 *Scriba ad Principem scribere iussus & non faciens, punitur amputatione manus, aut exilio perpetuo.*

7
8 *Falsa scribens* { *Ex malicia* / *Ex ignorantia* / *Inualida* } *punitur* { *Amputatione manus.* / *Confiscatione bonorum.* / *Nunquam.* }
9

10 *In omni falsitate plectenda requiritur offensio, & damnum proximi.*

11 *Falsarius licet non nocens, punitur aliquando arbitrariè.*

12 *Falsè sigillum effingens, punitur amputatione manus.*

13 *Rasura, falsitatis crimen est.*

14 *Rasura maximè ledit in* { *Datis* / *Summis* / *Numeris* / *Locis* / *Nominibus* } *commutandis.*

15 { *Rasura* / *Illatinitas* / *Lingua peregrina* } *innoxia, nullum falsitatis crimen agnoscit.*

16 { *Rasura* / *Illatinitas* / *Lingua alia* } *aut* { *Veritatem corrumpens* / *Sensum mutans* / *Substantialia* } *falsitatem habet.*

17 *Falsificans lite-* { *Ex Cancellaria* / *Ex alio Concilio* } *punitur* { *Hic per magnum Concilium.* / *Hic per idem Concilium.* }
18 *ras Principum*

19 *Aliorum aperiens literas, punitur arbitrariè.*

20 *Assumptas literas non deferens, falsitatem committit.*

ALia prætera falsitatis species est, quę ad scripta adulteranda & corrumpenda progreditur. In† scriptis enim falsitatis crimen cõmittitur varijs modis: veluti falsa componendo, minutando, in mundum (vt loquuntur) redigendo. Item, instrumenta, regiſtra, rationes, acta, libellos, cõtestationes, cautiones, chirographa, epistolas, scienter & dolo malo in fraudẽ alterius lædendo, corrumpendo, mutando, adijciendo, demendo, radendo, delendo, abolendo, falsè subscribendo, falsa sigilla appendendo, aut dolosè aliorum chirographa effictè imitando, aut certè scripto commissa falsè enarrado: quæ omnia puniuntur le. Cor. de falsi. vt in l. 1. l. Qui testamentum, l. Paulus, & l. Quid sit falsum, cũ alijs, ff. ad le. Cor. 2 de falsi. In quibus omnibus† tum rem scriptam dicimus falsõ vitiatam esse, quando ea contra veritatem est confecta, aut quando aliter se scriptum vel sigillatũ habet, quam veritas requirit, ita vt ob talem falsitatem aliquis detri 3 mentum patiatur. Hoc † crimen grauiter iura puniunt. Nam quisquis notarius, tabellarius, secretarius, scriba, graphiarius, commissarius, aliqua instrumenta, edicta, pronunciata, sententias, aut scripta, perperam, & malè falso-

falsõque scribit, ex scribit, aut mutat, aut adijcit aliquid, aut aliquid demit, idque studio & ex industria, ita vt ob eam falsitatem aliquis detrimentum patiatur: is falsarius quisquis fuerit, plectendus est exilio, & declarandus infamis, & indignus postea omni publico munere, & dignitate publica fungi, cum publicatione bonorum, si liber est: si seruus, vltimo supplicio, l. 1. §. fin. & ibi Bart. & Hyppo. ff. ad le. Cor. de falsi. & §. Item lex Cornelia, Institu. de publi. iudic.

4 Eadem † quoque pœna mulctandus est, quisquis suo Chirographo aut sigillo aliquid falsi confirmasse probatur, l. Lege Cor. testamentaria, ff. ad l. Cor. de falsi. Nec vllum est constituendum discrimen, an ea scripta sic adulterata publica sint, an priuata: quum de vtriusque dicta falsificatio æquè intelligatur, per lecta & notata in l. Damus licentiam, C. ad le. Cor. de

5 falsi. Quisquis autem Scriba, † aut Notarius vlla scripta falsitate vitiat in perniciem & damnum Ecclesiæ, is damnandus est exilio perpetuo, vt su-

6 prà. Quisquis porrò † Notarius, Secretarius, Scriba, aut similis, data opera & ex malitia cessat ad Principem scribere, quæ à Magistratu, aut superiori suo in mandatis habebat scribenda: ita vt ob eam malitiosam obliuionem & negligentiã, Princeps damnum aut interesse patiatur, aut iacturam aliquam faciat: is neglector seu potiùs contemptor suæ commissionis, puniendus est amputatione pugni seu manus, vt multi autumant: Alij verò sunt, qui eundem puniri volunt generali punitione falsitatis, nempe perpetuo exilio, seu pœna irreuocabilis exilij, cum confiscatione omnium bonorum, d. l. 1. §. fin. & l. Iubemus. 2. §. His tabellionibus, in fin. C. de sacro-

7 sanct. Eccle. † Si verò falsa quædã conscripserit, é quibus Princeps aliquid consequeretur incommodi, & præiudicij: is (si talis falsitatis, & incõmodi primam occasionem dederit & author fuerit) puniẽdus est amputatione manus, per cap. Imperialem, §. Scriba, de prohib. alie. feu. per Feder. quod sic habet: Scriba verò, qui hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionẽ officij cum infamiæ periculo, manũ amittat: aut (vt multi censent) in-

8 cendio. Sin † falsa iã dicta quis conscripserit ignoranter, illius falsitatis nullã caussam præbens, nec eã primò aut inueniens excogitãs, aut primã occasionem præbẽs: sed ob instantiã & gratiã alicuius tantũ conscribẽs, quasi prece, aut premio, aut fauore conductus & permotus: is tum non punitur modis suprà memoratis, sed tantùm cõfiscatione bonorum. Sic Notarius, Scriba, aut Graphiarius, qui ex imprudentia, negligentia, aut inertia (nõ ex malitia) falsitate scripturę suę vllum in damnũ aliquod deducit, cuius negligentia sua in culpa est: is non punitur criminaliter, sed tantum ciuiliter, hoc est, tanti dãni restitutione, & reparatione omnium detrimentorum indè orientiũ.

9 Adde † si ex sua authoritate tantum literas aut instrumenta conficiat, quæ nihili nullíusq; sunt valoris, quæq; in formalibus aut substantialibus peccãt & deficiunt: is (quoniam culpa vacat) indẽnis est, & nullo modo puniendus: nulli enim tales literæ obesse possunt, glossa ordinaria & ibi Docto. in l. Damus, C. ad le. Cor. de falsi. Barto. in l. 1. §. Qui in rationibus, eod. tit. quibus seruit quod voluit. Bald. in l. vnica, in

10 8. colũ. C. de confes. Quocirca hic † notanda est in materijs falsitatis regula certissima: quod nunquam vlla punitur falsitas (in quacunque etiam specie committatur) nisi indè aliquod consurgat damnum, præiudiciũ, iniuria,

aut dedecus alterius, Bal. in cõsilio suo 14. incip. Filius fa. in 3. volu. Potest tamen ipse † patrator & author falsitatis 11 extraordinariè puniri, ob suã malitiã & falsitatem commissam, quæ natura talis est, vt ex ea detrimenti, infamiæ, aut iniuriæ quid oriri potuisset, tametsi non euenerit: id enim non sibi suæq; prudẽtię aut bonitati asscribendũ fuerit, sed fortunæ, imò Deo, omnia suo arbitratu disponẽti. Quisquis 12 † porrò alienũ chirographũ aut sigillũ callidè & dolosè effingit, ita vt hinc aliquis vllum patiatur incommodum, ac detrimẽtum, vel corporis vel vitæ, aut bonorum: is multorũ iudicio puniendus est amputatione manus seu pugni: Secundum consuetudinẽ verò palam ac publicè installandus est, & subrigẽdus in pelorinum seu in meastrum: ac indè extra ditionem seu territorium, aut etiã prouinciam eijciendus, id est, exilio damnandus, aut aliàs iuxta conditionẽ qualitatémq; delicti plectendus. Quin † & rasura præiudi- 13 cat, ac falsitatis crimen in se cõplectitur, potissimum quoties ob eam subuertitur aut cõfunditur veritas, quod 14 facilè fit † in datis, in summis, in numeris, in locis, in nominibus commutandis, vnde alicui detrimentum aliquod 15 consurgit. Verùm † ea rasura, aut literarum syllabarúmve in literis, aut libris omissio (idem censendum est de illatinitate, & alia quauis barbara lingua) nullã efficit falsitatem, nisi † cum tali rasura, omissione, aut illatinitate, aut cũ accita alia lingua, veritas prior, hoc est, subsstantia prioris orationis & sensus ipse prior, corrumperetur, & in malũ verteretur. Sic etiam rasura illa quę commissa est in narratione factorum, reddit instrumentum & literas falsitatis suspectas, quod non efficit ea rasura, quę fit in narratiõe Iuris. Quisquis rasuram admittit in literis Prin- 17 cipum, eásque † corrumpit aut falsificat, quæ ex ipsius promanant Cancellaria: is puniendus est per magnũ suũ Conciliũ, & mulctæ omnes inde manantes ipsius sunt Cancellarij. Si verò 18 illæ † Principum literæ proueniant rasuris adulteratę, aut alias falsificatæ ex alijs suis Concilijs, idem hoc Concilium talis falsitatis ac rasuræ notitiã, inquisitionem, & punitionẽ sibi assumeret, & mulctæ ipsius essent Princi- 19 pis. Quisquis † præterea alterius resignat aut recludit improbè literas, eas legit, aut legendas tradit, contentáque alijs prodit, ob quod vel scriptor, vel is ad quẽ scribuntur literæ, aliquid detrimenti, damni, aut verecundiæ patitur: is certè falsitatem committit, & 20 puniẽdus est arbitrariè. † Qui item tabellas alicui deferendas assumpsit, nec eas fideliter reddit, aut non reddit, falsum indubiè etiam committit, l. Titio, ff. ad municipal. & l. 1. ff. ad le. Cor. de fals. & ibi Bartol.

CAPVT CXXIII.

De falsitate per abusum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 123.

1 *Falsitas per abusum fit in falsis*
- *Mensuris.*
- *Ponderibus.*
- *Mercibus.*
- *Nominibus.*
- *Titulis.*
- *Dignitatibus.*
- *Pecunijs, monetis.*
  - *Aureis.*
  - *Argenteis.*
  - *Literis.*
  - *Syngraphis.*
  - *Releuationibus.*
  - *Puerorum suppositionibus.*

2 *Falsitas*



2 *Falsitas* { *Mensurarum, Ponderum, Mercium,* } *punitur &* { *Restitutione dupli. Exilio. Ieiunio 30. dierum, Canonicè.*

3 *Cereales cur apud Rom. creati:*

4 *Cerealium officium & vtilitas.*

5 *Ex* { *Falsis* { *Ponderibus, Mensuris, Mercibus,* } *magnum accrescit Reip. dispendium.* *Propolis*

7 *Scienter aut* { *Emens Vendēs* } *quicquam iniustum, aut* { *Mensura, Pondere,* } *punitur &* { *Dupli restitutione. Relegatione.*

8 *Cōmodans iniquas vel* { *Mensuras, Pondera,* } *tenetur restitutione damni.*

9 *Iniquas mensuras aut pondera* { *Faciens, Locans, Conducens, Vendens,* } *tenetur restitutione damni.*

10 *Assumpto, falsoq; dignitatis titulo fallens, punitur vt falsarius arbitrariè.*

11 *Nomen suum mutans aut* { *Ioco, Vt se liberet, Amicum defendat, Hostem fallat,* } *extra crimen est.*

12 *Argentarius argentea sua vitians, mouendus est suo opificio.*

13 *Vendens* { *Aurichalcum pro auro, Electrum pro argento, Falsificatos pannos,* } *mouendus est suo opificio, & merce priuandus.*

14

15. 17. *Principis monetam falsificans, punitur vt falsarius & vt traditor.*

16 *Falsi monetarij puniuntur extremo supplicio.*

18 *Moneta Principis est, & reip.*

19 *Secreta iuridicè commissa reuelans, punitur pœna falsi,*

20 *Falsis se defendens literis, punitur pœna falsi.*

21 *Suspectis se defendens literis, nantizare debet.*

22 *Falsos supponens pueros, punitur* { *Pœna falsi. Pelorino. Sententia arbitraria.* }

23 *Falsitas sæpe iterata punitur grauiùs.*

1 FAlsitas per abusum † ferè fit in mensurando, ponderando, & mercando. Quisquis igitur falsitatem committit, malicioſè & fraudulenter abutendo falsis mensuris, libris, ponderibus, stateris, bilancibus adulterinis, speciebus, aut alijs mercibus deprauatis seu corruptis, eáque ceu iusta vsurpando, & ex-
2 ponendo: is iuxta leges ciuiles † puniendus est duplo, ac relegatione siue exilio, l. penul. ff. ad le. Cor. de falſ. vbi Modestinus l. C. ait: Si venditor mensuras publicè probatas frumenti, vini, vel cuiuslibet rei, aut emptor corruperit, doloue malo fraudem fecerit: quanti ea res est, eius duplo condemnatur: Decretóque Diui Adriani præceptũ est, in insulam eos relegari, qui pondera & mensuras falsificassent, & in l. Annonam, §. finali, ff. de extraordinar. criminibus. Salomon in Pro-
uerbijs inquit: Pondus & statera iudicia Domini sunt. Aduersus igitur Dei ordinationem, ac iuxta ciuilem Magistratum delinquit, qui pondere
3 & statera abutitur. Quo circa † ne hac in re faciliùs peccaretur, duo olim Ædiles apud pop. Roma à Iulio Cæsare creati sunt, qui Cereales appellabantur. Hi cibariorum & mensurarum habebant rationem, authoribus Feneſtella & Halicarnasseo: Deinde officium ipsorum erat (vt scribit Satyricus) De mensura ius dicere, vasa minora frangere, & cætera. Confide-
4 rabant enim † hanc curam politicam (& certè res ita se habet) & istarum rerum diligentem obseruantiam, plurimum vtilitatis ad Rempubli. augendam & conseruandam conferre. Eam verò curam neglectam, reipublicæ bono plurimùm officere & detrimento esse. Quocirca optarim hanc

curam

curam (Romanorum exemplo) omnibus noſtris Magiſtratibus imprimis eſſe cordi, & curæ: vt in his ponderibus, ac menſuris, paulò omnes eſſent oculatiores. † Nam quum in his æquo plùs videamus eorum torpere diligentiam, paſsim etiam conſpicimus in nundinis publicis, apud cauponas, & myropolas grandem ponderum et menſurarũ abuſum, ſine frõte & metu legum, callidum talibus abuſibus committentes furtum. Atque hinc præterea propolæ ſuum quæſtũ venantur, alijſq́ue mille ſimilibus technis & excogitatis modis remp. opprimunt, & rerum omnium cariſsimam annonam per magiſtratuũ ſom nolentiam inferunt, ſicut l. C. Paulus ait in Dardanarios, propter falſum menſurarũ modum, obvtilitatem popularis annonæ, pro modo admiſsi, extra ordinem vindicari, l. In Dardanarios, ff. de pœ. & facit l. Annonam attentare, per totum, ff. de extraordi. criminib. l. Si menſor, in fi. ff. Si menſ. falſi. mod. dixe. Secundum Iura vere
6 Canonica †punitur inedia et ieiunio, ſpacio tragiſta dierũ, in pane & aqua, c. Vt menſurę, ext. de empt. & vendi. Ex cõſuetudine verò punitur ea mul
7 cta, quam leges municipales ad hoc crimen ſtatuerunt. Quiſquis† autem emit aut vendit quicquam ſciens volenſq́ue iniqua menſura, aut iniuſto pondere: is crimen furti committit, & punitur reſtitutione dupli, necnõ relegatione, ſeu exilio, l. penul. & l. An
8 nonam, §. fin. præcitatis. Sic qui† ſciẽs volenſq́ue commodato alteri dat iniquam menſurã, aut pondera iniqua, ſiue adulterina, ad aliquem fraudandum tenetur & obligatur ad reparationẽ damni perſonę fraudatæ. Ideóque damnandus eſt reſtitutione omnium damnorum ex ijs factorum. Si
9 mili† quoq; reparatione tenetur, quiſquis iniquas menſuras, ſtateres, balances, aut pondera conficit, vendit, aut locat, ſiue ipſi de iniquitate conſtiterit, ſiue non. De menſurarũ enim ſuarum & æquitate & iniquitate prius cognoſcere debet, antequam eas alijs tribuat. Paria enim ſunt in Iure ſcire, & ſcire debere, vel ſcire poſſe, l. Quode, ff. Si cert. peta. notatur per gloſ. in l. Qui cum alio cõtrahit, ff. de reg. iur. in fin. in verb. eius, dũ dicit parẽ eſſe culpã ſcire & ſcire debere. & ibi Phil. Decius. Quin etiã puniẽdus eſt de falſitate, ſuprà citatis iuribus. Falſa enim mẽſura nõ eſt menſura, ac falſum põdus nullum cenſendũ eſt põdus, ſicut adulterinus numus, aut falſus, nullus eſt numus. Paria enim ſunt non ſolvere, & ſoluere reprobos numos, l. Eleganter, §. Qui reprobos, ff. de pigno. actio. quemadmodum paria ſunt, nõ ſatiſdare, vel non idoneè ſatiſdare, l. Quotiens, ff. Qui ſatiſda. cogan. & paria ſunt non facere, & non debitè facere. Pro his videbis tractatũ eximij Doctoris Ioannis Regnandi, de menſuris, & cuius authoritate poſsint fieri. Alium quoq; hic falſitatis abuſum attende qui ferè in officijs vſu venit.
10 Quiſquis† enim ſeſe abutitur in falſis ac mentitis officijs, aut ſibiipſi alios titulos dignitatum, & officiorum aſſumit quàm habet: aut qui ſe gerit pro alio commiſſario: aut ſe certa quædam in mandatis habere iactat à Principe, atque hæc omnia falſè & contra veritatem, vt hac mentita fide, imò falſitate excogitata alios faciliùs fallat: is crimen falſi committit & puniendus eſt, vt mentitor extraordinariè, cùm reparatione damni, l. Eos, §. fin. ff. ad le. Cor. de falſ. Si autem hæc feciſſet munere, pecunia, aut precio corruptus, puniendus eſſet vt falſarius pœna falſi, l. 1. §. Sed etſi quis ob renunciandum, ff. ad

le. Cor. de falſ. Si quis præterea falſo abutatur, & arroget ſibi falſo titulum militis, aut equeſtris ordinis, aut Doctoris, aut notarij: is falſitatis crimen committit, d. l. Eos, §. fin. Sicut. Item ij, qui aliorum inſignia, arma aut titulos pro ſuis vſurpant: qui omnes plectendi ſunt pœna falſi, d. l. Eos, §. fin. Quiſquis nomen, cognomen, aut prænomen ſuum mentitur, aliudque falſo ſibi vſurpat, vt hoc mentito nomine, cognomine, vel prænomine alium circumueniat & fallat, atque ex eo ſequatur proximi detrimentum vel impedimentum: is puniendus eſt pœna falſi, aut arbitrariè, iuxta qualitatem & circunſtantiam facti, & ad prudentiam & diſcretionem Iudicis, l. Falſi nominis, ff. Ad l. Cor. de falſ. & l. vnica, C. de muta. nominis. † Sed hanc cenſuram non meretur, quoties nomen ſuum commutat, aut ioco, aut vt ſeſe ita tutiùs ex aliquo periculo liberet, aut ſibi citra alterius detrimentum profit, non autem ex malitia, & lædendi libidine. vnicuique enim permiſſum eſt ſuum nomen commutare pro ſuo arbitratu, ſine fraude, hoc eſt, ſi hinc nemo vllum detrimentum patiatur, d. l. vnica, C. de muta. nomini. Quando quidem (vt dictum eſt) aut pro defenſione propria, aut pro defenſione amicorum, aut ad fallendos hoſtes, aut certo ioco aliud nomen falſò aſſumere licet, citra vllum crimen, aut culpam. Sicut qui in theatris ſtultorum, morionum, aut aliarum perſonarum nomina ſibi aſſumunt. Argentarius † autem qui aurea ſeu argentea ſua peiori valore & precio & ſubſtantia vitiat, & non æquat iuxta ſtatuta ſeu ordinationes Principis ſui vel ciuitatis ſuæ: is puniendus eſt vt falſarius, & ſuo mouendus opificio, veluti eo tractando & exercendo indignus. Similem quoque † pœnam ſubeat, neceſſe eſt, quiſquis aurichalcum vendit pro auro, aut electrum pro argento. Simili ratione textor † aut mercator pannarius, qui falſa ſigilla ſuis appendit pannis, aut falſam panni tincturam vendit pro bona, aut aliam quamuis falſitatem in panno dolosè immittit contra iuramentum ſuum, contra leges, regulas, & ſtatuta ſui opificij & ciuitatis, in qua ſuam artem exercet: is puniendus eſt vt falſarius, & ſua priuandus negotiatione ac opificio: & ipſi panni præfati ita falſificati nonnunquam igni conſumuntur: aliquando in varias diuerſásque partes diſſecantur, & ſcinduntur. Numularij ſeu † monetarij ac monetales, aut quicunque etiam argentarij, Principis monetam falſificantes & adulterantes, non ſolum vt falſarij, ſed etiam vt traditores puniẽdi ſunt: vti ſunt illi quoque, qui nummos aut raſura, aut circunciſione, aut tinctura, vel aqua forti vitiant & leuiores reddunt. Hi ſi liberi ſunt, beſtijs ſubijciuntur: & ſi ſerui, vltimo ſupplicio damnantur. Idémque de ijs † qui falſam monetam percuſſerint, l. Qui falſam, ff. ad l. Cornel. de falſ. vel adulterinos nummos conflauerint & fecerint, puta plumbeos vel ſtanneos d. l. Qui falſam, & l. Quicunque, & l. Lege Cor. teſtamentaria, ff. eod. tit. ad le. Cor. de falſ. Huius criminis pœna abundantiùs etiam à nobis explicata eſt ſuperiùs, in cap. de monetæ adulteratoribus. Nec abſimili † ratione cenſendum etiam eſt de ijs nummularijs, atque etiam de illis peſtiferis mercatoribus (verius hac noſtra tempeſtate vſurarijs) quos nunc communi vocabulo financiarios vocant: qui ſtudio & ex auaritia iuſti ponderis nummos ſeponunt: eos clam circuncidunt, radunt, tingunt vel effingunt:

11 12 13 14 15 16 17

gunt: & postea eos leuiores seu falsos effectos, in vulgus emittunt, crimen falsi etiam committunt, & puniendi sunt admodum grauiter, quoniam Rempub. deprædantur, ac furantur: Impossibile enim est nummos
18 omnes cudere eiusdem ponderis. † Et moneta spectat ad populum generaliter, & ad nullos particulariter, id est, nummi leuiores applicandi sunt prælo aurario siue argentario, quod est vulgi & totius est reipub. aut Principis: non autem nummulariorum, aut alicuius particularis personæ. Ité
19 † Aduocati, Procuratores, Tutores, Curatores, Oratores, Secretarij, Scribæ, Graphiarij, atque id genus similes, qui secreta dominorum, pupillorum, adultorum, magistrorum suorum pandunt & propalant: Aut qui
23 instrumẽta, literas, aut informatiões ostendunt partibus aduersarijs, ij puniendi sunt (quia falsarij) pœna falsi, l. 1. §. Is qui deposita: & ibi Barto. & Scribentes, ff. ad le. Cor. de falsi. l. Si quis aliquid, §. Instrumenta, ff. de pœ. Præterea †
20 quisquis sciens & volens vtitur, & se defendit falsis literis, & instrumentis in iudicio: is quoq; puniẽdus est pœna falsi: sed nõ tam enormiter, atque is qui eas literas confecit ac falsificauit, arg. l. Falsi, §. Ordine, ff. ad l. Cor. de falsi. D. Hyppo. de Marsil. in l. Eiusdem, in prin. & in l. fin. ff. ad l.
21 Corn. de sicar. Nota, Si quis † Reus à creditore pertractus in iudicium, sese defenderet & expurgare niteretur syngraphis, vel obligationibus falsitatis suspectis: Iudex eundem Reum, eo casu constringeret consignare seu (vulgò) nantizare: atque tum de falsitate cognosceret, & inquisitionem faceret, idque iuxta stylum quarundam curiarum, atque omnes literas & omnia instrumenta, quæ ipse certò comperit esse falsa, sibi assumit & seruat,
22 igníque tradit. † Præterea mulier quæ falsitatem committit in suppositione vel commutatione partuũ, siue puerorum, vnum partum aut puerum supponendo alterius partus seu pueri loco: ea punienda est pœna falsi, & statuenda in pelorino siue meastro, hoc est, in loco aliquo editiori: vbi infamię & dedecoris gratia, omnibus deridẽda proponatur: deinde alia pœna Iudicis arbitraria, l. Qui falsam, & l. Lege Cornelia testamentaria, ff. ad l. Corn. de falsi. Postremò vbi † frequens huiusmodi deprauatio & falsitas increscret, augeretúrque, vel morte etiam mulctari posset: frequentatio enim delictum auget, iuxta vulgatiss. ac tritiss. l. Aut facta. §. Nonnunquam, ff. de pœ. vbi Claudianus dicit, nonnunquam euenire vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimium multis personis grassantibus exemplo opus sit. Quod quidem etiam ideo faciendum est authore Vlpiano l. C. l. Si quis fortè, §. Si quos, ad fin. ff. de pœ. vt exemplo deterriti, minus delinquant cæteri, l. Si quis seruo, in fi. C. de furt. & l. 1. C. ad l. Iul. repetund. vbi sic tex. habet, vt vnius pœna, metus possit esse multorum.

CAP. CXXIIII.

De falsitate per silentium.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 124

1 *Non obsistentes malo, crimen incurrunt.*

2 Te-

2 *Testamenta vel Codicillos* { *Comburens, Supprimens, Occultans,* } *punitur &* { *Pœna falsi. Exilio. Restitutione damnorum.*

3 *Aliorum literas supprimens, punitur reparatione damnorum omnium.*

4 *Libros mercatorum* { *Falsificans, Comburens, Radens, Lacerans,* } *punitur &* { *Pœna falsi. Restitutione, damnorum.*

5 *Testis veritatem rogatam subticens, punitur pœna falsi.*

6 *Actio falsi nulli intenditur post viginti annos.*

7 *Omnis falsitas ex Iure* { *Olim puniebatur exilio, & confiscatione bonorum. Hodie punitur tantùm exilio.*

8 *Falsitatis punitio ex quorundam consuetudine.*

9 *Punitio in facie detestabilis.*

10 *Principis generalis remissio omnem excludit falsitatem.*

11 *Falsarijs negatur remissio cum ingressu Principis.*

12 *In falsitatis crimine iudicando, magna habenda est observatio.*

13 *In falsitate, tam Reo quam Actori permittenda est probatio.*

SIcut in foro conscientiæ non solum peccāt, qui actu rē vetitam & illicitam perficiunt, sed etiam ij, qui aut factoribus consentiunt, aut vllum subsidium præbent: imò qui † iniquis factoribus non omnibus modis, quibus debent, obsistunt: & nefarium ausum, quantum in se est, non voce, ac delatione impediunt: Ita in foro quoque ciuili crimi nis Reus est, qui falsitatem celat, premit, abscondit, ac tacet, & crimini fit obnoxius. Quisquis igitur † alicuius testamētum aut codicillos, aliásque literas similes testamentarias comburit, suprimit, & occultat, ita vt ob hoc veritas testamenti ac codicillorū vim patiatur, & in apertum non veniant: cuius caussa aliquis detrimentum patiatur, is falsum committit, puniendúsque est pœna falsi, & exilio, & restitutione interesse in conscientia, l. Eum qui, C. ad le. Cor. de falſ. l. Qui testamentum, l. Paulus, & l. Impuberem, §. Qui codicillos, ff. eod. tit. Id autem non est intelligendum de ijs, qui † alias quasuis literas, aut instrumenta reseruant, & occultant: hi enim tantum ad restitutionem damni puniendi sunt, non autem criminaliter: nisi certè ex destinata malitia huiusmodi literas occultarent, ne scilicet veritas vnquam emergeret: in hoc enim casu falsitatem committeret, & puniendus esset pœna falsi, l. Eum qui, l. Qui testamentum, & l. Paulus, prænarratis. † Quisquis item vitiat, corrumpit, & falsificat libros mercatorum, aut eos comburit, aut ex ijs paginas vel quaterniones excipit, aut quædam substantialia litura quadam vel rasura tollit, & veritatem obscurat, ne fides mercatoris, & veritas alijs innotesceret: is crimen falsi committit, & plectendus est & falsi pœna, & restitutione omnium damnorum, & arg. d. l. Paulus. Testis item in iudicium aut † apud Comissarium accitus, ibique veritatem quæ sitam non clarè & plenè iuxta interrogationē factā deponens & contestās, aut eam tacens: is quoq; crimen falsi com-

cõmittit, ob quod similiter pœna falsi puniendus est, l.i. §. Sed & si quis ob renunciandum, ff. ad le. Cor. de falsi. Bart. & Bald. in l. Presbyteri, C. de Episcopis & Cler. & Hyppo. de Marsi. in l. Si in rixa, numero. 9. ff. ad l. Cor.
6 de sicar. Hanc autem †actionem falsi, de qua iura loquuntur, intelligas oportet, non durare vltra viginti annos, ita vt nemo eam alteri intendere possit post annos viginti, singulari l. Querela, ff. ad l. Cor. de falsi. Atque hoc summopere obseruandum est, quod amicis aliquando liberandis esset tam accommodum. Hactenus de quinque falsitatis speciebus
7 satis dictum sit. In quibus †generalem punitionem obserues velim, & nunc recentem, & consuetudinariam. Generaliter enim olim omnis falsitas iuxta antiqua iura puniebatur perpetua deportatione siue exilio, & præterea omnium bonorum confiscatione, l.i. §. Pœna falsi, ff. ad le. Cor. de falsi. Secundum verò iura recentia, falsitas tantum punitur deportatione siue exilio, nulla autem bonorum proscriptione, vt in Auth. vt nulli iudicum, colla. 9. §. fin. Sed hic considerandæ sunt (vti in dictis quoque capitibus demonstraui) variarum ciuitatum variæ de falsitate puniendæ rationes. Nam †Gandenses, Bru-
8 genses, Hyprenses, & alij falsitatem puniunt pelorino, & claue candenti in faciem inusta, & deinde exilio. Sed
9 †hanc faciei commaculationem iura admodum abhorrent & detestantur: quòd facies humana ad formam & imaginem Dei expressa sit & condita, & quam Christus seruator noster pro nostra salute assumere dignatus sit, vti superiùs etiam capite 110. latiùs ostendimus. Aliæ præterea sunt alijs ciuitatibus falsitatem puniendi rationes, quas hic prudens prætereo, ne omnia hîc recensere velle videar: hoc tantum in fine materiæ de falsitate adiungere libuit: Falsitate in
10 †crimen esse enorme, habens in se plus malitiæ, quàm multi arbitrentur, vt vel hinc patet, quòd falsitatem Princeps in suis generalibus remissionibus non absoluat: Imò etsi remissionem condonasset, ac postea cõstaret de falsitate impetrantis, remis-
11 sio esset inualida & nulla † Deinde etiam hinc enormitas constat, quòd falsarijs negatur remissio cum ingressu Principum, quam tamen alij malefici & criminosi in talibus solennibus ingressibus faciliùs impetrare solent, Barto. in l. Lucius, in fine, ff. ad Turpilia. Hyppo. de Marsi. in l. Si in rixa, numeris 12. & 13. ff. ad le. Cornel. de sicar. Et Boërius in suis decisionibus aureis, quæstione 217. numero 23. folio 37. parte 2. qui contrariæ tamen
12 parti inniti videtur. †Postremò (cum isthoc enim caput absoluero) in quæstione falsitatis (vt scribit Oldendorp. regula 20. de probationibus criminaliter accusando mota) acerrimam oportet fieri indagationẽ, & argumentis, & testibus, & scripturarum collationibus, & alijs item similibus vestigijs ad veritatem commodè perducẽ-
13 tibus. Non enim †accusatori tantum probationis necessitas indicenda est, sed etiam Reo tota sua probatio permittitur, vt Iudex constituatur medius. Sed hoc inter vtranque personam in talibus probationibus seruandum est, vt eæ iusto & debito ordine fiant, hoc est, vt actor, & primò scripturam producens: deinde Reus, & eam falsam arguens, ad probandum admittatur, l. Vt falsi, C. ad le. Cor. de falsi. & l. fin. ff. eod. titulo.

CAP.

CAP. CXXV.

De diffamatione per libellos.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 125.

1 *Furtum ſpirituale, eſt diffamatio.*
2 *Famoſorum libellorum authores, puniendi ſunt capitaliter.*
3 *Famoſos libellos reperiens, vix tutus eſt à damnatione capitis.*
4 *Famoſos libellos euulgans de rebus capitalibus & veris, eſt innoxius.*
5 *Extra iudicium non licet aliquem accuſare.*
6 *Author libelli de re non capitali, puniendus eſt compenſatione iniuriæ & famæ.*
7 *Parum intereſt, an quis libellos famoſos ediderit per ſe, an ex alio.*
8 *Libelli famoſi de* { *Princib.* / *Repub.* / *Officiarijs.* } *deferendi ſunt ad Magiſtratum.*
9 *Famoſorum libellorum authores, iure Pontificio flagellandi.*

QVum ſuperiùs de furto reali ac materiali abūdè tractaſſemus, furtum ibidem ſpirituale prorſus omiſſum eſſe, hic demum occurrit: quare iſtud inutili ſilentio præterire nolui, putans equidem præſtare ipſum vel indigno loco vtcunque explanare, quā vbiuis locorum omittere. Eſt itaque† quoddam furtum ſpirituale, quo alterius famā malitioſo & infami ſcripto, aut per ſparſas literas ſiue chartulas diffamatorias, aut per cātilenas odioſas nefariè furamur: quas literas, aut ſcripta Latini libellos vocant famoſos. † Hoc crimen iura admodum deteſtabile habent et exoſum, adeò vt oēs qui famoſos libellos, hoc eſt, ſchedulas dictas detractorias vel cantilenas aut dictant aut componūt, aut vſpiam ad valuas affigunt, aut plateatim vel ſpargunt, vel cantant, quibus alterius nomen bonum & famam conuellunt, lacerant, & nequiter, iniquè, prætérque culpam, eripiunt, & quibus falſa ſpargunt: aut ſaltem talia quæ ſtabili veritate nunquam probare potuerunt: Omnes (inquam) tales diffamatores publici, puniendi ſunt capitaliter, & vltore gladio conuicti ſecundum leges, l. vnica, C. de famoſ. libel. l. Ob carmē, ff. de teſtib. Nec diſſimilis fuit ſententiæ Cornelius Tacitus, lib. 1. hiſtoriarum, † Quin & eodē crimine reus tenetur, quicunque tales literas inuentas, aut diu ſeruatas, non lacerat aut comburit, ſed eas profert in publicum Nam contra ipſum ſuſpicio eſt, quòd ipſe earum literarum ſit author, quod que eas, aut compoſuerit, aut componi iuſſerit, aut ipſemet ſparſerit, quas mox diſſimulāter inuenire voluerit: Aut quod in huiuſmodi diffamationibus publicis, magnam voluptatem capiat, d. l. vnica, C. d. famoſ. libel. Si tamen ſeſe ab hac ſuſpicione eluere non poſſet, & ſuam innocentiam teſtibus fide dignis comprobare non poſſet, qui iuramento adſtruerent eum eaſdem ſchedulas, aut chartūlas in cō ſpectu ipſorū reperiſſe, atq; ita repertas ipſis cōſpiciētibus, & præſentibus commonſtraſſe. Quiſquis autem† famoſos libellos aut componit, aut euulgat, aut ſpargit de rebus capitalibus & veris, aut quas veras eſſe, probare cupit: is non eſt in crimine, modò eam probandi præſentationem faciat

ciat in iudicio. Nam extra iudicium
5 nulli †fas est, alterũ iniurijs & accusa
tionibus vel diffamationibus impete
re. In ijs porrò literis quæ nihil habẽt
6 capitale scriptor et dictator et †euulga
tor puniendus est de iniuria, cõpensa
tione famæ, ad tantam summã, quan
tam diffamatus iurabit se cũ nominis
integri laceratione commutare nolle,
deinde reparatione famæ cum con
traria diuulgatione, hoc modo, vt qui
priùs diffamatione alterius lęserat no
men, nunc cõtra eiusdem nomen lau
dibus efferat, prædicet & commẽdet,
& per alios libellos contrarios, vel
sua conficta testetur mendacia, vel of
fensi testetur innocentiam. Nec mul-
7 tum curandũ est infamosis† libellis,
imo nullum discrimen ponendum,
an is tales libellos, aut compoſuerit,
vel ediderit sua propria authoritate:
aut instinctu vel persuasu alterius.
Deinde an fictis nominibus diffama
tionẽ peregerit, an veris: modò per ea
ficta nomina, persona diffamata inno
tescere, & lædi posit. Deinde non ex
cusat, siue dicat se diffamatum nouis
se, siue non nouisse. Hæc enim, cũ sub
stantialia perstant, parum habent dis-
8 criminis. Cæterũ † quisquis famosos
libellos reperit, aut acquirit, qui sunt
de rebus Principum, aut reip. in gene
rali, aut de rebus Officiariorum, alio
rúmque gubernatorum in particula
ri: optimè fecerit (ne dum peccabit) si
eos famosos libellos repertos pruden
ter, & secretò deferat ad Magistra
tus, vel Iustitiã, aut ipsius Officiarios,
9 & nulli alteri: quanquam †ius Pontifi
cium verberari tantum seu flagellari
iubet, c. Qui in alterius, 5. q. 1. facit l.
Diffamari, C. de ingenu. manumiss.

CAP. CXXVI.

De falsis aleis.

¶ Summę rerum tractatarum in Commenta. CAP. 126

1 *Alea nulli non perniciosissima.*
2 *Alea pueris indigna.*

3. 22. *Aleis falsis ludens, committit crimen* { *Falsi.* *&* *Furti.*

4 *Aleator falsarius vt* { *Falsarius* *&* *Fur* } *puniendus est.*

5 *Cum falsis aleis* { *Perdens,* *Lucrans,* } *ius suum* { *Repetendi habet.* *Seruandi amittit.*

6. 9. 10. *Omnis aleator perdit ius* { *De reparatione* { *Iniuriarum.* *Damnorũ.* } *Omnium cõtractuum, scilicet* { *Emptionis,* *Venditionis,* *Locationis,* *Conductionis* *Mutui,* *Permutationis,* } *qui contigerunt in ludo.*

8 *Domus*



8 *Domus aleatoria debetur fisco.*

11 *Et* { *Lusores*, *Collusores*, *Adstantes participes*, *Pecuniam dantes*, *Tabulam dantes* } *pari pœna plectendi.*

12 *Iuuenes ad ludum pellicens, grauiter plectendus est.*

13 *Quando iuuenes dicendi sunt ad ludum pertrahi.*

14.15. *Alearum mala & pericula.*

16 *Alea quatenus viris honestis permissa.*

17 *Omnes lusores pro graui pecunia, aut* { *Extraordinariè*, *Exilio*, *Mulcta pecuniaria*, *Arbitrariè* } *plectendi sunt.*

18 *Actio de bonis repetendis per aleam perditis, est perpetua, saltem &c.*

19 *Restitutio facienda est* { *Victo, si is cognoscatur.* / *Fisco indignius,* / *Pauperi melius,* } *si ignoretur victus.*

20 *Alearum usus antiquissimus.*

21 *Aleator pernicies & pestis est reip.*

23 *Lusor 3. legis præcepta violat, scilicet* { *De honesta vita.* / *De nullo lædendo.* / *De unicuique tribuendo sua.* }

24 *Ludus permittitur* { *Viris honestis.* / *Recreationis gratia.* / *Si sine dolo, & crimine.* }

25 *Ad Aleatorum correctionem utilis admonitio.*

26 { *Voluptuarij* / *Ignaui* } *ciues, sunt telluris inutile pondus.*

27 *Veterum seueritas in pellendis ciuibus inutilibus.*

28 *Alea &c. per Regem Franciæ coërcita.*

29 *Ludi sagittarij quando in Francia priuilegiati.*

ANimaduerti, pij Lectores, inter varias illecebras, quibus multi potissimũ adolescentes illaqueari cõsueuere, principatũ obtinere, lusum, prę
1 cipuè alearũ. Quàm enim alea †sit vorax, ac bonis moribus inimica, multorũ id proditũ est præclaris testimonijs, & nostris (proh dolor) satis conspicimus oculis. Ex ea enim videmus, multos diuites, & re lauta bene natos, peruenire ad summam rerum omnium penuriam & egestatem: à rebus lętissimis, in extremũ luctum: à gloria, ad ignominiosa dedecora: à pietate & mẽte catholica, in reprobũ sensum, & tandẽ in blasphemiam: à fidelitate & iustitia, ad furtum & rapinas. Quocirca nõ abs re me facturum esse putaui, si hoc caput de ludo aliquãto accuratiùs pertractarẽ: cùm sit ludus hic alearum & frequẽtissimus, & in repub. pernicioſissimus: tametsi sint qui aleã excusent, & eidẽ indulgendũ esse velint, recreationis animorũ gratia: vtut enim eã excusant, plus tamen dedecoris, impietatis, & perniciei secum confert, quàm gloriæ, pietatis, ac vtilitatis. Quod
2 cernẽs censorius Cato, †pueris ilico alearũ vsu interdixit: quidnis potiùs illis permittẽs, ac trochorum lusum priùs cõmendans, vt tali initio à malo seminario sese temperarẽt: sperans ipsos tanto fore in senectute à corruptis moribus alienores, si iuuentutẽ aleis nunquam cõtaminassent. Quũ igitur hic alearum vsum abominamur, maximè de falsis aleis hic nobis loquendũ est, quibus plani multi, ac impostores hoc tẽpore maximè gaudent & se exercẽt. Poterat hoc caput (fateor) ad superiora de falsitate non incommodè referri, sed quoniã tam est generale & noxiũ, ideo seorsum hic suo loco digessimus. His igitur
3 †falsis aleis quisquis vtitur, ludit, & fallit, geminum crimen committit, & crimen falsi, & crimen furti: crimen quidem falsi committit, quòd re falsa vtatur, arg. l. Arbitrio, §. De eo, & quod ibi not. ff. de dolo. Crimen

men verò furti cõmittit, quòd nihil interfit inter lucrum dolosum,& lucrum furtiuum:in neutro enim licet pecuniam acquisitam & lucratã sibi tenere & reseruare, arg. l. Falsus, in princip.ff.de furt. Quocirca hic falsus aleator † duplici quoq; pœna plectendus est,& vt falsarius,& vt fur,ad arbitriũ iudicis:semper cũ restitutione eiusdem falsi lucri,talibus aleis falsis cõparati:quòd solius vincentis semper sit turpitudo. Bart.in rubr. C.de condi.ob turpẽ caus.tenetúrq; crimine stellionatus, cùm certũ criminis nomẽ non sit, l.2. ff.de cri. stelliona. 4

5 Quã † ob causam,qui huiusmodi falsis,imò etiã æquis aleis quicquã perdidit,ei ius manet,idẽ perditum à lucrãte collusore reposcẽdi;imò ab ipsius collusoris hæredibus vsque ad quinquaginta annos,idẽ repetẽdi ius perdẽti & perdẽtis hęredibus manet. Nã in hoc crimine nulla tẽporis præscriptio,nisi quinquaginta annorum locũ habet, salubri & sancta Authẽt. Alearũ vsus, ibi, sed solutũ reddatur &c.& ibi, nõ obstante nisi quinquaginta annorũ pręscriptione, C.de religios.& sumptib.funer. Porrò si nec lusor perdẽs, nec hæredes ipsi9 vellẽt vnquã talẽ perditã pecuniã,aut opes à fraudulosõ aleatore, aut ipsius hæredibus reposcere : ipse fiscus (qui in omni crimine,se malẽ partarũ opum hæredẽ cõstituit) cõtra aleatorem ex officio ageret, & perditas opes cum mulcta debita reposceret,d. Authẽt. Alearũ vsus,ad finẽ. Quin tã abomi- 6.9
nabilẽ iura habẽt † aleã (etiã si æquis, 10 iustis,ac idoneis aleis aleator vtatur, d.Authent. Alearũ vsus,& ibi notat. & in Authent. Interdicimus, C. de Episco.& cler. & in corpore vnde sumitur,in Authen. de sanctiss. Episc. §. Interdicimus,colla.9.constitu.finali) & similes ludos prohibitos, vt in ea lusoribus nullam potestatẽ faciãt ab sese mutuò iniuriarũ illatarum, aut quorumuis etiam damnorum illatorum vindictã & reparationẽ posse requirere,l.1.ff.de aleæ lusu, & alea- 7 to. Deinde omnes † contractus, vt venditionis, emptionis, locationis, cõductionis, mutui, permutationis, transactionis, aut similes in eo lusu volunt esse irritos,inualidos,& nullos:notat Bart. in l. Si quis cùm sciret,in fin.ff.de vsucap. pro emp. Nec lusor vendẽs in ludo, tenetur emptori de euictione:nec etiã lusor perdẽs, victori,quia ambo simul delinquũt, l. Si filiofamilias,§. Si in alea, ff.quarum rer.act.nõ datur,& per Doct.in d.l. Si quis cũ sciret. Ipsa quoque do- 8
mus, vbi falsæ † tractantur aleæ, imò vbi quæuis exercentur ex consuetudine aleę,ex iure cedit fisco:modò ea domus fuerit ipsius aleatoris:similiter etiã si domus alterius fuerit,sciátque tamen, quòd in ea huiusmodi ludi exerceãtur,d.Authen. Alearum vsus, in verbo. Et si quis, ibi, domibus eorũ publicatis,&c. Nisi illa domus fuisset cuiusdam pupilli vel viduæ,argu.l.1. C.de fals.mone. & ibi hoc in simili vult Cynus,& idẽ censendũ est de omnibus domibus personarum miserabilium,arg.nota per Cynũ in l.1. C.quando Impera inter pup.& vid.Et si ex eadẽ domo quippiã ipsi aleatori, durante lusu,ereptũ fuerit,id perit,& aleatori negatur reposcẽdi actio, notabili l.1.§.1.ibi,impunè fit,&c.ff.de aleę lusu,& aleato. Et si aleatori vlla inferretur iniuria, aut damnũ (vt dictũ est) aut ipse cæderetur:sublata esset ei omnis de reparatione petendi actio, d.l.1.§. Item 11
notandum. Quin & omnibus † adstantibus,qui aut colludunt,aut certè se participes faciunt periculi,& lucri vel amissionis, eadem infligenda est punitio seu pœna, etiã si non colludãt,d.Auth. Alearũ vsus,§. Cõmodis.

dis. Qui ludens, aut ludū retinēs, pecuniam in alearum ludo aleatori dat mutuò, eā Iure repoſcere non poteſt: quòd ſua mutuatione alteri criminis occaſionē dederit, gloſ. eſt ordinaria in d.l.1. in princ. & in l. fin. in gloſ. ſuper verb. acceperit pecuniam, ff. de aleæ luſu, & aleato. Secùs ſi ab alio aleator, qui ignorabat eū velle aleis ludere, mutuò accepiſſet: imò ipſi ad ſtātes & ſpectātes, etiā ſi nō colludāt, nec pecunia alios iuuēt, aut ſe participes faciāt: ſunt tamē puniendi vt ipſi principales luſores, d. Authēt. Alearū vſus, & d. Authēt. Interdicimus. Iure enim vetitū eſt omnibus huiuſmodi aleis aut aleatorū inſpectione, tēpus ſuum tranſigere ac terere, forſan ob hoc, quòd ex tali auida ac vſitata inſpectione, plerunq; ipſi aleatores eua
12 dāt. † Quicunq; ſimplices ac incautos iuuenes & adoleſcētes, ſuaſionibus, blanditijs, malitijs, ac ſimilibus illecebris, ad alearū frequentationē pertrahunt, ij nō vt aleatores ſimplices, ſed multò grauiùs plectendi ſunt ad arbitriū Iudicis, ob illatū offendiculū, & læſam alterius innocentiā. Sed
13 tū oportet † intelligas, iuuenes & adoleſcētes pertrahi ad ludos aleatorios, quādo ipſis ſuppeditātur aleæ, incenditur ignis, ſubminiſtrātur mēſę, tabulę, & candelę, cū reliquis cōmoditatibus, quibus iuuētus & adoleſcentia in affectibus vehemens, & ſe per ſuos iuueniles calores cupidini deditos moderari ac refrenare neſcia, ad hoc malū (vti ad cætera omnia facilis eſt & cærea) citò perducitur, l. fin. ſ. Melius enim, C. de bo. quę liber. quo
14 niā ludū † tenētes, & luſores ſuſcipiētes, cauſſa ſunt multorū indè emer-
15 gentiū † malorū, ſcilicet blaſphemiæ, periurij, furtorū, ſacrilegiorū, depauperationū, homicidij, nec non aliorū plurimorū, d. Auth. Alearū vſus: vti etiā ipſa docet experiētia: niſi enim tales eſſent aleatores, & tā multi, nō tā frequēter aleis patsim luderetur, maximè à iuuenibus, nec tot orirentur pericula & mala: ſicut dicimus de lęnonibus, qui niſi eſſent, adulteriū nō ita frequēter cōmitteretur, l. 2. ſ. 2. ff. ad le. Iul. de adulter. Monet ergo ſanctus vir ille Cyrillus iuuenes, vt bonis moribus ſe informēt, ahſtinētes à prauis, maximè ludis: quia, Quo ſemel eſt imbuta recēs ſeruabit odorē Teſta diu: & quod nouę chartę inſcribitur, non facilè indè delebitur: monet igitur Cyrillus parētes ad eruditionem & verbera filiorū, & alearū abſtinentiā, ne flēdi eis ſuccedat euentus. Hæc aurea verba tene perpetuò, & bene audies. Atq; hactenus habita, de quouis ludorum genere intelligas oportet, qui iure prohibiti ſunt, veluti de ludis alearū, chartarū, fritillorū, tabularū, atq; id genę ſimiliū, qui partim fortuna, partim induſtria geruntur. Huiuſmodi enī oīa ludorū genera Iure ſunt prohibita: non tā ob malū, quod in ſe habent, quàm ob mala vitia & peccata capitalia, quæ huiuſmodi ludos comitari ſoleāt, quæ his ſequētibus contenta ſunt verſiculis.

Hæc cum taxillis ludendo crimina fiunt:
Eccleſiæ ſpretus, vſuraque, rixa, rapina,
Scandala tum nugæ, blaſphemia, tum faciendi
Furti doctrina, violentia, copia falſi,
Et mortis cauſſa, deceptio, perditioq;

Temporis,& deſiderium,corruptioque ingens: Iſtis prædictis adulatio,vitaque turpis.

Quos verſus Hoſtienſis in ſumma, de exceſsibus prelato .declarat,quorum declarationem , quia facilis eſt, longiùs proſequi nolui. Hic itaq; ludus cenſetur turpis ratione conſequentiæ & accidentium ſibi:ob idetiam forſan,quòd omnia fortuita,& inexpectatò prouenientia, mentē humanam non mediocriter quoq; turbare ſoleant, præcipuè virorum,rationis vſu penè carentium. Quocirca etiam dicti † ludi non prorſus interdicūtur viris honeſtis, ratione ſatis vtentibus , ac animi gratia & recreationis cauſſa tantùm ludētibus, & non ex ardenti cupiditate & auaritia , quæ tanquam radix omnium malorum,eſt reprobata,c.Bonorum 47.diſtinct.ſed tantū cauſa ſocietatis & ſolatij,pro vino aut cereuiſia potanda,aut pro pullis gallinaceis , aut caponibus, aut leporibus, aut cuniculis , aut rebus ſimilibus in conuiuiū inſumendis,l.fin.ff.de aleæ luſu, & aleatoribus & pro exigua pecunia,idq; tempore & loco licitis,congruis,& honeſtis.Paruam autem pecuniam intellige hic iuxta conditionem,qualitates,& opulentiā,ac potētiam perſonarum,c. Et ſi quæſtiones,ext.de ſimonia, in l. Sed etſi ſuſceperit, ff.de iudi.nempe talem,quę ipſum victum non multū lædere ſeu grauare poſſet, vtpote ſolidū, ſecundum quod leges appellant , quorum ſeptuaginta duo vnā libram auri efficiunt,l.2.C. de ſuſceptoribus & arc. lib. 10. etiam ſi multum diues ſit & opulentus.Si pauper, egenus,inops, vnum aut alterum groſſum aut ſtuferum:ita vt non multùm curet, an vincat, an perdat , ſaltem ipſi obeſſe ac grauare nullo modo poteſt,d. Authent. Alearum vſus,§. Sed nec permittitur . Omnes igitur luſores † in ludis vetitis,& pro graui pecunia ludētes,vbi procul dubio nequaquam deeſſe poteſt cupiditas , puniēdi ſunt extraordinariè,aut exilio,aut mulcta pecuniaria,aut aliter, ſecundum Iudicis arbitrium , cum de iure non ſit pœna ordinaria expreſſa . Iudicis enim eſt curare , ne in ſua prouincia ſint,qui ſuam pecuniā(qua reip.prodeſſe poſsint)malè inſumant & profundant , aut ea certè inutiliter abutantur,l.Illicitas,ff.de offic.præſid.l. Si cum dotem, §. Sin autem diſsipet, ff.ſolu. matri. Atq; actio † & punitio iſthæc de vetito ludo durat perpetuò, ad quinquaginta ſaltem annos, & ſi neſciatur † cui facienda ſit reſtitutio,adiudicanda eſt vel fiſco,d. Authent. Alearum vſus, ibi in opus metallum conuertatur, vel potiùs pauperibus,c. Qui habetis, & c.Nō ſanè, 14. q 5. Quando autē ſcitur is,à quo victum & comparatum ſit , hoc eſt, cui facienda ſit reſtitutio : tunc ilicò illi victo reſtituetur , vt ibi habetur, & ibi per Bald.nota. Alearum tamen ludus † antiquiſsimus eſt, ab Alea militē Troiano ſic dictus, vt teſtatur cō ſtitutio Græca, qui ante Romā conditam fuiſſe traditur : imò vt refert Vgutio, fuit tēpore belli Troiani. Et de hac ſorte ludi habetur Exodi 34. vbi dicitur: Sedit populus māducare & bibere , & ſurrexerunt ludere. de qua etiam poteſt intelligi quod habetur Geneſis 16. Vidit Sara Iſmaēlem ludentē cum Iſaac, & eum decipientem: de quibus verbis, in c. Reuocet, in verſic. Sequitur,32.q.1.Et de ea etiam poteſt intelligi, quod † dicit Philoſophus in 4. Ethicorum, vbi affir-

mat

mat luſores eſſe deterioris conditionis, quàm latrones. Et aleator, hoc eſt tam ludēs, quàm receptor ludi, eſt velut hoſtis ac peſtis reipub. quia hoc cupit & optat, vt homines ludant & efficiantur pauperes: & ideo etiā fures ſunt, & falſarij, quia vt plurimū
22 †interſerunt luſores falſas aleas ſeu taxillos, & mutuant pecuniā dando malam, & retinēdo bonā, & ſemper in ludo iudicant cōtra extraneū cum ipſis ludentē, ſecundum Odoffre. in l. 1. ff. de aleæ luſu & aleatoribus. Et
26 Hoſtienſ. in c. Quorundā, 34. diſtin-
23 ctio. †Ideo præcauendum ait à ludo, quòd luſor agat turpē vitā, illa tria
27 præcepta legis & iuſtitię tranſgrediatur, ſcilicet honeſtè viuere. Alterum non lædere: & Ius ſuum vnicuiq; tribuere: deinde ob animi inquietudinem & ardentē cupiditatem, quam
28 radicē omnium malorum eſſe diximus, §. 1. Auth. vt Iudices ſine quo-
24 quo ſuffragio. †Quocirca omnis ludus, qui virtutis vel recreationis, ocij terēdi gratia tantū fit, & ſine cupiditate & ſine auaritia, is eſt permiſſus, l. Solent, §. 1. ff. de aleæ luſ. & aleato. ſecundum Canones, dummodo nō immiſceatur fraus, dolus, blaſphemia, aut aliud delictum: & fiat horis debitis & cōgruis. Sed ludus omnis, qui fieret cauſa cupiditatis aut auaritię, cum admixtione alicuius delicti,
29 eſt prohibitus, d. Authen. Alearum
25 vſus. Quum igitur †tam damnoſa ſit reip. alea, optarem omnibus prouinciarum & ciuitatū Rectoribus, acrio rem in aleatores animaduerſionē, vt nobilium aut ciuium diuitum, aut mercatorum filios aleis, luſibūſq; deditiſsimos, ad ſaniorem reip. frugem præſtandam cōpellerent: vt eas opes (quas alea vorat) ad verum ſui Principis miniſterium, cum gloria impenderent: aut ſi ciues eſſent, ad mercaturam, ad fœnus, ad omnem deniq; reipub. vtilitatem impenderent, potiùs quàm vt aleis inſeruirent, aut equos, canēſve alerent, aut alijs luxibus abſumerent: quibus tamen noſtrorū ciuium iuuentutē florentiſsimam coinquinari conſpicimus, & in omne voluptatū genus potiùs reſolui, quàm vt ſuis (imò Dei) opibus vlla in re, bono reipub. prodeſſe velint, aut optent, quaſi ijs voluptatibus & vitijs planè nati ſint, & non
26 potiùs iuuādis alijs. Illi †igitur ignaui voluptuarij & ſibi tantūm viuentes, mihi tantū inutilia pōdera terræ
27 videntur, & quos Romana †ſeueritas nunquàm paſſa fuiſſet, tam inertes, ſuam remp. coinquinare: ſed eos ſine vlla diſſimulatione è ciuitatibus vt membra inutilia, imò perniciosa
28 pepuliſſent. Quos †imitatus optimus rex Francorum Carolus VII. in ſuis diplomatis, anni 1369. omne genus ludorum prohibuit, quod tractāt inhoneſti iſti circūforanei: veluti aleas, tabulas, fritilla, kegulas, globos, &c. quę nulli corporali exercitio cōducunt, nec ad ſuorū nobiliū palæſtram exercendā ſunt inſtituta, aut ad defenſionem regni. Illis enim inertibus luſibus pœnā indixit 40. ſolidorū Pariſienſiū pro ſuo fiſco, quoties reperti fuiſſent huiuſmodi ludos
29 tractaſſe. †Sed vti ipſis vtilius daretur ludendi exercitium, ludos ſagittariorū vbiq; inſtituit, cōfirmauit, & priuilegijs nobilitauit. Hos ſagittarios ob ſimilē occaſionē ſecuti ſunt Baliſtarij, qui in bellis nunc plurimū ſunt vſui. Qui plura de alearū ratione, pernicie, & deteſtatiōe deſiderat, is legat D. Angel. Aret. in ſuo ſingulari tract. maleficiorum, in gloſ. Super verb. Metidore de mali dati: D. Troilū Maluetiū in ſuo vtili tract. de ſortibus: D. Paridē à Puteo in ſuo aureo

tract.in materia ludi: D. Ioan. Baptistam Caccialupum in suo tract. vtilissimo, de ludo & aleæ lusu: D. Stephanũ Constan. in suo eleganti tract. de ludo. Consulo interim præfatis aleatoribus (qui tamen raro illo lucro ditari solẽt) vt restituãt, vel saltẽ largas faciãt eleemosynas, non est tamẽ rigorose eis dicendũ siue iniungendũ quasi essent simpliciter de necessitate salutis. Istud de luxoribus bonis aleis ludẽtibus & nequaquã falsis, cẽsendũ opinor, quod enim falsis lucratũ est aleis, indubie perpetuò restitutioni obnoxiũ & subiectũ est. Teste artiũ & sacræ theologiæ professore diuinique verbi declamatore facundissimo. M. Godscalco Rosemondo Endouiensi: in suo libello modum confitendi pulcherrimæ complecten te. De ludis taxillorum. & restitutione lucri. folio libr. meo. 77. versi. Is enim ludus est instar pestis, nostra in Republi. Quemadmodum enim pestis adimit vitam, ita ludus ingens & grandis, adimit pecuniam, euacuátque bursam. Vnde infinita mala oriri (proh dolor) in dies cernimus, quorum memoriam hic recensere ex causa omittimus.

CAP. CXXVII. De transłatione limitum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 127.

1 2 *Qui agrorum limites* { *Euellens, vtitur,* / *Trãsponit tantum,* } *committit* { *Hic furtum.* / *Hic furtum & falsitatem.*

1 2 3 4 5 6 7 *Limites* { *Euellens & vtens, punitur arbitrariè vt fur.* / *Transponens* { *Iuuenis* } *punitur* { *Exilio longo.* / *Senex* } *punitur* { *Exilio breuiori.* / *Durante lite, litem perdit cum sumptibus.* / *Ex malitia, punitur multa 50. aureorum.* / *Ex dolo, & conductus, puniendus est virgis & exilio.* / *Non dolosè, sed ex ignorantia, puniendus est virgis tantũ.*

8 *Iura limites intelligunt* { *Saxa* / *Lapides* / *Arbores* / *Palos* } *agros ab agris dirimentes.*

9 *In crimine termini amoti, cuius licitum est accusare.*

CIrca agrorũ, aut viarũ limites, seu terminos nõ leue cri mẽ cõtingit, idq; ferè duob. modis, nẽpe limitũ seu terminorũ omnimoda ablatione, & eo-1 rundẽ trãspositione. quisquis †igitur aliorũ agrorũ seu viarũ limites euellit, secum aufert, aut ad sua opera applicat, & vtitur: is se furto alligat, ob quod furti puniendus est ad arbitriũ Iudicis, etiã si eos abstulisset, nõ vt limites aut terminos mutaret, & alijs damnũ per hoc inferret: sed vt eis ad suũ cõmodũ vterẽtur, cuius memini mus sup. de furto. idq; cõtinet l. 1. in fin. ff. de termino moto, dũ dicit, sed pro cõditione admittentiũ coërtiõe 2 transigendũ. Quisquis †verò, limites aliorũ trãsponit tantũ, vt suos agros dilatet & promoueat, is supra furtũ cõmittit falsitatẽ, glos. vltima, in l. fi. ff. eodẽ, de termino moto: ob quę va riè puniẽdus est. Nã si fuerit iuuenis, punietur exilio & relegatione in lõgissimas regiones ad tẽpus. Sin fuerit 3 †senex, mulctãdus est exilio ad discre

tionem



tionē & arbitrium Iudicis, l. 2. ibi, de pœna tamē & c. ff. de termino moto.

4 Sicui cōtingeret † cū altero lite cōtendere de limitū ſuorū differētijs, atq; alter ipſorum interim durante lite & proceſſu, eoſdē limites ſeu terminos (de quibus eſſet quęſtio) trāſponeret, vt hoc modo certiùs ſuū proceſſum & litē vinceret, is fraudē & falſitatē cōmittit, ob quā, litē perderet cū vniuerſis ſumptib. & damnandus eſt ad reſtitutionē tantidē agrorū, quantū alteri eripere per tranſpoſitionē conabatur. Et limites tū conſtituēdi ſunt tāto à priori locatiōe citeriùs: quāto ipſe priùs promouerat vlteriùs. Et ſi tantū nō habeat, tenetur tamē ſemper reſtitutione omniū damnorū, & (vt vocāt) intereſſe omniū iuxta taxationē Iudicis, l. Diuus, in princ. & l. fin. in fin. ff. de termino moto. Qui † prętereà aliorum limites ex malitia trāſmutat, vt vicinis negotiū faceſſat, & ſibi nullū cōmodum faciat: is ſecundū iura puniendus mulcta quinquaginta aureorū, ad communē vtilitatē fiſci, & reſtitutione omniū detrimentorū, l. Agraria, ff. de termino moto. Qui autem doloſē aliorū † fines & limites tranſponit ex iuſſu ſeu

mandato alterius: is puniendus est virgis, & ad opus publicum biennio dandus, aut loco illius per biennium
7 relegandus. Si † autem id fecerit non dolosè, nec vt alteri vllum incommodum & fraudem inferret, sed tantùm ex ignorantia & fortuitò: tum puniendus est tantùm virgis & verberibus cædendus, non exilio aut relegatione, l. Diuus, ibi, si verò, ff. de
8 termino moto. Et limites † intellige, quæuis signa siue subsignacula, quæ agros ab inuicem dirimunt, aut lapides, aut palos, aut arbores, hisq; simi
9 lia. In hoc † crimine cuiuis permissum accusare & deferre, l. fin. ibi, & eius actionis petitionem ei qui volet esse iubet, ff. de termino moto.

CAPVT CXXVIII.

De calumnia.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 128.

1 *Calumnia est* { *Scienter in iustitia sustinere falsa.* / *Scienter deferre falsa & non probabilia.* / *Scienter propositum crimen dissimulare.*
2 *Pœna calumniatoris est arbitraria.*
3 *Calumnia semper includit in se scientiam iniuriæ alterius.*
4 *Iurare de calumnia, est iurare, quòd putet se habere causam optimam.*

1 CAlumniam iura † vocãt, aliquem malitiosè & scienter in iustitia accusare & deferre, de rebus falsis & vanissimis & nõ probabilibus, quæq; nunquam cõtigerunt. Aut in iustitia sustinere pro vero & æquo, quod sciuit esse falsum & iniquum. Aut est dissimulare, subticere, & nolle proferre ad iustitiam crimen, quod punitioni subiectum est, l. 1. §. Incidit, ff. ad sena
2 tusc̃ul. Turpilia. Pœna † autem calumniarũ est arbitraria, ad discretionẽ Iudicis, pro qualitate personarũ, & enormitate aut leuitate calumnię, & rerũ, sic vt videat quid calumniatorẽ mouerit, & induxerit, vt alteri talem inferret calumniam. Nam si ex simplicitate eam tantùm intenderit, putans sibi iuris potiora debere cedere, nõ suo aduersario: eo in casu certè non est censendus calumniam
3 struxisse. Oportet † enim calumniam semper coniunctã esse cũ notitia iniuriæ alterius. Hic autẽ notandũ illud iuramentũ, quod vocant iuramentũ calumniæ, aut de calũnia. † Est enim iuramentũ prę̃stare de calumnia, bona fide iurare, quòd sine fictione put-
4 tet & arbitretur se habere bonam ac iustã causam, & alterũ iniquam, ob quam eũ prouocet in iustitiam, &c. l. Cum & Iudices, versic. Et actor, C. de iureiuran. propter calum. dand.

CAP. CXXIX.

De concussione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 129.

1 *Concussio est, cum altera partium, iustitiæ causſa componere.*
2 *Iudex partem vel* { *Minis* / *vel* / *Inductionib.* } *pecuniæ gratia pertrahens, vt vel* { *Citiùs iudicet,* / *tardiùs iudicet,* / *non iudicet,* / *malè iudicet,* } *cõcussionem committit.*

3 *Officiarius*

3 *Officiarius ob pecuniam studens* { *Capere, aut Nō capere,* } *fit concussor.*

4 *Concussio punitur arbitrariè, cum* { *Restitutione principalis. Restitutione quadrupli. Exilio.* }

5 *Promotor minis ab honestis matronis pecuniam extorquens, puniendus est grauiter.*

6 *Iudex concussor Iure Canonico puniendus vt calumniator.*

7 *Quomodo puniendi qui fures suspendunt in marsupio.*

HAbent iura crimen, quod concusionem vocant.† Est autem concusio, sub prætextu & titulo officij & dignitatis, cum aliquo de iustitia ferenda, aut non ferenda, aut malè ferenda componere, & cum eo fœdus aliquod pecuniarium hac causa inire. Hoc crimen directè spectat ad ipsum Iudicem, qui partem litigantem concutit, & ad sui corruptionem aut persuadet aut compellere
2 studet. Iudex† qui alteram litigantium partem concutit, hoc est, vel minis, vel persuasionibus terret, & inducit, vt ab ea, aut munera aut summam aliquam pecuniariam accipiat, ad eum finem, vt in gratiam eiusdem partis, aut citiùs aut tardiùs iudicet, aut omnino non iudicet, aut certè vt aliter iudicet, quàm debet, aut quàm iuris regula monstrat: is (inquam) Iudex, qui ita se corrumpi studet, crimen concusio-
3 nis committit. Idem crimen† committit omnis Hostiarius ac omnis denique Officiarius, qui partem (in quam habet executionem vel commissionem) adit, ipsique proponit, quòd contra mandatum suum sit illi parsurus, & quòd tardiùs aut mitiùs suam in ipsum commissionem executurus sit, si ipsi tantum aut tantùm pecuniarum numerare velit: aut hoc aut illud in gratiam
4 ipsius efficere. Hoc crimen† committens puniendus est arbitrariè, ad discretionem Iudicis, cùm restitutione principalis & quadrupli, & exilio, vt falsarius & calumniator, pro modo delicti, l. 1. & ibi glos. in verb. Ablatum, & l. 2. ff. eod. tit. de concusionibus & ibi Scrib. Et l. Si ab eo, & ibi Doct. ff. de calumniatoribus. Et in Authent. Nouo Iure, C. de pœn. iudic. qui male iudic. desumpta ex Authent. vt litigantes in exordio litis iurent, §. Si quis autem ex litigatoribus colla. 9. constitu. 5. & l. fin. C. eod. de pœn. iudic. qui mal. iudic. Prolixiùs D. Iohan. Berber. in suo iuris viatorio, rubr. de
7 Concusionibus. † Grauius autem puniendi sunt Prætores illi, qui fures, aut alios maleficos mortis damnationi obnoxios, non meritis supplicijs puniendos curant, sed ipsos ob munera liberos remittunt aut ex aliquo affectus studio laxant. Paruos quidem furunculos in crucem abripientes. Maiores vero ac nocentiores studioſe liberantes suspendunt in loculis. Iuxta illud. *Dat veniam coruis, vexat censura columbas*. De huiusmodi Prætoribus Diogenes rogatus. cur tam effuse cachinnos emitteret, respōdit. Non riderem, inquit, quum tam aperte à maioribus furibus paruos furunculos ad suspendium duci conspiceam? Caueant igitur Iudices ne huiusmodi malo sese coinquinent: quod & si leges huma-

næ (quas sæpe corrumpunt, fallunt, aut occultant) non puniant, legem tamen Diuinam non corrumpent, neque diuinam vltionem effugient.
5 Promotor † qui ad mulierem nuptam non diffamatam dicit: Da mihi nobilem vnum, aut citabo te coram Officiali de commisso adulterio: atque ea eius criminis innocens, & non Rea, metu tamen infamiæ (vt forsan sæpe fit) promotori petitum tribuit nobilem: is promotor committit crimen concussionis & falsitatis & calumniæ, ob quæ tria mala puniendus est, ad exemplum aliorum enormiter, l. 2. ff. eod. tit. de concussionibus. Iure autem Ca-
6 nonico, Iudex † concussor punitur vt calumniator, per c. Militare, 23. q. 1. Sed Iure nouo plectitur pœnis, de quibus in. c. Cùm æterni tribunal, de sent. & re iudica. lib. 6. verùm quia hac tempestate nulli, aut saltèm perpauci ita puniantur, tametsi nequaquam pauci ita delinquant, ideo Principum conscientiarijs hanc pœnam relinquendam statui.

CAP. CXXX.

De corruptione.

¶ Summę rerum tractatarum in Commenta. CAP. 130

1 *Concussio & corruptio ambo Iudicem afficiunt.*
2 *Concussio & Corruptio* afficiunt & *Iudicem, Officiarium, Testem* sed *Hæc interne. Hæc externe.*
3 *Iudicis corruptis*
4 *Officiarij corruptis*
4 *Testis corruptis* punitio *In ciuilib. est restitutio principalis cum quadruplo.*
In capitalib. est vel Mors. Exilium. Quælibet pœna.
5 *Restitutio in corruptione, facienda est fisco.*
6 *Corruptori nulla debetur restitutio.*
7 *Fiscus bonorum criminalium hæres est.*
8 *Iura corruptionem prohibent.*
9 *Iura qualia munera Iudicibus permittant.*
10 *In Francia quæ munera Iudici permissa.*

EXplicato crimine concussionis, proximè sequitur crimen corruptionis, quòd à concussione non admodum natura
1 distinctum est, & dissimile. † Ambo enim isthæc crimina vsuuenire conspicies in Iudice, in officiario, & in
2 testibus, licet diuersimodè. † Quandoquidem Cõcussio his inest actiuè: Corruptio verò passiuè: Hoc est Concussio Iudicem, Officiarium, & testem concutit, & ad propriam corruptionem solicitat, id est, ipsos subagitat, ita vt Iudex à parte aduersa munera captet, quorum gratia iniquè iudicet, aut Officiarius iniquè exequatur, aut testis iniqua testetur, Corruptio verò à corru-

corruptore venit: in Iudice tamen, Officiario, & teſtibus remanet, ipſósque non minus afficit, ita vt Iudex munerum aut pecuniæ gratia quicquam iniquè iudicet, aut vt Officiarius iniquè exequatur, aut teſtis malè teſtetur, Concuſsio itaque corrumpi ſtudet & quærit, & pro iniqua ſententia ferenda, munera & pecuniam quærit & affectat. Corruptio (ſcilicet, Iudicis, Officiarij & teſtium) etiam munera & pecuniam accipiat, illa tamen non quæſiuit, nec ad ea danda partem coëgit. Quo circa corruptio in tribus illis dictis perſonis, eſt concuſsione leuior, nihilominus grauiter damnanda, grauiúſque punienda. Ex his tribus † enim Iudex quiuis, qui ſeſe à parte aduerſa corrumpi finit, aut munera accipit, vt in materia ciuili quippiam aut citius aut tardiùs iudicet, aut non iudicet, aut male iudicet, aut certe vt nihil prorſus in eadem materia diſcernat: is Iudex dependet quadruplum, cum reſtitutione principalis, quod acceperat, quæ omnia adijcientur ad fiſcum, l. 1. & 2. C. ad le. Iul. repetund. Si autem ita corruptus talem ſententiam proferat, vnde innocentis mors ſit ſubſecuta: tum ipſe puniendus eſt capitaliter & gladio, & omnia bona ipſius adiudicanda fiſco, l. 1. in princip. in ver. quíve magiſtratus, ff. ad le. Cornel. de ſicar. aut certe damnabitur perpetuo exilio, aut aliter punietur iuxta menſuram & qualitatem facti ſeu corruptelæ ad aliorum exemplum, Authent. Nouo Iure, §. Si verò criminalis, C. de pœn. iudic. qui male iudic. deprompta ex Authen. vt litigantes in exordio litis iurent, §. Si quis autem ex litigatoribus, colla. 9. conſtit. 5. Atque ad hunc modum

4 †cenſebis de corruptis teſtibus, & de quibuſuis corruptis Officiarijs, qui ob corruptiones aliter ſeſe gerunt, teſtantur, aut exequuntur, quàm debeant, d. l. 1. Cæterùm in dicta reſtitutione † quadrupli, nolim putes

5 eam reſtitutionem fieri ipſis corrumpentibus, aut actionem ad eam ipſis

6 competere: ſed fiſco. Corruptori † enim nihil eorum iure reſtituendum eſt, quæ iniquo animo & ad corrumpendum maligno tribuit, aut Iudici,

7 aut Officiario, aut teſtibus. Sed † hæc omnia adijciuntur fiſco, quem iura verum hæredem conſtituunt omnium bonorum criminalium, id eſt, crimine partorum: adeò vt talia bona crimine parta, non ſolùm iure repoſcat ab eo qui accepit (nam hic interim obire mortem poſſet) ſed etiam ab ipſius male accipientis hæredibus & ſucceſſoribus, l. 2. C. ad le. Iuli. repetunda. Ratio autem, cur iura eam corruptionis pecuniam reſtitui fiſco velint quadruplam, eſt, vt Iudices, Officiarij, ac teſtes hac pœna ex territi, meliùs à corruptione ſeſe abſtineant. Nolunt enim iura † vllo modo permittere, vt Iudices, Officiarij aut Commiſſarij quicquam amplius accipiant præter conſtituta ſtipendia, ſalaria, & præmia laboribus digna, c. Militare, 23. q. 1. Niſi forte quædam

8 † minutula et gratitudinis ſymbola,

9 quæq; talia ſint, vt ob ea nihil magis, aut minùs in iudicio aut executione facienda, valere poſsint: veluti cibaria aut potabilia, vt leporem, cuniculos, capones, perdices, pauones, phaſianos, haleca, mullum, lupum, lucium, murenam, ſturionem, ſalmonem, & varia quidem vinorum, & cereuiſiarum genera, aut ſimilia leuicula, quæ intra breue tempus peredi poſsint & concoqui. In Francia

10 † nulli Iudici permiſſum eſt accipere vina,

vina, nisi in amphoris, cœnophoris, ac fidelijs: nulla autem in dolijs, cupis, aut vasis. Sunt Doct. qui volunt concussiones ac corruptiones in Iudice, Officiario, Commissario & in testibus fieri posse tribus modis: nempe, In corde, propter affectum & desiderium: In ore, ob gloriam & sui prædicationem: & In manibus vel operibus, munerum ac pecuniarum gratia: atq; ab his tribus conuenit omnem Iudicem, Officiarium & testem esse liberum; vltimum puniunt iura: duo priora diuinæ punitioni subiecta remanent. Horum trium meminit D. Ioan. Berber. in suo iuris directorio, sub rubric. De Concussionibus.

CAP. CXXXI.

De emptione officiorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 131.

1 *Omnis potestas, & officium à Deo est.*
2 *Officia committenda dignissimis.*
3 *Officiorum* { *Committendorum & Impetrandorum* } *mirus abusus.*
4 *Ex ambitione omne malum in remp. deriuatur.*
5 6 *Officia non* { *Ambienda, Committenda* } *sunt indignis.*
7 *Fructus pulsæ ambitionis, gloria Christi non modica.*
8 *Officium quisquis ambit, eodem se indignum reddit.*
9 *Contractus ambitiosus per Principem confirmatus, est excusabilis.*
10 *In foro conscientiæ, omnis contractus ambitiosus est detestabilis.*
11 *Officia publica nunquam emenda, aut vendenda.*
12 *Ambitio in Iure damnatur, pro* { *Emptore, infamia publica. Venditore, 100. aureis.* }

1 QVum omnia † officia publicæ sint functiones, & Dei sint administrationes, ad seruitiũ & ministeriũ Dominici gregis instituta, vt Deo, & gregi sibi cõmisso per ea fideliter seruiatur: ideo 2 talia † officia publica omnia meritò, summo cum delectu cõmittenda essent ijs, quos Magistratus & optimates ciuitatum ac regionum decernerent eis officijs administrandis esse aptissimos: non autem, quos fauor humanus aut sanguinis affectus eligeret dignos. † Sed (proh dolor) hic 3 passim peccatur, & apud seculares, & apud eccleſiasticos, apud quos plus valet in officijs delegandis, aut pecunia, aut fauor, aut affectus, aut sanguis: quàm dotes diuinæ, quàm dignitas vera, & animorum vel corporum, aut morum commendationes certissimæ, adeò vt his neglectis dotibus, ac veris virtutibus, ac optimis prudentiæ, doctrinæ & pietatis testimonijs, tantùm respiciatur ad eos, quos aut mundus, aut caro, aut affectus commendatione sua profert, & officijs administrandis dignos cen- 4 set. Certè dum † ista præpostera

Princi-

Principum, & Episcoporum durabunt iudicia, vt in committendis suis officijs, affectibus seruiant magis, quam rationi, & digniores aut non requirant, aut non cogant, sed ijs ineptiores semper præferant, aut citra electionem bonam commendationem vulgi proprijs affectibus posthabent, infœliciter in republi. Christiana succedat oportet. Et cõtrà, quam diu regnabit isthæc pernicioſa ambitio, qua multi Simoniaci non desinunt animos Principum, & Episcoporum solicitare, & precibus & præmijs, & amicorum intercessionibus, & pecunijs: vt præ alijs assequantur ea officia, quibus se indignos sciunt, aut certè alijs multò indigniores: & hoc modo Dei ministeria & officia dignioribus contra ipsius Dei dispensationem & voluntatem præripiant, & quasi inuito Deo, velit nolit, adipisci varijs modis conantur: quamdiu (inquam) ista in dominicis officijs (sunt autem omnia officia aut mediatè aut immediatè ipsius Dei) grassari & liberè impunéque vagari cernimus, quis est qui prosperum successum rerum humanarum ad Dei gloriam expectet? Quocirca † ardenter rogandus Deus, vt suorum omnium animos ita mutet, ita inflammet & dirigat, vt nemo ad officia sese indignus ingerat, vt nemo officia assequi à superioribus tentet, quibus se indignum iudicat, aut quã diu se multò digniores conspexerit? Deinde ne superiores ipsi ob vllum humanum affectum officia quamlibet humilia committãt † indignis, aut certè minus dignis: sed ea potius delegent aptissimis, doctissimis, & omnibus modis dignissimis, posthabitis semper ineptis, aut etiam ineptioribus: Dei enim ministerium est (si introspicias) quod in officijs geritur, non humanum. Ideóque in ijs etiam humanus excludendus est affectus, & rationi obtemperandũ est, & rationis rectæ dictamini. † Ita enim (meo iudicio) clariùs illucesseret in suis Christus, et tranquillius cuncta gererẽtur. Sed de his satis superque, & sutor (quod aiunt) vltra crepidam. Quæ nostro proposito seruiunt, hic vlterius persequamur iã conuenit: nẽpe de Simoniaca ambitione, non quam exitialis sit Deo, & pernicioſa reipub. Christianæ: hoc enim Theologis committimus: sed quam pœnam mereantur, quos publica officia mercari non pudet. Quisquis igitur † per contractus, aut per vlla pacta pecuniaria, studet ad quæuis publica pertingere officia, id qũe clã, & nescio Principe: is se eodẽ officio indignum reddit, & priuat: sicut idem Plato quoque testatur, qui vult omnes officijs esse indignos, qui officia ambiunt. Verum si talis † contractus factus esset per ipsum Principem, vel per suos Officiarios, vel si eadem pecunia proueniret ad emolumentum Principis, in eo casu Iura Ciuilia volunt, contractum & emptionem talem in foro temporali esse excusabilem per I. vnicam, in princ. ff. ad le. Iuli. de am bit. In foro verò † cõscientiæ, & secundum Iura Ecclesiastica, non vacat enormi crimine, c. Cum essent, & ibi Scrib. ext. de Simonia. Nullo enim modo † pietas & sapiẽtia Christiana permittit, vt quis vlla officia (iudicatoria præcipuè) mercetur aut pecunia, vel contractu venetur. Atque ob hoc etiam per antiquas constitutiones regias in Francia vetitũ est, vlla officia iudicatoria posse coẽmere, aut vendere. Easdémque constitutiones confirmauit rex Ludoui

cus

cus duodecimus in ſuis diplomatis anni 1499. nec ijs vllo modo derogandum eſſe voluit, vel propter punitionem illius criminis, quod Iura vocant Ambitionem, quam mulctari & damnari iura volunt 100. aureis pro venditore: & pro emptore, vel muneratore damnandam eſſe infamia publica, & perpetua inhabilitate ad quæuis officia publica, l. Si quenquam, in fin. C. de Epiſ. & cler. & d. l vnica, ff ad l. Iul. de ambit. Iura autem in dicta mulcta 100. aureorum volunt & taxant 72. aureos conſtituere vnam libram auri: vt ſuperioribus cap. nonnunquam docui-
12 mus. Et in eandem †mulctam incidunt non ſolum emptor & venditor: ſed etiam is cuius permiſſu omnia peraguntur, atque etiam qui eaſdem literas obſignat, & chirographo munit: omnéſq; eadem pœna damnandos exæquo volunt, l. Si quenquam, C. de Epiſ. & cleric. Atq; hæc de ambitione, ad quam ad extremas inſulas deportandam, & prorſus exterminandam, optaré noſtros Principes tam eſſe corditos, & ſtrenuos: quam illa ſeſe nuſquam non apud Principes ingerit, vt officia ab ijs per munera, aut fauorem impetret. Ah quam cupiam Principes omnes eo pectoris robore, & firma prudentia præditos, vt Platonicum Iudicium ſecuti, officia captantes reijcerent, & à publicis officijs fugientes, ſolos ad eadem officia compellerent, eóſque ſolos ijs dignos (ſicuti de D. Baſilio & Chryſoſtomo legimus) crederēt: præclariùs in religione noſtra Chriſtiana ageretur. Nuſquam terrarū tā prodigioſis hominum portētis, tanquam indignis officiarijs occuparentur officia, qui ſeſe paſcunt & ornāt: officia dedecorant, & rempub. vexāt & perdunt. Nec contrà, tot reperirentur viri docti penè ob ſui neglectum mendicantes, fame, ſqualore, contemptúque ſui, & penuria rerum ſæpe pereuntes & intermorientes, qui tamen ſoli ad officia publica pertrahendi forent, quíque ſoli ſuis naturæ diuinisque dotibus in repub. Chriſtiana multum prodeſſe potuiſſent, niſi ab indignis ambitioſis indè fuiſſent remorati. Huic voto meo de ambitioſis repellendis, & fugientibus pertrahēdis, adſtipulatur theorica l. Si quenquam, C. de Epiſco. & cleri. & l. fin. C. ad le. Iuliā repetund. Et eandem reiectionem in Eccleſiaſticis quoque muneribus & dignitatibus fieri debere confirmant lecta & notata, c. Valentinianus, 63. diſtinct. Nullus quippe ſumendus eſt ad honorem, niſi qui vocatus fuerit à Domino, tanquam Aaron, ad Hebræos 5. & c. In ſcripturis, 8. q. 1. quia (vt ibidem) ſicut locus regiminis deſideranti bus negandus eſt, ita fugientibus eſt offerēdus, Eccleſiaſtic. 8. c. Admonemur non quærere fieri Iudices, niſi virtute irrumpere valeamus iniquitates. Poſtremò noſtræ (qualis qualis eſt) ſententiæ vel ipſi Principes, tū ſpirituales, tum ſæculares libenter ſubſcriberent, ſi ipſis in mentem aliquando tot mala, tótq; incōmodorum milia, quę ex ambitione proueniunt ſubreperent: aut ſi quiſpiā pius & doctus, qui apud ipſos authoritate plurimum valeret, huiuſmodi mala ex ambitione naſcentia aliquando ſuggereret, & ea tollēda admoneret.

CAP.

CAPVT CXXXII.

De monopolio.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 132.

1 Monopolium quid?
2.3. Monopolium caritatis rerum omnium causſa eſt.
15 Monopolium directè pugnat cum charitate Chriſtiana.
3.14. Monopolæ damnantur, aut
- Confiſcatione bonorum.
- 3 Priuatione negociationis.
- 3 Perpetuo exilio.
- 5 Mulcta 20. aureorum, cum reſtitutione damni.
- 14 Mulcta iuxta leges patriæ.
- 14 Iuxta diplomata Caroli 5. Imperatoris.

Monopolium committitur
- 2 Qui comeſtibilia omnia in foro emunt, vt ea pòſt cariùs pro ſuo arbitrio diuendant.
- 2 Qui quæuis victibus noſtris neceſſaria paſſim emunt, vt pro ſuo arbitratu poſtea diuendant.
- 4.5. Qui impediunt, ne victualia, aut aliæ res ad forum perueheantur.
- 9 Qui in caritate annonæ ciuitatem frumento ſpoliant, i.lq; aliò auferunt.
- 10 Opifices qui per clancularias, & iniquas inter ſe conſtitutiones rempub. grauant.
- 11 Medici, Chirurgi,
- 12 Lanions,
- 13 Piſtores, œnopolæ, &c.

} per clancularia & iniqua inter ſe pacta.

6 Nemo cogendus eſt, vt res ſuas diuendat, quum placeat populo.
7 Tempore neceſſitatis omnes cogendi ad venditionem rerum neceſſariarum.

8 Victuarij exercitus
- Victum non ferentes,
- Victum ferre differentes,
- Victum aliò ferentes,

puniuntur aut
- Confiſcatione,
- aut
- Exilio.

Aut.
- Victum ad hoſtes,
- Secretò, directè.
- Vel indirectè ferentes,

puniuntur, & Capitaliter. & Confiſcatione bonorum.

14 Monopolij pœna ex diplomatis Caroli Imper. 5.

EST aliud deteſtabile crimen, & nihilominus apud pleraſque reſpub. frequens & penè impunitum, quod monopolium vocatur: quaſi ſingularis, ac penes vnum venditio. Eſt enim † Monopolium nihil aliud, quàm quando penes vnum aliquem, aut paucos ſolos tota alicuius rei vendendæ poteſtas eſt, hæc quàm ſit in repub. pernicioſa, quantúmque † communi plebeculę detrimenti adferat, vel hinc manifeſtum eſt, quòd ex eo rerum omnium caritas in remp. ilico erumpat. Ideóque hoc malum iura grauiter puniendum ſtatuerunt. Omnes enim mercatores aut negociatores, qui in negocia-

gociatione ſua ita ſe gerunt, & ſecretam intelligentiam inter ſeſe habẽt, réſque ſuas ita inſtituunt, vt ad ſingularem venditionem omnia contrahãt, hoc eſt, qui tritigum, carnes, piſces, haleca, butyrum, caſeũ, oua, pullos, capones, braſsicas, pyra, poma, vina, oleum, cereuiſias, ſal, ſaccarum, ſyrupum, oliuas, capperas, vuas paſſas, piper, gyngiber, cinnamomum, crocum, grana atq; id genus reliquorum aromatum &c. comeſtibilia ac potabilia omnia, quãtum in ſe eſt, ab agricolis emunt, vt poſtea conciues ſui ab ipſis ſolis iſthæc ſingula cariùs redimant: Idem cenſendum eſt de alijs mercibus, nẽpe lana, lino, ferro, alumine, corio, tapetis, pannis, varijſque & infinitis mercantiarum generibus hic ſtudeo breuitatis omiſsis: hi † (inquam) pernicioſi monopolæ aut propolæ, quoniam rerum multarum caritatis, per monopolium quod committunt, ſunt authores, & rempu. plurimum grauant, & puniendi ſunt multa grauiſsima, confiſcatione bonorum, & etiam exilio vel priuatione ſuæ negociationis & mercaturæ, iuxta qualitatem rerum & facti, ad diſcretionem Iudicis, l. vnica, §. Si quis autem monopolium auſus fuerit exercere, bonis proprijs expoliatus per petuitate damnetur exilij. C. de monopolijs & cõuentu negociatorum illicito: D. Frãciſcus Lucanus in ſuo tractatu celeberrimo, in ſecunda parte principali, de caſib. bonorum publicandorum, numeris 5. & 6. de Fiſco & eius priuilegijs. D. Iohan. Berber. in ſuo Iuris directorio in Rubric. de collegijs illicitis & monopolijs. Monopolium † quoque committunt, qui aſtu quodam efficiunt, vt agricolæ victualia neceſſaria ad forũ non conferant, ſed ipſi eò turmatim conuolent, & ab ipſis agricolis ibidẽ in villis omnia coẽmant, quæ ipſi tũ ad ædes ſuas conferunt, & paulatim tanti ferè communibus ciuibus vẽdunt, quanti velint. Item † monopolium committunr, qui ex malitia efficiunt aut ex vafricie, ne vllæ merces vſui noſtro neceſſariæ ad forum prorſus efferantur. Iura autẽ, monopolis, aut propolis huiuſmodi, pœnam ſtatuunt 20. aureorum, cum reſtitutione totius damni, quod reſp. ex eo paſſa ſit, l. 2. ff. ad l. Iul. de anno. Atque ad huius criminis accuſationem admittuntur ſinguli, etiam ſi eſſent perſonæ in alio crimine accuſando inhabiles. † Verũ enimuerò, cum nemo de iure cogatur ſuum vẽdere triticum, aut alia victualia (ſicuti l. Inuitum, & per Scribẽ. ibidem. C. de contrahen. empt. & vendit. & l. Nec emere, C. de iure de lib.) ideo in hoc monopolij crimine. ſanè ac cum multo ſale omnia intelligas, oportet. Si enim mercator eſſet, apud quem vnius rei proſtaret copia (alijs nempe mercatoribus omnes eaſdem res diu diuendentibus) hũc iura non cogerent, vt res iſtas ſingulis diuenderet minoris, quam ipſe emerit, aut quam prius alij eaſdem diuendidiſſent, aut quam actu vendãtur, l Imperatores, in exordio, ff. ad l. Iul. de anno. Nam illi ex laboribus lucrandum eſſet, & foro accommodandum, niſi forſan eaingrueret omnium rerum ac annonæ caritas, vt populus per inopiam ſubiaceret periculo vitę Eo enim rerum ſtatu, † Princeps, aut magiſtrat⁹ aut rector patriæ talibus rebus pręcipuè victualibus, ex neceſsitate precia inſtituere poſſet certa & rationi conſona, vt hoc modo reipub ſuæ conſulat, ne aut fame aut rerum penuria aliqui moriantur, l. Annonam, & ibi Bart. ff. de



ff. de extraordin. criminibus & d. l. Imperatores, & l. 1. §. Cura carnis, & ibi Docto. ff. de offic. præfect. vrb.

8 † Victuarij exercituum, qui tempore belli victualia ſua non conferunt, aut conferre differunt, aut certè aliò cõferunt, quàm ad exercitum ſui Principis, vt pluris ea diuendant, aut alibi pluris vendant: illi puniendi ſunt confiſcatione bonorum aut exilio. Si verò ea victualia deferant ſecretò, directè aut indirectè ad hoſtes, vel caſtra aut ciuitates hoſtium: plectendi ſunt capitaliter cum confiſcatione bonorum, veluti proditores & criminis læſæ Maieſtatis Rei. Qui tem-

9 pore † caritatis, ſtudet pecunia aut aliàs callidè, è ciuitatibus ac regionibus efferre clam rem frumentariam aut victualem (non obſtante interdictione) vt eam alibi cariùs vendat: is monopolium committit, & puniendus eſt arbitrariè: potiſsimùm, quum ex earum euectione & monopolio reſpublica magnum detrimen-

10 tum paſſa fuiſſet. Monopolium † etiã committunt opifices, qui inter ſeſe quaſdam leges ſtatuunt, quibus cariùs conciuibus ſuis laborẽt: & pacta inter ſe ineunt, ne quis eorum minoris laboret, & opera perficiat, quàm precio inter ipſos conſtituto, idque precium ſit iniquum, & nimis enorme, nec cum vicinis ciuitati-

bus conſentiens, ſed ſuam Rempub.
11 admodum grauans. †Idem de medicis quoq; & chirurgis cenſendū eſt, qui ſimilibus iniquis cōtractibus inter ſe, & enormibus precijs rempub. grauant, & ad iniuſta precia dependenda hoc modo ſuos ciues compellunt †Monopolium itē committunt
12 laniones, qui cōiunctis burſis omnia circum emunt, apud ſeſe ſeruant, & ad certam tantùm quantitatē ad macellum deferunt, vt omnia cariùs diuendant: deinde qui certas leges inter ſe conſtituunt, vt omnem carnem in flent, vt fruſta grauiora & maiora, ac elegantiora tātum appareant: idq; ea lege, vt omnia cariùs diuendant.
13 Item Monopolium †cōmittunt omnes piſtores, coctores cereuiſiarij, œnopolæ, caupones, & in genere omnes negotiatores, qui clā & intra ſeſe, mutuis collatis ad hoc conſilijs, pro-
15 †curant & ſtatuunt & ordinant quippiam, quod ad proprium commodū ſpectare videretur, & in præiudiciū ſeu perniciem reipub. cēſeretur. Qui
14 omnes & ſinguli †puniēdi ſunt mulctis pro ſuis facultatibus, & iuxta Conſtitutiones ſiue ordinationes ciuitatum, vbi ea monopolia tractantur, aut certè ad diſcretionem & arbitrium Iudicis. Nec hoc loco poſthabenda ſunt, quæ de hac materia tradita ſunt per ſacratiſsimam Cæſareā Maieſtatem Caroli V. in diplomatibus annorū 31. & 40. In quibus prohibentur omnia monopolia & contractus monopoliales, cōſtitutiones, & ordinationes, quas aut mercatores, aut rerum venditores, aut artifices inter ſe comminiſcuntur, & ſtatuunt in præiudicium & graue detrimentum ſuorum conciuium: volens in illis diplomatis idem equiſsimus Imperator, omnes tales conſtitutiones, per ſuum Præſidentem & per generalem Officiariū eſſe reſcindendas, abolendas, & nullas eſſe declarandas, & per ſententiam (quanquā etiam his ſtatutis impetraſſent aliquam confirmationem) definiendas eſſe vanas noxias, & nullo modo vſurpandas, ſed & confirmationes impetratas infringendas, & non ſeruandas. Atque inſuper volens, omnes dictos monopolas puniendos confiſcatione bonorum per monopolium partorum, & deinde alia pœna arbitraria ad diſcretionem Iudicis, vti clariùs patet in ſuis dictorum annorum edictis. Conſiderauit
15 †enim Imperator, imò ipſa iura conſiderabant monopolij in repub. perniciem, quòd tantum diſpendium communi inferret plebeculæ, quódque directè cum fraterna pugnaret charitate, quam Chriſtus, omnibus virtutibus poſthabitis, ſuis inculcat: quod proximæ auaritię tantum ancillaretur, & in tenues ciuium familias ægeſtatē & famem immitteret. Ideo acriter & ſine vlla diſſimulatione, monopolia ilico puniēda eſſe decreuerunt: adeò vt ipſos quoque Iudices, qui cum monopolis ad monopolia punienda diſsimulant, grauiter puniendos eſſe ſtatuerint 40. lib. auri, d. l. vnica, §. Cæterarum, C. de monopolijs.

CAPVT. CXXXIII.

De coadiutoribus criminum.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 133.

1 Peccata

1 *Peccata aliena, iuxta Theologos sunt 9.*

2 *Qui delinquentem iuuat, aut* { *Auxilio, Consilio, Mandato,* } *punitur vt principalis.*

3 7 7 *Cuius* { *Auxilium, Consilium, Mandatū,* } *non dat maleficio causam, punitur mitiùs.*

4 *Auxilium in crimine confertur: aut* { *Ante factum si sciens volensq́, aliqua ad crimen necessaria suppeditauerit. In facto: si quis simul cum delinquente cooperetur. Post factum: si ad fugam vel occultationem malefici iuuet.*

5 *Consilio,* 6 *& Mandato* } *quando aliquis Reus efficitur alterius criminis.*

8 *Nemo coadiutor criminis, nisi priùs de concepto crimine perpetrando fuerit confius.*

HAbent Theologi crimen & delictum, quod alienum vocant, hoc est, quod nemo per se, & ipso facto committit, sed cuius commissi qualicunque occasione, aut causa est, aut causam præbet, dum committentem, aut ante factum, aut in facto, aut post factum, quoquo modo coadiuuat: horum quidem delictorum † nouem 1 ferunt esse species, de quibus omnibus hic singulatim percensere non est consilium, nisi de duobus: nempe de adiutorio criminum, vti in hoc capite: & de criminosorum receptione, scilicet in proximè seq. cap. & de pœnis ipsorum. Quisquis † ergo auxi- 2 lium, solatium, cõsilium, opem, suppetias, aut mandatum vllum contulit ad crimen aliquod peragendum: is puniendus est, vt principalis perpetrator, l. vnica, C. de rap. Virgin. l. Vulgaris, §. pe. ff. de furt. Alexander de Imol. in cõsilio 15. incip. Viso processu, lib. 1. consiliorum. Fallit quantum ad le. Aquil. l. item Mela. §. Sed etsi seruum plures, ff. ad l. Aquiliam: prædictis præterea seruiunt l. Nihil interest, ff. ad le. Cor. de sicar. l. 1. ff. ad le. Pompe. de parricid. l. 1. ff. de Receptatoribus & l. Qui domum, ff. ad le. Iul de adulter. & stup. Hactenus autē habitas authoritates de eo auxilio intelligas oportet, quod mali causam dedit, & ob quod auxilium, crimen commissum consecutum est, & sine quo non fuisset perpetratum. Nam si † tale fuisset cõ- 3 silium, quod vel causam maleficio non dedisset, aut sine quo alioqui malum fuisset per maleficum perpetratum: tum hic auxiliator mitiùs puniendus esset, quàm principalis perpetrator, l. 1. 2. resp. C. de his qui latro. vel alijs criminibus Reos occult. Vbi occultans latronem post delictum commissum, nulla præcedente conuentione, punitur mitiùs, d. l. vnica, ver. pœnas. C. de rap. virgin. l. vnica. C. de Nili agge. non rumpen. Plura de hac materia videbis apud D. Iacobum Boullenc Ebroicensem l. V. prolytam in sua solenni repetitione, §. Famosos, constituti, in le. Capitalium, ff. de pœnis. Auxilium † autem confer- 4

tur in crimine ferè tribus modis: Ante factum: In facto: Et poſt factum, l. Raptores, & ibi Barto. in fine. C.de Epiſco. & cleric. Ante factum quidem, ſi ſciens & volens aliquis alteri ſuppeditet equum, arma, baculos, pecuniam, inſtrumenta, aut alia ad quæuis commoda, ad facinus peragendum idonea, l. Si pignore, §. Cùm furti, ver. Qui ferramenta, ff. de furt. & l. Qui domum, ff. ad le. Iul. de adult. & ſtup. l. 1. ad fin. ff. de extraordin. criminibus. In facto verò confertur auxilium, ſi quis cum principali factore cooperetur, ſimul verberet, ſimul cædat, ſimul pungat, ſimul trahat, aut manibus, aut pedibus, aut inſtrumentis, aut perſuaſionibus, aut acclamationibus, aut verbis dictiſque aliquibus coadiuuet, l. Raptores, in prin. in ver. Pœnas, C. de Epiſco. & cleri. & l. vnica, in ver. Pœnas, C. de rap. virgi. Poſt Factum autem confertur auxilium, quoties poſt commiſſum malum, aliquis cum factore, tanquam auxiliaturus fugit: vel ſi ipſum in fuga iuuet, opem vllam conferat, ipſum occultet, aut hoſpitio excipiat, & ne capiatur, impediat, l. Is cuius ope, ff. ad le. Iul. de adult. l. 1. C. de his qui latro. vel alijs crimi. reos occultant.

5 Porrò † conſilio aliquis fit alterius criminis Reus, quando conſilium fuit iniquum, & fraudulentum, & pernicioſum, & tale, vt perpetrator nunquam tale crimen perpetraſſet,

6 niſi tali cõſilio fretus. Mandato † autem aliquis Reus efficitur alterius delicti, quando tale delictum perpetrandum alteri expreſsè mandauit: ob quod mandatum, crimen committit, alioqui nõ commiſſurus: is enim tam eodẽ crimine deuincitur, quàm ipſe principalis factor. Addidi, niſi

7 tali conſilio fretus, & ob quod † mandatum, crimen committit, &c. Nam ſi maleficus crimen deſtinatũ omnino perfeciſſet, etiamſi cõſulentis conſilio, aut mandato nunquam vſus fuiſſet: tunc conſultor ille nequaquã puniendus eſſet, vti principalis committens: ſed mitiùs cum eo agẽdum eſſet, vti in c. Sicut dignũ, §. Qui verò, ext. de homicid. l. Non ſolum, §. Si mandato, ver. Attilicinus, ff. de iniur. Ita notat. Barto. in l. Sæpe, ff. de verbo. & rerum ſignifi. Bald. in l. Ob hæc, colum. 2. ff. de his qui notant. infa. Idem Bald. in l. Data opera, in 17. colum. C. de his qui accuſa. non poſſunt, & c. Quærelam, in fin.

8 de elect. in antiq. Cæterum hîc † notandum eſt: Si aliquis cum principali factore ſimul in litem & pugnã, contra alium incidat, non ſciens quicquam de ipſorum contentione, & concepto propoſito: is non cenſendus eſt, vt coadiutor, vt eiuſdem criminis Reus, niſi poſtea eundem factorem poſt factum foueat, iuuet, protegat, capturam præpediat, cum ipſo fugiat, ac factum ſibi ſimul aſſcribat, dictis iuribus ſuprà ad tertium membrum allegatis.

CAPVT CXXXIIII.

De receptione delinquentium.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 134.

1 CRimen receptionis in quo conſiſtat.

2 Recipientes maleficos, maleficorum pœna plectendi.

3 Recepta-



3 *Receptatorum pernicies.*

4 *Receptationem excuſat ſanguis & affinitas.*

5 *Qui à Iuſtitia admonitus* { recipit, aut occultat } *maleficum, is punitur* { *Exilio perpetuo, & Confiſcatione.*

ALtera delicti alieni ſpecies, & de † qua nos antè dicturos promiſimus, in delinquẽtis defenſione conſiſtit, & potiſsimum in criminoſorum receptione, qua multi ſeſe eodem alligant crimine. Quiſquis enim crimi- 2 noſum † aliquẽ hoſpitio recipit, is & omnis eiuſdẽ receptoris ſodalitas, de crimine cõſcia, puniẽda eſt propter receptionem, aut propter ſilentium, & permiſsionem, non ſecùs quàm ipſe principalis criminoſus de aliquo crimine diffamatus, & delatus. Peſ- 3 ſimum enim † genus eſt receptatorũ: ſine ipſis enim malefici latêre diu nõ poſſent: quare, quòd diu regnant, multáq; mala diu perpetrant, nec ad iuſtitiã perueniũt, ipſi receptatores in cauſa ſunt, l. 1. ff. de Receptatoribus l. 1. C. de his qui latro. vel alijs criminib. Reos occulta. & l. 3. §. Non tantum, ff. de incend. rui. naufra. Verùm 4 † hęc regula (quoniam æquò ſeuerior

est)in multis fallit. Non enim locum habet in matrimonij, aut cognationis, aut proximæ affinitatis fœdere: veluti fallit de patre, & matre, & liberis, de auis, auijs, & nepotibus: fallit inter fratres & sorores, inter vxorem & maritum, & contrà: & in similibus propinquitatis & affinitatis gradibus. Hi enim (sicuti & in præced. cap. meminimus) non tam atrociter & rigidè(ob receptum amicum)puniuntur, quàm alij quiuis nullo sanguine & affinitate iuncti. In illis naturæ ratio dictat, talem receptionem ob sanguinis coniunctionem esse nonnihil excusandam, & arbitrariè tantum leuiúsque esse puniendam, ad discretionem Iudicis tantum, l. fin. ff. de receptato. nisi certè isti criminosi amici, participes criminis essent. Imò sunt non pauci, qui volunt sanguinis & cognationis copulam, tantum debere in receptione amici valere, vt eos à tali receptione planè excuset, liberet, & expurget: adeò vt hac gratia criminaliter non peccent, nullibique etiam puniendi sint. Aut saltem si vllam pœnam ipsis deberi quidam contendant, eam leuem debere esse contendunt, scilicet breue exilium, vel mulctam pecuniariam, iuxta qualitatem facti, d. l. fin. ff. de recep-
5 tatoribus. Si †quis à Iustitia admonitus, vt criminosum receptum Iustitiæ tradat & sistat, nõ ilico obtemperet, nec receptũ statim tradat, cum requisitus fuerat, & cùm potuit, & pertinaciter eum domi continet: is eandem domum suam cum adiuncta possessione perdet. Ea si sua non fuerit, nec alias possessiones habuerit: tum perpetuo damnandus est exilio, ac bonorum confiscatione, d. l. 1. & l. 2. C. de his qui latro. vel alijs crimi. reos occulta.

CAPVT CXXXV.

De Iniurijs.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 135.

1 *Iniuria committitur* { *Verbis.* / *Re & facto.* / *Scriptis.* / *Gestibus.*

2 *Iniuriato contra iniuriantem agere licet.* 3 *Iniurians quomodo puniendus.*

QVVM antè atque adeò hactenus de varijs iniuriarum criminibus peregimus, & post acturi simus, hic breuiusculo capitulo Iniuriarũ naturam & varietatẽ paucis cognoscas opor-
1 tet. Omnis igitur †iniuria, quadrifariam committitur, verbis, facto seu rescriptis, & gestu, l. 1. §. Iniuriam autem, ff. de iniur. & famos. libel. & §. Iniuria. Instit. de iniur. Quicquid enim fit animo & intentione iniuriandi aliúmque aut commouendi, aut lædendi: siue id fiat ex cõtemptu & fastidio (quod contumeliam vocant) aut animo damnũ aut infamiã inferendi, aut iniusta alicui præstãdi: atque iniuriatus talis huiusmodi rebus commouetur & lacessitur, &
2 irascitur: omne(inquàm)id †tale iniuria dici potest: de qua ipsi iniuriato corã iustitia contra iniuriatorẽ agere permittitur ciuiliter, & certo iuramento ad pœnam seu mulctã poscere. Hoc modo, si iniuriatus iniuriantem in iustitiam prouocet, & iniuriæ restitu-

reſtitutionem ac reparationem poſcat: iurans, ſe pro ducentis coronatis nolle talem iniuriã perpeti, aut ampliùs, aut malle ducentos perdidiſſe coronatos, quàm talem pertuliſſe in-
3 iuriam: poſt tale iuramentum præſtitum, non poterit iniurians minori pœna puniri, quàm pro iuramento iniuriati, idque ſecundum nõnullos: licet in tali æſtimatione plerunq; Iudicis taxatio attendatur, vt Iudex vel tanti Reum condemnet, quanti iniuriam paſſus æſtimauerit: vel minoris, prout ei viſum fuerit, §. Pœna autem, Inſtit. de iniurijs. Iacobus de Bellouiſu in ſua ſolenni practica iudiciaria, in materijs criminalibus: Quis taxabit iniurias &c. & Angel. Aret. in d. §. Pœna autem, Inſtit. de iniur.

CAPVT XXXVI.

De iniurijs verborum.

¶Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 136.

1 *Iniurians verbis, cogitur ad reuocationem & reparationem.*
2 *Iniuriãs ex cauſſa in iudicio, crimine vacat.* 3 *Iniuriã nõ facit, qui iure ſuo vtitur.*

Iniuria verbis committitur
1 *In iudicio.*
2 *Extra iudicium.*
4 *Exprobrando naturæ vitia.*
6 *Obijciendo mendacia, vel dicendo: mentiris.*
13 *Minis: quæ reparationem non expoſcunt.*
19 *Blaſphemia.*

5 *Iniuria non minùs abſenti dicitur, quàm præſenti.*
7 *Iniuria verbalis fit leuior ex alterius prouocatione.*
8 *Iniuria verbalis non committitur, niſi animo iniuriandi cupido.*
9.10.12 *Ioci & leuia ſcommata, nulli iniuriantur.*

11 *Reparatio iniuriarum fit*
Verbis, id eſt, reuocatione.
Peregrinatione.
Honorabili emenda.
Eleemoſynarum largitione.
Feneſtris vitreis.
Impendijs & donarijs Eccleſiaſticis.
Mulctis pecuniarijs.
Compenſatione.

14 *Minæ reparationem non expoſcunt, ſed aſſecuritatem.*
15 *Quæ verba ſint hîc blaſphemiæ.*
16 *De verbis blaſphemis, rara eſt punitio.*
17 *Canones Eccleſiaſtici nullam verbali iniuriæ pœnam ſtatuunt.*
18 *Potior eſt miſericordia, quàm victima.*

Iniuriarum cauſa ceſſat
19 *Iniuriarum remiſſione.*
20 *Iniuriarum diſſimulatione.*
21 *Signis, & indicijs de condonatione.*
23 *Quando iniurians eodem loco & tempore reuocauit.*
24 *Quando iniuriatus ante litis conteſtationem moritur.*

22 Ex cauſſa iniuriam diſſimulans, non perdit iniuriarum actionem.
25 Sortilegi furem commonſtrantes, magis quàm iniuriantur.

INiuria autem verborum ita punitur, vt quiſquis alteri iniuriam
1 verbis infert †extra iudicium vel iuſtitiam (etiam ſi vera diceret, l. vnica, & ibi not. C. de famoſ. libel. & in l. Eum qui, ff. de iniur.) is (inquam) iniuriator puniendus eſt reparatione famæ, & eandem iniuriã reuocare tenetur ad diſcretionem Iudicis: modò iniuriatus obiecta verba iniuriatoria ad animum ſuum reuocet, ægrè ferat, & ob ea ſeſe conturbet, l. 1. §. Iniuriam autem fieri, ff. de iniur. l. Si non es, C. eod. tit. de iniurijs, & §. Iniuria autem committitur, Inſtitut. de iniurijs. Dixi
2 extra iudiciũ vel iuſtitiã: Nã ſi †quis alteri vera inferat in iuſtitia, atq; talia verba dicat, quæ cauſſæ ſuæ proponendæ aut defendendæ ſeruiant: ea quidem obiecta procul ab omni iniuria cenſenda ſunt, potiſsimum ſi expreſsè proteſtetur, ſe ea neutiquã dicere animo iniuriandi, ſed tantùm vt per ea cauſſam ſuam probet, confirmet, & defendat, l. Si quidem, C. de iniur, l. Si quis de libertate, ff. eod. de iniu. & l. Si tibi, C. de libera. cauſ.
3 Nam †nõn videtur iniuriam facere, qui iure ſuo vtitur, & ordinaria actione experitur, l. Factum, §. Non videtur, & l. Nullus, ff. de reg. iur. & c. Cùm Eccleſia. extr. de elect. Iuris enim executio non habet iniuriam, l. Iniuriarum, ff. de iniur. Huius & elegãter & diſtinctè meminit D. Oldradus, omnium ætatis ſuæ iuriſconſultorum primas tenens, in ſuis ceteberrimis conſilijs, conſilio 53. incipiente: Conſueuit dubitari, an dicẽs alicui verbum cõtumelioſum, quod tamen eſt verum, teneatur actione iniuriarum, &c. quod quidem conſilium in materia iniuriarum ſcitu ac notatu dignum eſt, potiſsimùm aduocatis ac cauſidicis omnibus nimium loquacibus, plurima nonnunquam ſcommata atque iniurioſa in ſuis ſcriptis ac dictis effutientibus, ob hanc (vt aiunt) cauſſam, vt ſeſe per talia dicta ab iniurijs excuſent & defendant. Iniuria quoque
4 †verbis committitur, quoties alteri ſua naturæ vitia exprobrantur: veluti ſi quis dicat, vah tu ſpurie, tu nothe, tu gibboſe, tu loripes, tu luſce, tu monocule, tu ſtrabo, tu cæce, & his ſimilia: Bartol. in l. Eum qui nocentem, ff. de iniu. vbi tamen vtitur diſtinctione, de ſpurijs, nothis, & mitratis (quibus vult licere ſua vitia obijci) & de alijs vitioſis, quibus nõ licet citra iniuriam illorum vitia obijcere. Illa enim nouiſſe ad remp. pertinet. hæc verò minimè, vt ibi.
5 In dictis etiam † iniuriandi modis nihil refert, an iniuriatoria verba in præſentia iniuriati protuleris, an in ipſius abſentia, l. Item apud Labeonem, §. Conuicium autem, ff. de iniurijs, & l. Si quidem. C. eod. de iniurijs. Tantum enim peccat, qui abſens rodit & mordet (imò etiam aliquantò nocentiùs) quàm qui præ-
6 ſens lædit. Prætereà † qui alteri impingit mendacia, dicendo, Tu mentiris: is certè iniuriatur, Barto. in d. l. Item apud Labeonem, §. Ait prætor, ff. de iniur. & famoſ. libel. niſi ipſe prior grauiter iniuriatus, acad conuiciorum talionem prior prouocatus fuiſſet: aut talia obiecta fuiſſent, quæ nominis ac famæ ſuæ cauſam grauiter læderent. In hoc e-
7 nim †caſu ferè fit, vt quis ex bile, & commoto animo, alterum audaciter in os

in os mentiri dicat, atque hæc quidem iniuria verbalis si sit reciproca, & qua alter alterum offendit, nequaquam punienda est, modò tolerabiles, & non enormes sint iniuriæ, vt notat Barto. in l. Quæ omnia, ver. Sed & si aduersarius, ff. de procurato. Sed quid si dicat: Tu mentiris saluo honore tuo, salua reuerentia tua: quæritur, an tunc sit iniuria? Barto. in l. Si quis extraneus, in princip. ff. de acquir. hære. sustinet affimatiuam partem: quia verbum iniuriosum præcedens declarat se alterius honori non consulere: ideò duo pugnantia cõiungit, & quod nullam habeat voluntatem ipsius seruandi honorem aut reuerentiam, vt l. Si non conuicij, C. de iniur. Dictum quoque est
8 suprà, †si non animo iniuriandi dixerit: quandoquidem nunquam iniuria verbalis committitur, nisi verba animo ae proposito iniuriandi prolata fuerint, atque talia sint, vt iniuriatus ea iniquè tulerit, adeò vt ex
9 ijs conturbetur. Nam si ioco † ac ridendo tantum prolata fuissent, tum ea verba nullo modo pro iniuria interpretanda essent, l. Illud, §. Sanè, versic, Quare, ff. de iniur. l. Obligationum substantia, §. fin cum ibi not.
10 ff. de actionibus & obligat. voluntate enim & propositis distinguuntur maleficia, l. Quę iniurię, ad exordiũ, ff. de furt, & c. Cũ voluntate, ext. de senten. excommuni. Neque † item scommata, aut leuia festiuaque dicteria sunt propriè iniurię æstimanda, ni
11 si talia sint vt mordeant, lacerent, & is in quem ingeruntur ob ea pudefiat, confundatur, & ipsius nomen, & fama lædatur. Reparatio † autem iniuriarum (qua iniuriantes puniendos esse diximus) fit multifariam, aut verbis aut peregrinatione, aut honorabili emenda, aut eleemosyna-
12 narum elargitione, fenestris vitreis, alijsque impensis ac donarijs Ecclesiasticis, & similibus emendationibus. Item mulctis pecuniarijs, compensatione reali, hoc est, vt qui animum & famam læserit, eandem læsionem pecunia & munere pensęt, atque hęc omnia ad arbitrium & prudentiam Iudicis. Porrò generalia
13 †quædam, veluti non totus religiosus es, præstaret te meliorem esse, is es quem populus te iudicat, tu es qualis es, tu a tuo ingenio non dissides, nec degeneras, & similia sine vlla vitij, ac sceleris expressa nomẽclatura: ea (inquam) dicteria nullam iniuriam pariunt, nec talia sunt, vt eorum gratia quisquam se mouere, aut sibi iniquè adscribere debeat. Verbalis item comminatio † censenda est
14 hic etiam iniuria, maximè cum illa comminatio periculosa sit, & talis, vt non immerito timenda sit comminatio: nempe vel ob horrendas ac graues minas, vel ob qualitatem & maliciam comminantis, vel ob qualitatem & nequitiam suorum vel parentum, vel amicorum, quos ob minas illatas & ob famosam maliciam metuet, ne minas re compleant, & præstent. †Eæ tamen, qualesquales
15 minæ sunt, & qualiscunque comminator fuerit cum suis, non sunt tamẽ tales, vt reparationem exposcant de minarum iniurijs: sed tamen tãtum valent, vt comminatorem cogant ad præstãdam assecurationem et fidem, de non implendis minis. Blasphemia †vero omnis, pro iniuria quoque æstimanda est: Hic autem blasphemiam intelligo, quando alicui mala ac diras imprecamur, veluti, Precor tibi crucem ac furcam: velim te suspensum: videbo te aliquando in rotam
16 abreptum &c. tamen de ijs Iura, nullã aut †rarò punitionem decernunt:

quòd ea nihil aliud ſint quam leuia & futilia verba, quæ non admodum grauiter alterum lædunt. Quocirca etiam ſi is taliter iniuriatus impingeret iniurianti alapam, atque ſimul ex commotione aliud conuicium regereret: is cædens vtcunque excuſandus eſſet, ac certè leuius puniendus.

17 †Canones (quibus etiam ſubſeruiũt confeſſarij) in his nullam punitionẽ ſtatuunt: imò ſuadent & volunt huiuſmodi iniurias ilico ob amorem Chriſti eſſe remittendas, & ad fraternam reconciliationem redeundum, quod hinc multum lucri accedat animis, quódque ſit eleemoſynarum ſpe

18 cies maxima. Deinde †quod Deo gratior, ac potior ſit miſericordia, quam victima: & melior ſpiritualis ſeu cordis, quam corporis ſiue pecuniæ eleemoſyna, c. Et qui, c. Tria, & c. Duæ, 45. diſtinct. Atque hinc Iudices magnam dant operam, vt omnes huiuſmodi iniurias placent, & ſopitas reddant, maximè, quum tantum ſint verbales, potiùs quam vt earum gratia lites ineant, & diſcordijs ſcindantur, atque iſtud verè eſt Chriſtianum Iudicem agere. Cæterum hic notandum eſt, tribus modis ceſſare cauſſam iniuriarum, ex quibus nulli fas eſt alterum coram Iudice iniuriarum illatarum, reum peragere: nempe iniuriarum remiſsione, iniuriarum diſſimulatione, & ſignis & indicijs, iniuriæ remiſſę teſtibus, hoc eſt, familiari conuerſatione. Remiſsione †autem perit iniuriarum actio, quoties ob preces & interceſsiones iniuriantis, iniuriatus iniuriãti cõdonauit ac remiſit, c. Si illic, 23. q. 4. & ibi gloſ. in verb. Recidiuo. Diſsimulatione

20 †vero perit actio, quoties vltra diem & annum differt iniuriãtem corã Iudice accerſere, §. fin. Inſtit. de iniurijs. & ibi gloſ. & ſcrib. Signis & indicijs

21 verò, iniuriarum †actio perit, quãdo iniuriatus iniuriantem comiter & amicè ſalutat, exoſculatur, eo familiariter vtitur, colloquitur, cum eo motu proprio comedit aut potitat ſine proteſtatione, ac omnia amicitiæ & pacis reconciliatæ ſigna declarat, hic modus à Doct. citatur, mihi tamẽ videtur parũ ſapere Chriſtũ, ex cuius iuſſu non ſolum charitatis ſigna, ſed ipſam met charitatem & perpetuã amicitiam debemus proximo. Dixi

22 †motu proprio comederit aut potauerit: quia ſi iniuriatus cum iniuriante vſpiam comederit vbi ſimul ambo inuitati fuerant: tum ob neceſsitatem, & honoris rationem eſſet iniuriato iniuria diſſimulanda, & cum iniuriante ſimul prandendum aut cœnandum eſſet, vel ſaltem prandere aut cœnare poſſet, citra tamen ſuæ iniuriarum cauſæ detrimentum aut perditionem, vt habent Iohan. Fab. & Ange. Areti. in. §. Hæc actio. Inſtit. de iniurijs. Sunt qui di-

23 cunt, tum quoque † iniuriato perire iniuriarum actionem, quando iniurians eodem loco, vbi iniuriatio contigit, dixit ſe iniuriarum pœnitere, adeo vt eodem loco & tempore illatam iniuriam reuocet, & ſe malè

24 dixiſſe proclamet: Actio † quoque iniuriarum perit quoties iniuriatus intermoritur: Nec hæredibus tunc relinquitur de eadem iniuria agendi actio, niſi proceſſus prius per iniuriatum intentatus fuiſſet, & lis conteſtata fuiſſet, leg. Si eum, §. Qui iniuriarum, ff. Si quis cautionibus, & leg. Iniuriarum actio, ff. de iniurijs,

25 & famoſ. libel. † Aſtrologus aut ſortilegus, qui ex arte ſua aut ex dæmonis indicio furem cõmonſtrat: is nullam iniuriam committit (vt multi autumant) ſed multo grauius peccat. Nam ob eam ſuperſtitionem aut

for-

sortilegium, puniendus est corporaliter, l. Item apud Labeonem, §. Si quis Astrologus, ff. de iniur. & l. Nemo, C. de malefi. & mathe.

CAP. CXXXVII.

De iniurijs factorum.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 137

1 Si quis alterius vestes conuellat.
2 Minatorijs gestibus per arma expedita.
3 Iniuria factorum fit, aut
- Iactando.
- Verberando.
- Pungendo.
- Lædendo.

6 Alium in ius sine caussa vocando.
7 Si debitum poscat, quod non debuit.
8 Pecora ex communibus pratis exigendo.
9 Si sordes in alienum fundum mittat.

4 Iniuriarum per facta emendæ, sunt iuxta singularum ciuitatum constituta.

5 Euaginato cultro petens aut
- Ciuem Gandensem,
- aut
- Ciuem Brugensem,

} mulctatur 60. lib. Paris.

10 Actio iniuriarum conceditur &
- Iniuriato.
- &
- Iuiuriati amicis.

11 Tot sunt iniuriæ reparandæ, quot fuere iniuriantes.

12 In iniurijs non obligantur
- Personæ ab iniuriato prouocatæ.
- Impuberes & furiosi.
- Potando admodum ebrij.
- Dormientes.
- Iocantes, & ridentes tantùm.
- Salsè monentes tantùm.
- Cognati, & affines.
- Ignoranter iniuriantes.
- Volenti, & dissimulanti.

13 Iuris executio non habet iniuriam.
14 Non infertur iniuria, nisi animo maligno.
15 Omne malum præsumitur animo malo perpetratum.
16 Mali facti suspicio ex malo animo, fallit in
- Consanguineis.
- Matrimonio.

17 Iniuriarum aliæ
- Enormes, id est, quæ fiunt cum læsione corporali.
- Leues &c.

18 In-

18 { *Iudicem ſuum cædens,* / *Capitaneo grauiter iniurians,* } *puniendus eſt corporaliter.*

19 *Enormitas iniuriæ perpenditur ex qualitate* { *Temporis.* / *Loci.* / *Perſonarum*

1 INiuriam factis † multis modis fieri conſpicimus: nempe quum alter alterius conuellit & trahit pileum, caputium, aut cappam: is enim nō leuiùs offendit & peccat, quàm ſi eundem capite, citra læſionē corriperet, l. 1. & l. Sed eſt, ff. de iniur. §. Iniuria autem, Inſtit. eod. de iniur.

2 Itē iniuriā facit, † qui alteri minatur geſtibus, quaſi lapidem, baculum, cultrum, aut ſimilia arma in eum vibraturus, etiam ſi minas opere non cōpleuerit: ideóque de talibus minarum terroribus puniendus, l. Item apud Labeonē, §. Si quis pulſatus, ff. de iniurijs: ſi vero cæciderit, † iactaue

3 rit, & læſerit, de verbere illo & contactu ſuppliciū fecerat oportet, l. 1. §. Iniuriam aūt, ff. de iniur. & §. Iniuria autem cōmittitur, Inſtit. eod. tit. de iniurijs. Qualia autem ſint iniuriarum † per facta, ſupplicia & emēdæ, ea pe-

4 tenda ſunt è ſingularum ciuitatū cōſtitutionibus. Nā ſingulis penè locis, de his iniurijs puniendis, ſuæ conſtitutæ ſunt ordinationes. Iuxta priui-

5 legia autē † Comitum Philippi Elzatij, & Guidonis, quiſquis cultrum euaginat animo furioſo in ciuem Gandenſem aut Brugenſem, ismulctādus eſt 60. lib. Pariſ. etiamſi manum temperans ipſum nō cæciderit. Quiſquis

6 item † alterum in ius, vel ad tribunal vocauerit ſine iuſta ac rationabili, ſed vexandi cauſſa: is iniuriam cōmittit, d. l. 1. & l. Iniuriarum actio, §. Si quis per iniuriam, ff. de iniur. Item

7 qui † debitū ab altero repoſcit, quod

8 non debuit. Item † qui prohibet mea pecora depaſcere in communi prato.

9 Præterea qui in vicini aut † alterius domū aut fundum ſtercora mittit, ſi mum, aut alios pædores & ſordes, l. Si inferiorum, ff. de iniurijs. Porrò actio † iniuriarum conceditur, nō

10 tantum ipſi iniuriato, ſed etiam iniuriati amicis, parentibus, heris, præceptoribus, & dominis, et marito de iniuria vxoris: Spōſo pro ſpōſa: Abbati pro monacho: & his ſimilibus, l. 1. in fin. cū ſeq. & l. Itē apud Labeonē, §. Spōſum quoq;, ff. de iniur. l. 2. C. eo. tit. & §. Patitur, cum ſeq Inſtit. de iniur. & ibi Ang. Aret. In quibus, (altero) ſcilicet inferiori) iniuriam remittente remanet tamen alteri (ſcilicet ſuperiori) eiuſdem iniuriæ actio. Et ſi

11 † plures fuerint iniuriātes, ſinguli ad iniuriarum reparationem obligātur. Tot enim ſunt iniuriæ, quot ſunt perſonę iniuriantes. Et ſi vnus omnium pro ſe illatam iniuriam penderet, non eſt quod cæteri ſe abſolutos ab eadem iniuria putent: quum omnes ex equo ad iniuriam eandem reſarciendam obligati ſint, l. Si plures, ad

12 fi. ff. de iniur. In iniurijs † non obligantur perſonæ iniuriantes, quando ipſi iniuriati eundem iniuriantem ad iniurias proferendas prouocarunt, & commouerunt. Ab iniurijs quoqueliberæ ſunt variæ perſonæ, (nempe, impuberes & furioſi, qui nulli iniuriari valent, l. Illud, §. Sanè, ff. de iniur. quia doli mali capaces non ſunt Namque hi pati iniuriam ſolent, nō facere: cum iniuria ex affectu facientis conſiſtat, Potatores quoque egregiè poti, ab iniurijs (potiſsimum verbalibus) excuſandi ſunt: quum quid

quid effutiant, nesciant, vt testatur hisce in partibus ipsa (proh dolor) quotidiana experientia: quia tales nō sunt domini sui, sicut nec furiosi, quibus equiparātur, vt not. in Auth. quibus modis natur. effic. legi. §. Illud quoque colla. 6. super verb. vehementiùs, l. Omne delictum, §. Per vinum. ff. de re milita. l. Respiciendum. §. Delinquunt, ff. de pœn. Idem censendum de dormientibus, qui cum non habeant animum, non possunt facere iniuriam, l. Illud, ff. de iniur. Item omnes qui iniuriam ioco, & ridendo proferunt, d. l. Illud. §. Sanè, ad fin. ff. de iniur, vel eo animo, vt doceant, moneant, & alterius vitia corrigant: nisi hic iocus æquo frequentior contingeret, & admonitio æquo esset seueriot. Item excusantur ab iniuriæ illatione cognati omnes, propinqui, et proximè affines, qui liberiùs aliquantò in inuicem dictitant. Item qui iniuriam faciunt ex mandato Iudicis, strictim & fortiter ius secundum ius exequendo, excusantur ratione officij, vt si quis in magistratu constitutus quid exequitur, vel paulò durius quem alloquitur, siue iubet incarcerari, non videtur hoc facere causa iniuriæ. Iuris †enim executio non habet iniuriam, l. Iniuriarum actio, ff. de. iniu. Ab iniuria similiter excusantur, qui alteri iniuriam inferunt ob gratiam sui Principis (tametsi hoc parum Christianum redoleat) aut certè suæ venerandæ reipub. gratia. Excusantur item qui ignoranter iniuriam faciunt: veluti quum iuuenis quispiam iuuenculam odoritur, dissolutis amictam vestibus (alioqui tamen honestam) & eam comprimit, putans eam ob vestium leuitatem & loci suspicionem esse meretriculā, l. Item apud Labeonem, §. Si quis vir

gines, ff. de iniu. Nulli infertur † facto iniuria, qui eam sibi nec asscribit, nec eam reparari cupit. Volenti enim non fit iniuria, d. l. 1. §. Vsque adeò, ff. de iniu. c. Scienti, de reg. Iur. lib. 6. & l. Nemo fraudare, ff. de reg. Iul. & ibi Philip. Decius. Attamen si ea iniuria propalam facta esset etiam remittenti, aut per iusticiam persequi nolenti: fiscus nihil remittet, sed ex officio procedet pro iure suo, & pro interesse publico seu iusticiæ, vt no. Bar. in d. l. 1. §. Vsq; adeò, per l. Qui cœtu, §. Qui vocantem, ff. de vi pub. Hic enim sciendum est: In quocunque iniuriarū genere facta est iniuria, ius perpetuò præsumit eam iniuriam malo animo factam esse, studio & voluntate maligna: quod omnis iniuria per se mala sit & detestabilis. Sicut † omne malū præsumitur ex malo animo potiùs commissum, quam aut ex ignorantia, aut studio bono. Fallit † hoc tamen in personis sanguinis propagine coniunctis, inter quas nulla habenda est iniuriarum suspicio. Fallit quoque inter maritum & vxorem, inter quos quoque (quod duo sint in carne vna, Genesis 2. ca.) nulla iniuriarum cadit suspicio. Iniuriarum † autem quæ facto peraguntur, aliæ enormes sunt, aliæ leuiores. Enormes seu atroces sunt, quæ fiunt simul cum effusione sanguinis abundanti, ita vt offensus magnopere egeat curatione læsionis, per emplastra & inunctiones, atq; alia chirurgorum ac medicorum officia: aut si inhumaniter contusus ac cæsus sit fustibus, §. Atrox, Instit. de iniu. Aut si iniuria illata sit personis iudiciarijs, ac pub. officiarijs, aut aliquibus è Senatu vel Concilio, aut Episcopis aut Sacerdotibus ad sacrificia facienda vestitis, d. §. Atrox: si quispiam suo Iudici † impingeret alapā animo maligno,

ligno, is puniendus esset capitaliter: sicut & eques, qui suo capitaneo irreuerenter iniuriatur. Enormitas siue atrocitas iniuriæ quoque attenditur ex temporis vel loci qualitate: nempe si facta esset die Paschæ, diebus Dominicis aut festis solennibus, tempore summi sacri, aut tempore consecrationis in missa, aut in templo, in cœmeterio, theatro, vel in foro, aut in plateis publicis, in domo senatoria, in curia Principis, in consistorio, aut in præsentia Iudicis, Prætoris, Magistratus, aut alio simili tẽpore & loco vetitis, l. Prætor, §. Atrocẽ, l. Vulneris, & l. Sed est, ff. de iniu. & §. Atrox, Instit. eo, ti. de iniu. Atrocẽ† aũt iniuriam aut pro personę, 19 aut tẽporis vel loci qualitate, aut reipsa fieri iã perspicuũ est, hoc est, vel ex facto, vel ex loco, vel ex tempore, vel ex persona, adeò vt ex his facilè colligi & intelligi posset, quæ dicantur leues iniuriæ, & quæ atroces.



CAP. CXXXVIII.

De iniurijs per scripta.

¶ Summę rerum tractatarum in Commenta. CAP. 138

† Scri-

1 *Scriptorum iniuria fit* { *Malicioſa compoſitione.* / *Cantilenis* / *Libellis* / *Rhythmis* / *Actionibus* } *famoſis.* / *Inuectionibus publicis.*

2 *Maledica lingua ferro nocentior.*

3 *Scripto non minus iniuriam facit permiſſor, quam ſcriptor.*

4 *Scriptorum iniuria per quoſuis accuſanda.*

SCriptis verò nõ raro fit alteri in 1 iuria: quoties ſcilicet doloſè ac malicioſè componũtur, †ac ſcribũtur eãtilenę, rhythmi, libelli, comœdiolæ, aut actiunculæ publicæ: quibus alterius laceratur nomen & fama: idqúe totum præter ęquum & verum: de quo crimine ſuprà quoq; dictum eſt, in ca. 125. De diffamatione per libellos. Vah quanta hic impunita ſcribendi ac inuehendi libertas? Vtinam ab hinc multis annis ea per Principes fuiſſet coërcita, melius credo ſucceſsiſſent res humanæ: vti quoque nõ minùs veraciter, quam prolixè nobis commonſtrat D. Eraſ. in verè aureo ſuo libello, cui ti. præſcripſit, Lingua: in quo acerrimè in laxas eáſque perniciosas linguæ habenas inuehitur, & damnat. Quod idem quoq; fecit in ſymbolo ſuo, famoſos quoſque libellos damnans, execrans: vt qui non minùs innocentes ſæpe lędant, lapidẽt, & ſtricto calamo perimant, † imò aliquando crudeliùs & nocentiùs, quàm ſi gladio confic rent: eſt enim maledica lingua, & famoſus libellus, †quouis ferro nocen tior, & aſpide quauis formidoloſior. In hac quoque ſcriptorum iniuria, nil refert, an quis ipſemet tale carmẽ, hiſtoriam, aut librum ad alterius infamiam ſcripſerit, ediderit: an per alios ſcribi, edi, aut publicè diuendi curauerit, aut ipſe vendiderit. Neque refert an ſuo præſcripto nomine ediderit, an alieno. Imò nil refert, an nomen ipſius expreſſerit in quem inuehitur & ſcribit: an illud ſuppreſſerit: modò talis ſit ſcriptura, ex qua alterius infamia per ſe naſcatur, et ad alterius notitiã peruenire poſſet. Hæc autem ſcriptorum † & famoſorum libellorum iniuria, per quoſlibet accuſari, & ad Iudicem traduci poteſt. Nam ob eam de Iure imponenda eſſet pœna capitalis, le. vnica, C. de famoſ. lib

2 3 4

CAP. CXXXIX.

De iniurijs per geſtus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 139

1 *Iniuria geſtuum fit* { *Nutibus.* / *Signis.* / *Iudicijs.* / *Commonſtrationibus.* / *Imprecatorijs ſignis.* / *Diſtortionibus.* / *Inueſtitionibus.* / *Abuſibus.* }

Geſtu



1 GEſtu item aliquando †fit iniuria, veluti ſit quis vtatur veſte lugubri, vel ſqualida ad iniuriam alicuius: vel barbam, capillóſque demittat vel alioqui faciem quis mutet, ſiue linguam in contumeliam alicuius exerat, aut oculos diſtorqueat, infortunia indicijs exprobret, malam crucem nutu aliquo et indicio vēturam, aut dignā commonſtret: aut religioſorum veſtibus, in ordinum infamiā abutatur: aut ſimilia quædam contumelioſis ſignis obijciat & exprobret, quæ quidem punienda venit diſcretione Iudicis. Et in hac quoque requiritur, quod actor probet reum animo iniuriandi feciſſe: in alijs enim ſpeciebus iniuriarum regulariter probatio imponitur reo, ſed negatiuè, videlicet vt probet ſe non animo iniurandi feciſſe.

CAP. CXL.

De læſione & mutilatione.

¶Summę rerum tractatarum in Commenta. CAP. 140

1 *Læſio fit* { *Verbis.* / *Verberibus,* } { *Cum* / *Sine* } *mutilatione.*

2 *Læſio*



2 *Læsio faciei grauior est, quam in alia corporis parte.*

3 *Læsio cum* { *Mutilatione, Dislocatione, Diffiguratione,* } *puniēda est arbitrariè ad iuramentū* { *Medicorum, aut Chirurgorū.*

4 *Contusio non est vulneratio, nisi post apertionem.*

1 LÆSIO bifariam discriminatur, †nēpe verbis: & sine verbis: sed facto, verberibus, atque simili alia corporali læsione, quam rursus bifariam scindimus: est enim talis læsio corporalis, aut coniuncta cum mutilatione, aut sine omni mutilatione facta. Atque de singulis his læsionibus variæ sunt vbique constitutæ leges, & impositæ
2 pœnæ. Læsio in facie grauior † est & enormior, quàm in alia quauis corporis parte: eóque dupla mulcta etiā condemnari solet, l. Prætor, ad fin. l. Vulneris, ff. de iniur. & §. Atrox, versi. nonnunquam, Institu. eo. tit. de
3 iniur. Si verò tam fuerit †enormis ac atrox læsio, vt aut mutilationem aut dislocationem, aut diffigurationem pariat: multò grauiùs tum punienda erit ad discretionem ac arbitrium Iudicis: qui hac in re vtetur medicorū ac chirurgorum consilio: quibus iurantibus in arte credendum ac stan-

dum proculdubio eſt, c. Significaſti, §.1.& 2.ext. de homicid. vbi Panor. Ioan.Andr. & Felin.l. Semel, C. de re milit.lib. 12. Porrò omnis contu-
4 ſio, †quę in tumorem erumpit,non eſt, vt vulneratio, punienda : niſi talis ſic ac tam enormis, vt tumor ille in vulnus per apertionem et ſciſſuram chirurgi neceſſariò ducendus ſit : atque eo caſu contuſio talis pro vulneratione damnanda erit,l. Prætor,ad fin.& ibi Bart. & ſequaces,ff. de iniu.Eleganter D.Nic. Boë.in ſuis deciſ.aureis,q.323.

CAPVT CXLI.

De correctione.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 141.

Filium,

1 *Castigans* { *Filium, Pupillum, Vxorem, Consanguineum, Nepotem, Famulum, Ancillam, Discipulum, Suum subditum,* } *Non peccat, si castigandi limitem non transiliat.*

2 *Nimis inhumaniter corrigens, puniendus est arbitrio Iudicis.*
3 *Inferiori non conceditur ius castigandi superiores.*
4 *Iniuriam filiorum in parentes, magistratus ipse subinde corrigit.*
5 *Iura, marito humanam tantùm castigationem vxoris permittunt.*
6 *Vxorem enormiter castigans à magistratu puniendus.*

COntingit sępenumero lęsionẽ fieri corporalem in castigandis suis subditis: quã tamen non dicimus perpetuò coniunctã esse cum iniuria: imò hanc rarò iniuriã vocamus, sed potiùs virtutẽ ac salutarẽ (licet acrẽ) ad bonos mores, & ad honestam disciplinam,
1 correptionem. In hac igitur † castigatione hoc notandum est, Si pater filium verbis, ac verberibus acriter corripiat, & cædat, etiam ad sanguinis profluxionem: aut tutor, pupillum: aut maritus, vxorem: consanguineus, consanguineum: aut auus, nepotem: aut herus ac dominus, famulum siue seruum: aut matrona, ancillam: aut ludimagister, discipulum: aut quiuis superior, suum subditum, eo animo tantùm, vt de admissis suppliciũ sumat, vt ipsum corrigat & emendet, vt ipsum deniq; ab omni scelere, & peccandi effrenata libidine coërceat: & hoc modo ad virtutis viam, & ad obedientiam asperis stimulis instiget: is certè corrector talis, nullam correcto iniuriam facit, sed virtutis materiam suppeditat, & animi vitijs salubriter medetur, l. 3. & ibi Bald. C. de patria potesta. c. Sicut alterius, 7. q. 1. iuncta glos. in verb. Iudicari, l. Congruit, §. Furiosi, & ibi Bald. ff. de offic. præsid. l. Serui & filij, ff. de furt. l. Respiciendum, §. Furta domestica, ff. de pœnis, l. Prætor, §. Prætereà, ff. de iniur. & §. fin. Institu. de his qui sunt sui vel alieni iur. & l. 2. §. fin. ff. eod. titu. de his qui sunt sui vel alieni iuris, c. Duo ista nomina, 23. q. 4. Nisi certè sub castigationis titulo, modum & castigandi licitos limites enormiter excederet, atque furore percitus, suum subditum perderet potiùs, quàm corrigeret. In quo casu,
2 Iudici † diligenter exanimanda esset ea correctionis ratio, modus, & enormitas, vt hinc iustam de illata iniuria censuram ferret. Et quanuis
3 correctionis † ius diximus esse superiori in inferiorem, natura tamen secùs fieri denegat: non enim æquum est, vt filio ius competat castigandi patrem, aut nepoti ius concedatur castigandi auum suum. Quod tamen si aliquando scelerate facere præsumerent, tum licet patribus, ac auis suos subditos filios, & nepotes grauiter cædere, & ob sceleratam malitiam grauiter in eos paternali iure animaduertere; aut si ipsi ad hæc dissimularent,

4 tum ipſe Magiſtratus † (ne tantum malum relinqueretur impunitum) de filiorum talium, ac nepotum iniuria acre ſupplicium ſumeret. Sic
5 †marito quoq; Iura permittunt caſtigationem & correctionem & punitionem vxoris, citra vllam mulctam, aut pœnam iudiciariam: modò ea correctio humana ſit, & debitum modum non excedens: vxor enim de familia mariti eſt, c. Hæc imago, 33.q.5. & gloſ. in verb. Iudicari, in c. Sicut alterius, 7. q. 1. Si enim enor-
6 mem † cum punitione commiteret exceſſum, caſtigandus ac puniendus eſſet ipſe maritus à magiſtratu, propter enormitatem caſtigationis vxoriæ.

CAPVT CXLII.

De damno pecuario.

¶Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 142.

1 *Ex interna malitia, ipſa punienda eſt, non dominus, non famulus, niſi eam ſeruare ſibi velint.*

2.4.6 *Inſtigata per aliquem: tum ſolus inſtigator puniendus eſt reſtitutione omnium damnorum.*

3.5 *Beſtia lædens* — *Ex incuria, aut malitia cuſtodientis vel ſeruantis: tum ipſe cuſtodiens puniendus eſt, non dominus.*

Aliam beſtiam

7 *Sed prior ab ipſa commota: ſic ea beſtia non eſt punienda, nec dominus.*

8 *Ex propria malitia: ſic beſtia damnanda, aut poſſeſſor eam ſeruans.*

Ex alterius inſtigatione: ſic puniendus eſt tantùm inſtigator.

Sine notitia, vtra prior læſerit vel commouerit alteram: ſic ſingulis ſua ferenda incommoda.

9 *Alēs domi* — *Canem, Verrem, Aprum, Vulpem, Vrſum, Leonem, Lupum, Aut ſimilem ferā* — *lædentem alium, is dominus tenetur ad reſtitutionem damni.*

10 *Nulli licet alere beſtias cum alterius detrimento.*

11 *Beſtia poſt fugam à domino lædens, dominum à culpa liberat.*

FIT vt non ſemper homo lædatur actualiter ab altero homine, ſed potiùs per ipſius negligentiam, & incuriam, veluti ſi ipſius beſtiæ alteri detrimentum vl-
1 lum inferant. † In quo notādum eſt, ſi cuiuſpiam equus, aſinus, porcus, vacca, bos, canis, aut ſimile domeſticum animal, alteri ex propria naturali malitia, & non ex alicuius inſtigatione damnum inferret, læderet, aut enim occiderit: is amantis lædentis poſſeſſor nullo modo in culpam caderet, nec puniendus eſſet, niſi ipſemet vellet. Nam eo caſu deberet beſtiam ſuam renunciare, & reijcere, daréque id quod nocuit, id eſt, id animal, quod noxiam commiſit, aut certè mulctā læſionis ferre, & damnum illatum reſarcire, aut æſtima-



æſtimationem noxiæ offerre, l. 1. in princ. ff. ſi quadrupes paup. feciſſe dicatur, & ſ 1. Inſtit. eod. tit. Dixi citra
2 alterius † inſtigationē, & ex propria, & vltronea malitia. Nam ſi animalia & beſtiæ alteri vim, aut damnū, aut læſionem, aut mortem inferrent, ex alicuius inſtigatione: is inſtigator Reus eſſet omnium damnorum, læſionis, & totius criminis, nec abſolueretur ſola nudáque animalis & beſtiæ renunciatione. Sicuti dicendum
3 eſt, ſi canis, † aut ſimilis alia quæuis beſtia concredita fuiſſet, & ad ſeruandum & cuſtodiendum ſeruo tradita: iſque ſeruus eundem canem aut vltro ſolueret, & ex malitia effugere ſineret: aut certè ob famuli craſſam incuriam effugeret, túmque aliū læderet: is ſeruus tunc aut ſua malitia, aut incuria in culpa eſſet, & nullo modo dominus, aut poſſeſſor, d. l. 1. ſ. Ait Prætor, & ſ. Sed & ſi canis. Si
4 verò † is canis per alterum commotus, & inſtigatus fuiſſet, adeóq; tum fureret, vt à ſeruo contineri non poſſet: tùm & dominus & ſeruus extra omnem culpam eſſent, & damnandus ipſe inſtigator, d. l. 1. ſ. Sed & ſi canis, verſic. Sed & ſi inſtigatu. Simi-
5 liter cenſendum † eſt de hippocomis & equorum inſtitutoribus, & ijs ſeruis, qui dominorum ſuorum equos in ſtadijs ad curſuram arte edocent, aut ad aquandos ducunt: hic enim ſi quid incommodi ab equis

naſcatur per incuriam ſeruorum, aut ipſorum malitiam, damnandi ſunt ipſi famuli, & non domini, l. fin. ff. ad
6 le. Aquil. Si verò †incommodum cõtingat ex alterius inſtigatione, tum inſtigator ipſe condemnandus fuerit (vti prædictum eſt.) Ad hunc modum †ſi equus tuus equum meum,
7 aut aliam beſtiam meam irritauerit, commouerit, adeò vt ex hac commotione equus meus tuum læderet, aut occideret, aut etiam aliorum beſtias ob hoc læderet, aut occideret: In hoc caſu, omne damnum tibi ferendum eſſet, & reſarciendum etiam damnum alterius, & non mihi, niſi certè damnum eſſet tantùm, vt equum tuum reijcere malis, & renunciare: quia renunciatione tũ abſolui, & expurgari poſſes. Quod autẽ ego non eſſem in culpa, cauſſa eſt, quòd primum malum atque ratio læſionis & damni primaria, profecta ſit ab equo tuo, & non à meo. Si autẽ †ignoretur, vtrius beſtia alteram prior inuaſerit, altera tamen ab altera conſpicitur læſa: tũ neuter dominorum in alterius culpam cadit: ſed vtriq; ſua
9 ſunt ferenda incommoda. Porrò †ſi quis domi ſuę aleret canem, verrem, aprum, vulpem, vrſum, leonem, lupum, aut ſimilem ferã beſtiam, quæ alteri eſſet incõmodo, aut certè morderet, aut læderet: tum is poſſeſſor damnãdus eſſet ad reparationẽ damnorum ad diſcretionẽ Iudicis: nulli
10 enim fas eſt huiuſmodi † beſtias in detrimentum alterius, aut alere, aut conſeruare, §. Cæterùm, Inſtitu. eo. Si quadrup. paupe. feciſ. dicatur. Si
11 tamen †talis fera beſtia à me, aut tam procul, è ſeptis meis effugiſſet, vt nec inſequi poſſem, nec ſcirem, quo tandem fugiſſet: atq; interim tamen ita elapſa alicui damnum inferret, & læderet: in eo caſu nullum mihi damnum reparandum eſſet, vt qui omni culpa vacarem. Cum enim à me procul fugerat, tum mea eſſe deſierat, & facta eſt illius, qui eam aut capere, aut occidere poterit, d. l. 1. §. In beſtijs, & § Cæterùm, verſic. Denique ſi vrſus, Inſtit. Si quadrup. paup. feciſſe dicatur.

CAPVT CXLIII.

De damno per eiecta.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 143.

1 *Sordes ejiciens* { *In viam publicam, quibus tranſeuntem offendit, punitur duplo.* / *In viam priuatam, non eſt puniendus.*

2 *Inconſiderato eiectu aut* { *Lædens, & occidens* / *Lædens, & non occidens* } *punitur* { *Hic 50. aureis.* / *Hic compenſatione damnorum dupla.*

3 *Eiectore non comperto, dãnantur omnes in cubiculo præſentes.*

4 *Eiecta è cauponis, damno primò ſunt cauponi.*

5 *Eiectio noxia ſemper imputanda illi, è cuius feneſtris contigit.*

6 *Eiectorum damna ſemper imputanda ſunt, aut* { *Domino,* / *Heris,* / *Præceptoribus,* / *Conuiuatoribus,* } *non* { *Seruis.* / *Domeſticis.* / *Diſcipulis.* / *Conuiuis.*

Si



SI quis è feneſtris ſuis, aut ex oſtijs ſuis aut alterius, ſordes, lotium, ſtercora, aut alia quæuis eijceret, aut immunda, aut noxia, in plateam aut viam publicam, † quibus pileum tranſeuntis, aut togam, aliámve veſtem laceret, cõtaminet, aut corrũpat: is tranſiens ita læſus, bono Iure damni ſui reparationem duplam repoſcere poteſt. Sed hæc dupla compenſatio non adiceretur, ſi via non fuiſſet publica, aut ſi priùs ſeriò, & ſine fraude proclamaſſet aquam eijciendam, fugito, (vulgò) *Garde l'eaue*, l. 1. ad exordium, ff. de his qui deiecerunt, vel effuderunt. Si quiſpiam † domo eijceret os, aut lignum, aut ſimile quippiam non ex malitia, ſed ex inaduertentia, in viam aut in plateam publicam: ex qua eiectione quiſpiam læderetur & moreretur: tum is eiector condemnandus eſſet ciuiliter mulcta quinquaginta aureorum. Si verò tantum læſio citra mortem ſecuta fuiſſet: tum eam læſionẽ duplo impẽdio omnium detrimentorum reſarciat, oportet, d. l. 1. in

3 princ. Si autem in eadē domo † multi essent, nec sciretur, quis eijcisset: tum omnes in domo præsentes in eandē mulctam & reparationem incidunt. Si tamen vnus omnium plenè & in solidū soluisset, reliqui liberi essent, & immunes à mulcta, l. 1. §. fi. ad fin. cum duabus ll. seq. ff. de his qui deie-
4 cer. vel effuder. Cęterùm si talis † eiectio contigisset in publicis cauponis, ac cœnopolijs: tū solus caupo ac hospes in culpa esset, & ad reparationē damnandus: interim tamē actionem haberet idem damnum repetendi, & resarciendi à suis potoribus, & hospitibus, d. l. 1. §. fi. versic. Sed is: † Si prę-
5 terea in eadem domo duæ essent diuersæ familiæ, atque ea domus distincta esset in duas partes inhabitantium: tum ob eiectionem lædentem ea pars & familia damnanda esset ad damni reparationem, vnde constaret eiectionem esse factam, l. Si verò, ff. de his qui deiece. vel effuder. Sic † ad
6 superiorem modum, si aut conuictor, aut discipulus, aut operarius quippiam eijceret, vnde aliquis damnum consequeretur: tum puniendus esset ad resarciendum damnum præceptor, herus, & dominus operarij operam conducens: sed ipsi ius interim seruatur resarciendi idem damnum à suo conuictore, discipulo, aut operario.

CAPVT CXLIIII.

De damno generaliter.

¶Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 144.

1 *Malicioſè alteri damnum inferens, tenetur ad reſtitutionem omnium detrimentorum.*

2 *Ad damna vel* { *Conſilium* / *vel* / *Auxilium* } *conferens, punitur vt principalis.*

1 IN genere, † quisquis alteri vllum infert detrimentum, aut damnū, in corpore, aut in rebus ac fructibus idq; malicioſè, ex fraude, negligētia, siue directè, siue indirectè, quocunque modo id faciat: is tenetur ad restitutionem siue restaurationē omnium damnorum & detrimentorū.
2 Atque adeò † etiam omnes, qui ad hoc damnum vllū contulerunt subsidium, consilium, & opem: aut qui hoc ipsum facere mandauerunt, c. In nostra, & c. Si culpa tua, cum gloss. ibidem, ext. de iniur. & damno dato. Atque in hoc crimine sunt qui statuant, vt confitentes in simplum, inficiantes verò puniantur in duplum.

CAPVT CXLV.

De pace componenda.

¶Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 145.

1 *CVIuis cum parte læſa, permiſſa eſt pacis compoſitio.*
2 *Vnicuique licet redimere ſanguinem ſuum.*
3 *Iudicum eſt, ſuos ad reconciliationem mutuam compellere.*
4 *Iudex partes procaces ad Giſilationem conſtringit.*

5 Pace

5 *Pace inter partes compoſita, Iudici ſuum ſeruatur integrum.*
6 *Prætor Gandenſis non agit in reum, niſi conquerente parte.*
7 *Poſt compoſitam inter partes pacem, partium poſteris ademptum eſt ius querelæ.*
8 *Iudex ex audita partium pace compoſita, criminis confeſſionem arguit: ex qua ad punitionem procedit.*
9 *Cauti mutuam pacis concordiam Iudicem celant.*
10 *Pupillus paſciſcitur de morte patris per cenſenſum tutorum &c.*
11 *Fœminis pacis reconciliandæ fœdus adimitur.* { *Omnibus hæredibus.*
12 *Reconciliatio homicidij fieri debet cum.* { *Maximo numero ſtante pro omnib.*



HActenus pie lector, de varijs criminibus (quę ad communem reipub. vtilitatem ſpectare videbantur) quam potuimus diligentiſsimè tibi tradidimus: ſupereſt vt pauca de ijs agamus, quæ nihil cum crimine commune habēt, ſed tantum aut poſt crimina cōmiſſa ſequi ſolent, aut indè manare, ac poſtremò omnium, de variorum criminum executione. Ac primò ſeſe offert tranſactio, hoc eſt, cum parte læſa, vel aduerſa pacis compoſitio. 1 In omni † igitur crimine publico, cuius gratia inferenda eſſēt pœna ſanguinis lædentibus & delinquentibus, iura permittunt, vt cum ſuo aduerſario læſo, pacis fœdera ineant, abſq; vllo damno & mulcta, l. Tranſigere, C. de trāſact. Cuius rationem 2 hanc cēſeo, †quod licitum ſit imò natura hoc ſuadeat, & eo quemlibet impellat, vt ſanguinem ſuum, quam poteſt, tutiſsimè redimat, & caput ſuum ab omni periculo coërceat, l. 1. ff. de bo. eo. qui ante ſenten. ſibi mor. conſci. Quin ipſe Iudex aliquando ex officio compellere poteſt alteram partium, nempe læſam, vt cū lædente in gratiam redeat, & cum ipſo pacem componat, ipſumque ſibi reconciliari ſinat, l. Congruit, ff. de offic: præſi.

3 præſi. Sūntque hæc † Iudicum munia multò præſtantiſsima, nec minus chriſtiano Iudice digna & ſalutaria, quam ipſi decora & magnifica: vt cuius maximè, refert, ſe & commiſſum ſibi populum in pacis cōcordia viuere, & vt hoc maximè curet & ſtudeat, ſatis ſuum admonet officiū. Porrò ſi aliquando ei res eſſet cū duabus perſonis contentioſis ac procacibus, quæ haud facilè ad pacis beneficia auſcultarent: tum Iudex † vtram-
4 que perſonam conſtringere poteſt & damnare (barbari Giſilare dicerent) in certum locum, vt indè neutra ſe recipiat, niſi pace ſimul cōpoſita concordes fuerint, & ex hoc fideiuſsio ſiue cautio confecta ſit, quòd neutra alteram ſit læſura, ſed vtrobique omnis via facti ſit apertè prohibita. Hic
5 tamen pie lector † non eſt quod putes, poſt hanc reconciliationem, crimen plenè abſolutum eſſe, aut pœna caſſum: nam vtvt pax inter partes eſt cōpoſita, Iudex tamē ſemper ex officio ad criminis punitionem procedit: etiam ſi nullam habeat partem aduerſam, coram ſe conquerentem, l. Iuriſgentium, §. Si paciſcar, ff. de pact. Niſi certè publicis ſtatutis ſecus ordinatum eſſet, l. Conſtitutionibus, ff. ad municip. hoc modo: Quiſquis pacem habet cum ſuo aduerſario, is quoque pacem habeat cū officiario & iuſtitia: Si enim tale fuiſſet promulgatum ſtatutum, Iudex ſuperſederet, ab vlterius ex officio
6 procedendo: ſicuti † Ganden. Prætorem ex inolita conſuetudine, & ex ſtatuto lato facere conſpicimus, cui tali ſtatuto vetitum eſt, vt nunquam reum aliquē arceſſere poſsit, niſi conquerente parte aduerſa. Fit, vt ſubinde pacem & concordiam confirmari cernamus per ipſos procuratores: veruntamen omnino neceſſum eſt, vt ij procuratores ſpeciale ad hoc procuratorium habeant, l. Mandato, ff.
7 de procuratorib. Porrò, † quoties pax compoſita eſt inter duos aduerſarios, quorum alter alterum læſerit, atque læſus lædenti noxam planè remiſerit: tum poſt talem pacem confirmatam, nullus eſt (ſcilicet ratione partis læſæ) qui quippiam amplius lædētem exigere, aut poſsit, aut debeat, adeò enim hęc firma pax habetur, & rata, vt ſi poſt eam reconciliationem & pacem contingeret læſum poſtea mori, pax quoque rata eſſet, & inuiolabilis, ita vt læſor mortis reus non fuerit, niſi in reconciliatione, conceptis verbis, & expreſſè exceptū fuiſſet de morte, hoc eſt, eatenus pacem eſſe validam, quatenus ex læſione nulla
8 mors conſequeretur. † Cæterum, quoties duæ partes inter ſeſe contendunt de iniurijs, poſtea tamen fiat, vt de ijs *iniurijs* inter ſe pacem confirment, & concordes fiant, ac reconcilietur altera alteri: Iudex tamen iſthæc audiens, colligit & autumat ex tali reconciliatione & confeſsione, crimen apertè eſſe confeſſum: ita vt hac confeſsionis notitia procedere poſſet ad criminum & iniuriarum punitionem, abſque vlla alia amplio ri, ac latiori inquiſitione facienda aut
9 informatione. Quocirca † callidi quique, vt Iudicem hic circumueniant, & ne certi quippiam ex compoſita pace percipere poſsit, hoc efficiunt, vt factum ac delictum conſtanter coram Iudice pernegent: & in pacis compoſitione curant, vt Notarius ſcribat pacem eſſe confirmatam inter ipſos tantum de ijs læſionibus ac iniurijs, quibus alter alterum impetierat, ſiue quarum gratia, alter de altero dolere & conqueri poſſet, aut in iuſtitiam aduocare: ſine vllius criminis nomi-

natio-

natione: hac enim generali confessio ne nullum certum delictum confessi sunt, sed vaga & incerta est confessio Verum si Notarius scripsisset duas partes in pacis fœdere conueniisse, de istis, aut istis læsionibus (rem ipsam nominando) & quarum gratia altera alteram pertraxit, vel pertrahere voluit in iudicium, & quas omnibus aperuit: tunc Iudici certa, confessa, nominatáque iniuria, & læsio confirmata esset, vt omnibus modis procedere hinc posset, tanquam ex confesso, ad criminis punitionem.

10 Aliud Pupillo permittitur† paciſci, & pacem conciliare de morte sui parentis, sed non nisi per consensum & authoritatem suorum tutorum, & ex ordinatione, & decreto senatus, & sui Iudicis, atque talis pax ita constituta firma est, & rata, nec violari potest ab vllo, ne ab ipso quidem postea adulto pupillo: potissimum si ea pax donario aliquo fuisset constabilita, hoc est, si dona vlla in symbolum ratæ ac reconciliatæ pacis de morte parentis accepisset, ita dixit Speculator, in tit. de homicid. & D. Anto. Corset. in suo tract. priuilegiorum siue, de priuilegijs pacis, num. 15. Fœ-

11 minæ† tamen nullo modo pacis fœdera componere, neque donaria acci-

12 pere possunt. Si post† commissum homicidium contingeret homicidã, pacem ac reconciliationem facere cum vno hæredum, vbi multi hæredes essent, non est satis efficax & valida. Nã tunc eam fieri oportet consensu, & authoritate omnium hæredũ simul, aut saltẽ cum consensu maioris numeri, & eorũ, quibus huiusmodi reconciliationis facienda cõuenit & obtigit actio, quique reliquorum suffragia, & consensum in se reciperent, c. Quod omnes, de reg. iur. lib. 6. & l. fin. C. de autori. præstan. Atque ita hactenus de reconciliatione facienda in generali & in legitimo toro. In illegitimo verò toro plus contingit perplexitatis, tum ex parte parentum, tum ex parte liberorum illegitimorum: atque hoc ob diuersitatem regionum: in quarum alijs illegitimi ab vtraque parte

13 sunt illegitimi: In alijs† verò regionibus illegitimatio tantum à parte patris descendit: à parte verò matris (vti in Flandria) nunquam. In il-

14 lis† igitur regionibus, vbi illegitima tio ab vtraque parte, id est, à patre & matre constituitur, ibi nec pater, nec mater, nec horum cognati consanguinei vllo modo reconciliationem aut facere, aut accipere possunt de occisione, et morte sui filij intelligitimi: sed tantùm Rex, Princeps, aut Dominus loci illius: qui illegitimorum omnium verum hæredem se cõstituit. Item contra, nec filius illegitimus, nec ipsius posteri vllo modo accipere aut facere possunt reconciliationem de cęde ac morte sui patris ac matris: sed occisi parentis legitimi ac proximi cognati. Qui si nulli fuerint, tum solus aut Rex, aut Princeps, aut Dominus loci, reconciliationem & facit & accipit. In ijs verò regionibus, vbi illegitimatio tantũ à parte patris succrescit (sicuti in nostra Flandria atq; ita omnium equissimè) à parte verò matris nunquã, in his (inquam) regionibus hoc obserua quod nec pater sui illegitimi filij cædem ac mortem reconciliare potest, & contra, filius illegitimus de patris sui cæde reconciliationem nec facere nec accipere potest (quoniam vtrinque concernitur illegitimatio) sed solus Princeps aut dominus loci, vt suprà. Mater verò quæ, nullã agnoscit ex sese illegitimationẽ productam,

productam, potest (non quidem per se, quum hoc fœminæ diximus, esse negatum) per proximos amicos, consanguineos, aut affines reconciliationem de cæde ac morte filij sui & facere & accipere. Et contra filius etiam de matris suæ morte & occisione semper reconciliationem (si is fit aut solus, aut natu maximus) & facere & accipere potest: quòd ea mater ipsi semper sit legitima: & ob hoc etiam matris semper hæres, vt alij quoque constituitur. Princeps verò ex hac parte, & dominus loci, de reconciliatione aut facienda, aut accipienda, nihil sibi iuris asscribunt.

CAP. CXLVI.

De Abolitionibus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 146

1 *Abolitio est institutæ actionis peremptio.*

2 6 9 *Abolitio est triplex* { *Generalis, quæ soli Principi conuenit.* / *Specialis, quæ accusanti competit.* / *Legalis, quæ à legibus conceditur.*

3 *Princeps crimen abolet, ob* { *Insignem natalem filij.* / *Victoriam partam.* / *Festiuam populi aggratulationem.* / *Consecrationem templi.* / *Lætum ingressum in ciuitatem.* / *Lætum rerum euentum.*

4 *Princeps abolitione ius partis non abolet.*

5 *Princeps ius partis abolet ob pacem publicam.*

7 *In abolitione speciali obseruanda sunt multa.*

8 *Abolitio specialis tantum fit intra 30. dies.*

10 11 *Morte* { *Accusantis accusatio* / *Accusati crimen* } *extinguitur.*

12 *Specialis abolitio non tollit crimen* { *Læsæ Ma.* / *Peculatus.* / *Repetundarum.* / *Falsi.*

EST item alia criminum leuatio, quã non inconcinnè abolitionem vocant, nempe, qua ipsa crimina realiter abolétur.

1 Est enim abolitio (vt definiunt) actionis institutæ peremptio vel absolutio. Quam tribus modus fieri con-

2 spicimus. Prima enim abolitio generalis est, & quam Princeps suo arbitrio, & propria authoritate conficit. Hæc extinguit, & cassas facit omnes accusationes, quibus accusatus premebatur, vel quibus postea grauari & accusari potuisset: non autem extinguit causam accusantis. Nam hic potest repetere accusatum intra 30. dies

dies vtiles, ſupputando ab illo die quo generales obolitiones ſunt finitæ, l. 1. C. de genera. abolit. Et fiet hæc repetitio eodem iure, quo priùs
3 accuſabatur. Fit † autem hæc generalis obolitio à Principe ob multas variáſque cauſſas: quandoque ob diē inſignem natalis ſui vel filij, quādoq; ob rem proſperè geſtam, vt cùm profligauerit hoſtes: quandoque propter publicam gratulationem, qua voluit diem aliquem feſtiuū eſſe cunctis, & vt ſinguli pari gaudio congratularentur ſecum: vel ob partam victoriam: vel ob templum recens conſecratum: vel ob triumphalem aliquem lætúmque ingreſſum regionis aut ciuitatis: aut ob alium ſimilem proſperum lætúmque rerum euentum, ob quem iure ſenatus cenſere
8 poſſet abolitionem reorum fieri: Probantur hæc, l. Cum eo tempore, C. de genera. abolit. l. Si quis repetere, & l. Si interueniente, ff. ad S. C. Turpilia. idq́e de Iure. Sed † de conſuetu
4 dine pars ſemper eſt in ſuo integro, ad petēdum ſuas reparationes & intereſſe & damna, qualemqualem abolitionem Princeps indè tulerit, niſi in contrectanda pace Principis: Tū enim † Princeps ius partis in ſe recipe
5 re poteſt, & crimen extinctione ac remiſsione abolere, in fauorem publicę pacis. Hinc vulgatum hoc axioma: Princeps ius priuati auferre poteſt pro bono pacis, Bart. in l. Quæcunque, in fin, C. de fide inſtrumen. & iure haſt. fiſca. libr. 10. Corſet. Sicul. in ſuo tract. priuilegiorum pacis, num. 24. vbi multos citat. Secunda
6 † abolitio fit per accuſatorem, hanc ipſam ex ſe poſtulantem: & dicitur priuata ſeu ſpecialis. Quæ ſit, quando accuſator abolitionem petit priuatim à Principe, aut ab alio Iudice, qui habet cognitionem meri & mixti imperij: hæc autem abolitio aliquando conceditur: aliquando ex
7 cauſſa negatur. Quocirca in ea † vel admittenda vel deneganda, opus eſt ſumma rerum cognitione. Et primo obſeruandum, quod ea cognitio delegari alteri non poſſet: deinde videndum an accuſauerit verè, an per errorem, vel temeritatem: Adhæc an accuſauerit pro ſua iniuria, vel iniuria ſuorum. Nam quando accuſauit cognatum, concedatur hęc ſpecialis abolitio, potiſsimum ſi hic cognatus accuſatus iam indè paſſus ſit iniuriam, vel ipſo etiam affirmante qui accuſauit. In hoc enim caſu dabitur, ſed non niſi per accuſantis conſenſum. Si autem non ſit paſſus iniuriam, dabitur accuſato etiam accu-
8 ſante inuito. Debet † autem peti hæc abolitio intra 30. dies numerandos à die inſtitutæ actionis, intra quos accuſatus habet ſpacium ad componendos mœſtos penates. Poſt dies verò 30. non dabitur hæc ſpecialis abolitio, niſi acuſato reo volente & conſentiente, l. Fallaciter, §. Poſt hoc vero tempus, C. eod. tit. de abolitionibus. † Tertia abolitio legalis eſt,
9 vt quæ à lege cōceditur, ſcilicet quando accuſator eſt mortuus, vel aliqua iuſta cauſſa impeditus, ita vt in accuſatione procedere non poſſet, l. Aut
10 priuatim, ff. ad S. C. † Tupilia. Hoc enim caſu finita eſt accuſatio, quo ad accuſantem, non tamen ab hoc reus eſt liberatus, quin poſsit rurſum ab alio (etiam de eodem crimine) accuſari, c. Prohibentur, verſic. Ab alio, 2. q. 1. l. 1. C. ſi reus vel accuſat. mort. fuer. & l. Defuncto, §. 1. ff. de publi. iudic. Sic ergo eximitur reus ab accuſatione, abolitione interueniente, d. leg. Si interueniente: Nec accuſator incidit in Turpilianum. Et cum accuſator mortuus vel iuſta

cauſſa

cauſſa impeditus fuerit, vel forte impetrauit ſpecialem: tunc reus poterit ab alio accuſari intra 30. dies vtiles:
11 Aut † aut ſi accuſatus mortuus fuerit, finitur accuſatio. Morte enim accuſati, crimẽ extinguitur, l. fin. C. ſi reus vel accuſa. mort. fuer. Fallit † hoc in
12 ſequentibus criminibus, in quibus nequaquam permittitur hæc ſpecialis abolitio, nempe in crimine læſæ Maieſtatis, peculatus, repetũdarum, & falſi: vbi ex vtraque parte acerrima fit indagatio, l. 1. 2. & fin. C. de abolit. quia illa crimina morte accuſati haud quaquam abolentur: vide plenius Speculato. Nobis hîc paucula oſtendiſſe ſufficiat.

CAP. CXLVII.

De remiſsione.

¶ Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 147

1 *Remiſſionem largiri, ſolius eſt Principis.*
2 *Quæſtor in Flandria,*
2 *Quidam domini, & officiarij,* } *cum reo tranſigere poſſunt, remittere non poſſunt.*
3 *Domini de concilio Flandriæ,*
4 *Tranſigentium vis eſt efficax, vt remiſsio.*
5 *Princeps tantum remittit capitalia &c.*
6 *Princeps non remittit* { *Crimen læſæ Ma.*, *Conſtuprationem violentam*, *Zodomitica*, *Monetarios falſos*, *Latrocinia*, *Incendia*, *Prædationes*, } *niſi extra ordinariè.*
7 *Princeps remittit aut* { *Plenariè*, { *Die paſsionis Dommicæ.* / *veluti* { *Die noui lætiq́, introitus in ciuitatem.*
8 { *Non plenariè: ſed cum emenda, veluti quouis tempore non prædicto.*
9 *In plenaria remiſsione, remiſſum conſequetur confiſcatio debita.*
10 *In Francia omnis remiſsio regis eſt plenaria.*
11 *In remiſsionibus largiendis, obſeruanda ſunt multa.*
12 *In ſupplicatione quid ſubticens, ſubreptitiè remiſsionem impetrat.*
13 *Remiſsio includit* { *Reconciliationem partis cum ſatisfactione.* / *&*
14 { *Interinationem faciendam.*
15 *Interinaturus* { *Literas exhibeat intra annum & diem.*
16 *Se captiuum præbeat.*
17 *Procuratorem generalem*, *Quæſtorem in Flandria*, *Prætorem loci*, *Partem aduerſam*, } *contra ſe citet.*
17
17

18 *In* { *Supplicationib. aut Interinatione* } *mentiens, virtute remiſsionis ſe priuat.*

19 *Remiſsio intra annum non exhibita perit, niſi releuetur.*
20 *Remiſsio exhiberi neglecta, grauatur emenda.*
21 *Interinatio in Flandria committitur dominis de concilio.*
22 *Differentiæ inter remiſsionem & abſolutionem vel indulgentiam.*
23 *Variæ quæſtiones circa remiſsionem.*

QVando quidē remiſsiones ſeu gratiæ multum (proh dolor) hoc calamitoſo ac infelici ſæculo in vſu ſint, ac frequentius quam par eſt vbilibet locorum practicentur: ideo remiſsionum naturam, vſum, & circunſtantias hic vtcunque examinare conſtitui, cum modo et forma interinandi poſt remiſsionem impetratam. Vt autem à remiſsione †auſpicemur, ſciendum
1 eſt, hanc criminis remiſsionem neminem largiri poſſe, quam ſolū Principem, l. 3. C. de Epiſ. audien. l. Cum indulgentia, l. fin. C. de ſenten. paſſ. & l, fin. C. de gener. abolit. Bald. in l.
2 fin. ff. de off. præſid. Quæſtor †autem parricidiarius in Flandria, ac præterea multi priuati domini & officiarij, ex commiſsionis ſuæ virtute poſſunt cum reo de delicto perpetrato componere ſeu tranſigere: verum eiuſdem criminis remiſsionem nullo modo largiri poſſunt, quum (vt ſuprà dictum eſt (id ſolius ſit Prin-
3 cipis. Eadem †ratione Domini concilij Flandriæ poſſunt & valent virtute inſtructionis cameræ, cum reo de delicto commiſſo componere ac tranſigere: poſſunt ſcilicet, quum reus ſeſe ſubmittit & quum negotium reperitur anceps, ac dubium: attamen delictum ipſum nequaquam remittere queunt, ob eandem ſcilicet ſuprà narratam rationem †. Atque dicta officiariorum cō-
4 poſitio tam eſt efficax, & valida, vt ob eam ſolam Reus liberatus ſit à delicto, & abſolutus: nō ſecus, quam ſi Princeps ipſe remiſiſſet. Largitur autem Princeps †remiſsionem non
5 de delictis ciuilibus, & per compoſitionem remiſsibilibus, hoc eſt, quæ ciuiliter puniri poſſunt, aut componi: ſed tantùm de ijs delictis, quorum punitio eſſet capitalis, aut corporalis: nempe, de homicidio aut mutilatione, de quibus planè neceſſarium eſt, vt Reus Principis imploret indulgentiam & abſolutionem, quam libet infelici fato, & innocenter in
6 crimen factor inciderit. Sunt †tamen crimina tam enormia, & fœda, vt de ijs Princeps ex ſua virtute ac poteſtate ordinariam nullam remiſſionem aut indulgentiam largiri velit: veluti de crimine læſæ Maieſtatis, de violatione mulierum violenta, de zodomiticis, de monetarijs falſis, de latrocinio, de incendijs, de prædationibus, atque his ſimilibus. Dixi ex poteſtate ſua ordinaria: Nam ex ſua poteſtate extraordinaria & abſoluta, crimina iſtiuſmodi omnino remittere poteſt omnia, quoties ipſi viſum fuerit. Quando autem placet ipſi ex ſua hac poteſtate extraordinaria remiſsionem largiri, tunc Secretarius in literis remiſsionis tantum ſubſcribit: Per comitem, aut per ducem, aut per Regem, aut per Imperatorem: ſine

am-

ampliori additamento, nec addit: ex relatione Concilij aut Cancellarię. Atque poſt ſigilli munitionem & appenſionem ad literas remiſſionum extraordinariarum iubet Secretario, vt ſuper plica ſcribat hoc modo: Sigillata per expreſſum mandatum domini Regis, aut Imperatoris. Remiſſiones autem † Principum ſunt bifariæ: Aliæ enim largiuntur plenariè: Aliæ cum mulcta ciuili. Nam remiſſiones, quas Princeps elargitur ipſo bono die veneris, hora paſſionis Dominicæ, illæ omnes regulariter expediuntur & donantur plenariè, ſine vllo additamento ciuilis mulctę. Item omnes eæ, quas Princeps confert in triumphali aliquo, lætóque ſeu nouo ſuo ingreſſu in regionem ac ciuitatem ſuam. Nam tum omnia remittit ciuilia, corporalia, ac capitalia, quatenus ſint ſuæ Mageſtati remiſsibilia. Idem cenſendum eſt, quando Principes fœminæ remiſſiones largiuntur in lætis ſuis ingreſsibus: hoc tantum intereſt, quòd ipſæ fœminæ remiſſionum literas non expediunt, ſed eorum mariti Principes. Aliæ verò remiſſiones, quas Princeps † concedit alio quouis tempore, ferè reſtrictæ ac grauatæ ſunt ciuili emenda, ſi quidem ciuilis aliqua emenda inciderit. Si quando † autem Principi placet crimen aut corporale, aut criminale aut ciuile planè remittere, & abſoluere: tum impetranti reo reſtituit, reddit, aut certè conſequi permittit confiſcationem bonorum, in quam ſuo delicto inciderat, modò de ea necdum ſit pronunciata ſententia, & adiudicata fiſco. Nam ſi fiſco adiudicata fuiſſet, tum ad bonorum recuperationem peruenire poſſet nunquam, niſi ea lege, qua id in remiſſionis literis aperte excepiſſet, ac ijs literis hoc iuſsiſſet inſeri (de confiſcatione ſcilicet ſequenda) † Porrò in Francia hac bifaria remiſſionum diſtinctione non vtuntur, ſiquidem eæ leges etiamnum durent, quarum vſum ego meo ſtudiorum tempore in Francia conſpexi, Sed ibi Rex & Principes omnes remiſſiones ſuas expediunt plenariè, ſine vllo additamento pœnæ ciuilis ſeu mulctæ: ſed de ijs delictis remiſſionem tantum elargiuntur, quæ ſunt remiſsibilia. † Quum hic remiſſionum naturam tractemus, velim pie lector intelligas, quòd circa remiſſionem expediendam & largiendam, multa ſint obſeruanda: nempe facti propoſitum & voluntas delinquentis, euentus & finis facti, quidque inde euenit, vel euenturum ſit, facti modus & circunſtantia, qualitas perſonæ, tempus, locus & ſimiles circunſtantiæ. Deinde an factor priùs alio crimine ſit grauatus: nam idipſum in ſupplicatione notificet oportet, & de nouo repetat, etiamſi eiuſdem alias impetraſſet remiſſionem, & partibus aduerſis feciſſet ſatis. Nam † ſi hoc ſubticeret, ipſius impetratio ſeu remiſsio haberetur ſubreptitia, obreptitia, clandeſtina, & nulla: Ita Baldus in l. Nemo, in 1. col. C. de Epiſ. audient. Ex quo dicit And. Sicu. in c. Super literis, in 24. col. ext. de reſcrip. quòd in ciuitate Bononienſi fuerit maleficus decapitatus, qui impetrauerat gratiam & remiſſionem ſecundi homicidij, nulla facta mentione de primo, ac eius impetrata gratia: Ita refert & ſequitur. D. Ioſan in l. Nec damnoſa, C. de precib. Impera. offerend. † Hoc præterea in remiſſionibus obſerues oportet, quod omnis remiſsio impetrata præſupponit & includit pacem & reconciliationem partis, cum

cum ſatisfactione, ſi ea facta non fuerit: ideo (vt videmus) cõmuniter Principes ſolent apponere in gratijs hanc clauſulam (ſatisfactione parti læſæ facta) quæ eſt etiam conſona iuri, & ob 17 quã *Principes poſſunt remittere pœnam* corporalem, aut pecuniariã applicanda fiſco, ſed non pœnam pecuniariam applicandam parti: faciunt quæ dicit Angel in l. Si docueris, C. ad le. Cor. de falſ. Panor. in ſuis conſilijs, cõſilio 6. in 2. volu. in 2. dubio. Itẽ 44 includit interinationem † poſtea faciendam eſſe: ſed antequam interinatio 45 fiat, oportet † vt literæ remiſſoriæ priùs exhibeantur ad interinationem peragendam commiſſo, ad illas interinandum, atque hoc intra annum & diem ab impetratione cõſecuta: alioqui impetrata remiſsio Reo impetrãti nullo modo patrocinari poſſet, nec 46 vllius eſſet efficaciæ. Deinde † neceſſum eſt, vt impetrans cum remiſsionis præſentatione ſeſe ſimul captiuũ offerat, & captiuus permaneat donec ipſius remiſsio interinata fuerit: tum enim perſonaliter abire licebit, ſi priùs tamẽ promiſerit & ſtipulatus fuerit, datis ad hoc fideiuſſoribus comparere quouis tẽpore, & toties, quoties citatus aut admonitus fuerit, vel ipſe, vel ipſius cõſtitutus procurator, & præterea ſoluere iudicata. Et poſt hanc promiſsionem, & ſtipulationem factam, oportet vt Reus die quo citabitur, omnino compareat & iudicatis obediat. Nam ſi poſt talem promiſſionem, & durante adhuc huiuſmodi interinatione remiſsionis & gratię Reus citatus ampliùs non redeat, nec compareat, plectendus erit ipſe fideiuſſor, ſed leuiùs & ciuiliter, vti videre fuerit apud Barth. Chaſſe. in ſuis commentarijs ſuper Conſuetudinibus Burgũdiæ, tit. *des Iuſtices & droittz d'icelles*, §. 5. Ex quo loco etiam notandum eſt, ventilari dubium: An criminoſus ſic per ſe captiuus oblatus relaxari poſſet cum dicta cautione, an non? cuius dubij ſolutionem loco ſuperiori videre licebit. Ad hæc, † quando Rei remiſsio ad interinationẽ erit producẽda, & ipſe denuo citatus fuerit, oportet vt ipſe impetrans Procuratorem generalem, & Quæſtorem parricidiarium in Flandria contra ſe in Iudicium, ad videndum procedere ad *verificationem & interinationem* prædictam, prouocet & citet, atque etiam Prætorem loci, vbi factum contigit, ſimul cum parte aduerſa, etiam ſi priùs pacem cum ea habeat, vt omnes ij conſpiciant proceſſum & interinationem faciendam intra annum & diem: ne ſi tacita fieret huiuſmodi interinatio, quiſpiam hinc læderetur. & in alicuius graue præiudicium, aut damnum fieri poſſet, arg. l. Nam ita diuus, ff. de adopti. l. De vnoquoque, ff. de re iudica. Ideóque ſi non citaretur, quorum intereſt interinationem literarum Principis conſpicere, præſumeretur ea remiſsio clandeſtina, fraudulosa, & parti læſæ, vel alteri Iudici detrimentoſa, l. fin. C. Si per vim vel alio *modo. fa. in* arg. c. Si epiſcopus, de prębend. lib. 6. Atque ob hanc cauſſam prænominati perſonaliter citandi erunt, quod hi quoque remiſsionibus Rei contradicere poſſunt, aut eã accuratè pro contradictione diſcutere, an ſit ſubreptitia, hoc eſt, veritate tacita: & an obreptitia, hoc eſt, falſitate expreſſa, impetrata: & quæ impe- 18 tranti diligenter † obſeruãda fuerint, ne aut in ſupplicationibus remiſsionis, aut in interinatione vllum commiſcetur mendacium, aut falſum exprimatur, cum falſus precator carere debeat impetratis, l. Et ſi legibus, C. ſi cõtra ius vel vtil. publi. Si tamen Princeps concedat alicui gratiam aut

remissionem de plenitudine potestatis, vel ex certa scientia (quod idē est) tum non requiritur citatio illorum, quorum interest: Ita tenet Ludouicus Roma. in suis cōsilijs, consilio 369. incipien. Circa principium, in 10. colum. in versic. Et huius est ratio. de quo plenè per Franciscum de Curte iuniorem, in suis consilijs feudalib.
19 consilio primo, in 12. colum. Porrò † si factor & impetrans per negligentiam oblitus sit intra annum & diem, suam remissionem verificare, & ad interinationem exequi, perit tum remissionis seu gratiæ vis, nisi curet sese ab ea negligentia restitui & releuari, quod tum illi facere licebit. Verum in hoc
20 casu per Cancellarios, † Præsidentes, aut similes inuectum introductumque est, vt literas remissionis grauent emenda, qua non erāt oneratæ priùs, tantum vt talem pœnam seu emendam pro crassa, & supina negligentia inferant. Similem quoque pœnā aut emendam adijciunt, quando impetrantes redeunt declaraturi se aliquid per obliuionem subticuisse, aut certè minùs omnia sese confessos esse, & ampliorem de oblitis seu omissis remissionem & indulgentiam à Princi-
21 pe de nouo postulant. Omnis † autem verificatio & interinatio remissionū & gratiarum in Flandria committitur Dominis de Concilio: quòd talis omnis interinatio sit Principis, & sic pro verificatione contentorum in remissione seu gratia, dirigitur seu delegatur cognitio ipsis (vt dixi) Dominis de Concilio, qui habent illam ve-
22 rificationem interinare. Antequam † hoc caput finirem, explicare volui discrimen inter remissionem, indulgentiā vel gratiā. Nā remissiones expediū tur tantū de homicidijs & alijs capitalibus. Absolutiones verò seu indulgentiæ in rebus vbi nullum defertur homicidium, aut capitale aliud. Rursum (si externa notare libet) remissionum literæ expediuntur, & donantur cum cordis sericis, & sigillo viridi: Indulgentiæ verò cum simplicibus caudis & sigillo rubro. Deinde ante capi-
23 tis huius finem, animus erat varias † discutere quæstiones, non minus vtilès quam vsu frequentes: nempe, an Principis introitu liberentur qui crimina geminarunt? falsarij, an habeāt remissionem in ingressu Principis? Restitutus gratia Principis an recuperet officium? Gratia an morte Principis expiret? Princeps an gratiam datam per se possit reuocare? An Princeps possit eā interpretari? Sed quoniam has D. Nicol. Boë. in suis decisi. aureis q. 217. nume 21. & 22. & D. Bartol. Chasse, in Commen. suis in Consuetudines Burgundiæ. Rub. *des Iustices & droitz d'icelles*, §. 5. abundè explicarunt, ideo de his prudens ipse supersedeo.

CAPVT CXLVIII.

De reuocatione exilij.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 148

1 *Rappellæ expediuntur in* { *Cordis sericis, & cera viridi, si exiliū fuerat 50. annorū & vltra.*
Caudis dup. & cera rubra: si exiliū fuerit vltra decē annos vsque ad
Caudis simp. & cera rubra, si ō ilium fuerit infra 10. annos. (50

Exili-

2 Exilium pronũciatũ { Ad inſtantiam partis, requirit interinationem & ſatisfactionem partis.
3 { Ad inſtantiã fiſci, non requirit rappellationem grauari debere (interinatione.
4 Exules Gandenſes Princeps { Ciuitate / & / Patria } donat, cum conſenſu Senatus.
5 Exules { Brugenſium / Hyprenſium } ad certum tempus, Princeps tantùm patria donat vſque (ad terminos Scabinatus.
6 Exules { Brugenſium / Hyprenſium } ſine certo tempore, princeps abſolutè liberat, reddens eos & patriæ, & ciuitati.
7 Volens Brugis rappellas ſuas interinatas oſtendere, cogitur ad limites ſcabinatus ſubſiſtere, donec cum ciuitate conuenerit.
8 Cætera exilia Flandriæ Princeps abſolutè reuocat, donans exules & { Patria, & Ciuitate.
9 Rappellæ exiliorum Gandenſium, nulla { Interinatione. / aut / Satisfactione } grauantur.

POſt promulgatum alicuius ob condignum meritum exilium, ſæpe fit, vt per inſtantiã exulis, & ex cauſſa Princeps (cui duntaxat competit, l. Relegati, in fin. ff. de pœ.) exilium remittat, relaxet, liberet, & extincto exilij iure exulantem in priorem ſtatum reſtituat. Quam Principis gratiam Iura conſuetudinaria rappellas vocant. In quibus triplex eſt varietas, ſed ea varietas tantũ ab externis oritur. Hæ igitur reuocationum aũt rappellarum literæ tribus† modis expediuntur: nempe, in ſericis cordis, & cera viridi: In ligatura ſiue cauda duplici: Et in ſimplici cauda: Atque hæc iuxta diuerſitatem exiliorũ. Omnia enim exilia 50. annorum & vltrà, expediuntur in cera viridi & in cordis ſericis: Exilia verò 10. annorũ & ſuprà, vſque ad annum 50. expediuntur in caudis duplicibus, & cera rubra: Et exilia infra 10. annos expediuntur in caudis ſimplicibus, & cera quoque rubra. Atque† in his animad uertendum eſt, quum exilium pronũciatum fuerit ad inſtantiam & perſecutionem alicuius partis læſæ & grauatæ, tum reuocationum exiliorũ literę, interinatione & ſatisfactiõe parti læſæ & grauatæ facienda onerãtur, ſi ea facta non fuerit, & inquantũ aliqua ſatisfactio facienda cadat. Si verò† exilium pronunciatum ſit ad inſtantiam & petitionem fiſci tantum, tunc reuocationum ſeu rappellarum literæ nõ grauant impetrantẽ ad interinationem. Cæterum hîc nota varietatem exiliorum ſeu bannorum, iuxta varias ciuitates. Nã de exilijs† Gandaui p Magiſtratũ Gãdenſiũ pronũciatis, Princeps exules ſua patria & etiã ciuitate donat, quaten⁹ Magiſtratus hęc cõſenſu ſuo cõfirmet. De† exilijs verò, aut Brugis, aut Hypris p Magiſtratũ Brugẽſiũ & Hyprẽſiũ ad certũ tẽpus & annos edictis, Princeps nullas literas reuocatorias ſeu rappellas largitur, nec ab exilio liberat abſolutè, ſed tãtũ exules patria donat vſque ad terminos ac limites, hoc eſt, vſque ad Scabinatum ciuitatis. Cum verò † in iſdem ciuitatibus exilia proclamantur citra vllam certi temporis diſtinctionem, abſolutè abſoluit, & ciuitate exules donat & patria. Brugenſes tamen hîc expreſſum habent priuilegium, quo adhuc

huc hodie pacifica poſſeſsione fruun-
7 tur: Nimirū † quoties impetrans, Flan
driam ingreſſus, curat ſuarum rappel
larum interinationem, tum eandem
interinationem eidem cōcedunt, quò
ad patriam: Nam ciuitatis iuriſdictio-
nem & limites ingredi nō licitum eſt,
priuſquam tempus exilij finitum fue-
rit: niſi de hoc cum ciuitate conuene-
rit, quod & Cōcilium ipſum ita quo-
que quotidie confirmat, ſicuti multis
exemplis id confirmari ac comproba
ra poſſet, niſi breuitas temporis nos
8 aliò vocaret. † Cætera verò exilia in
alijs ciuitatibus Flandrię pronuncia-
ta, ſiue ad certum tempus, ſiue incerto
tempore definita, Princeps ea remit-
tit, rappellas confert, dulciq; patria do
nat, & ciuitati reſtituit, ſicut & quo-
ties ipſi libuerit. Hîc illud obiter quo-
9 que notandum eſt, quòd † Gandenſes
aliquando magno ſtudio impetrare
contenderint, ne ipſorum bannorum
rappellæ vlla interinatione grauarentur, hoc habentes pro cauſa, quòd ca-
ſus ſeu res ſatis per ſe manifeſta ſit, &
conſtet per literas exilij priores, quas
vulgò titulum banni vocamus: Dein-
de, quod ex cauſſa vrgente, & ex ino-
lita hoc habeant conſuetudine, vt nul
li vnquam exuli ciuitatis priorem li-
bertatem reſtituant, niſi prius ſatisfa-
cta parte. Atq; in hoc ſtudio tantū pro
mouerunt, vt votorum facti ſint com
potes, & tale impetrarint priuilegiū,
quo poſthac bannorum ſuorum rap-
pellæ amplius nulla interinatione gra
uantur, ſed quoties rappellarū impe-
trans, denuo ſua patria & ciuitate frui
gaudet, ac ſeſe iterum in ciuitatem aſ-
ſerere ſtudet: tum planè neceſſum erit
vt ſeſe ſubmittat Senatui, & fideiuſsio-
nē ſtatuat de implēdo, quicquid per
Magiſtratum de ipſius rappellis arbi-
trariè decernetur: Atque de his (ne ni-
mius videar) plus ſatis ſuperq;.

CAPVT CXLIX.

De Appellatione.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 149.

1 Ex { Propria confeſsione, / Non propria confeſsione, } criminaliter damnatus, appellare { Hic non poteſt. / Hic poteſt.
3 In { Concilio Flandriæ, / ſed / Alijs Senatib. Flādriæ, } in criminalibus { Nulla recipitur appellatio. / Recipitur appellatio ſine propria confeſsione.
5 *In Flandria nulla eſt reformatio ſententiæ criminalis, ſed bene exilij.*
6 *Concilium Flandriæ largitur exuli literas reformatorias.*
7 *In Francia ſemper obeditur appellationi criminali.*
8 *Quæſtiones variæ de appellationibus.*

FIT ſæpenumero, vt reus in crimi-
ne à ſententia per ſe, aut per procu
ratorem appellet ad alium Iudicem,
de cuius clementia forſan melius ſpe-
ret, aut certè cui magis cauſſam ſu-
1 am fidat, In † quo caſu hoc notandum
eſt, quod ex Iure nemo reus crimina-
liter conuictus, & damnatus ex pro-
pria confeſsione, ab ea ſententia ap-
pellare poteſt, ſed ſententia prolata,
ili c



ilico producitur ad actum, & ad executionem, quantumlibet etiam verbis ac clamoribus ad aliud tribunal appellitet, l. 2. & ibi Bald. C. Quorũ appella. non recip. Si verò ex propria
2 †confessione non fuerit conuictus, & pœna infligenda corporalis foret, tum ipsi reo appellare permittitur, & sententiæ executio differtur, donec per Iudicem appellationis iterũ definitum ac decisum fuerit: atque hæc ita ex iure, d. l. 2. ad fin. consiliũ Flandriæ etiam nullam audit appellationem, vel appellationi non defert, hoc est, neque ob eam vnquam sentẽtiæ executionem differt, quando ea fuit diffinitiua, etiam si proprio ore nil cõfessi sint, modo probata, legitima, digna, certáque probatione conuicti fuerint. Sicut multis exemplis id confirmare possem, & potissimum hoc vno, de Iohanne quodam Faillant ca
3 ptiuo † in Consilio Flãdriæ, qui proprio ore nil confessus fuerat, ex legitimo tantum certóq; multorum testimonio condemnatus & adiudica-

tus morti fuit, appellando non deferebatur appellationi. Quod idem etiamnum hodie in eodē concilio obseruatur, vbi in similibus casibus appellationi non deferretur. In Flādriæ
4 †verò alijs Senatibus, nequaquam obediunt aut deferunt appellationi in materijs criminalibus, maximè in diffinitiuis: quòd in ijs neminem corporaliter punire possint, nisi ex sua propria confessione conuictum. Nec etiā
5 †admittunt reformationem huiusmodi diffinitiuarum, ob eandem rationem: quod tamen subinde permittunt in sentētijs exiliorum. Nam hoc
6 casu domini †de Concilio largiuntur & expediunt reo exulanti literas reformatorias, quibus ei potestatem faciunt se tuto & liberè posse recipere, & ire per totam Flandriam, excepto tantum loco, vbi exilij sentētiam
7 accepit. Porrò †in Francia vbilibet locorum, in re criminaria post primam sententiam reo permittitur appellatio, secundū quā Rex vult processum, & personam ream in Parlamentum perferri, atque ibidem omnia peragi, examinari, expendi & confirmari, vel reformari, vel grauari, vel minui. Atque iuxta hanc sententiā in facto (remissis persona & processu ad priorē Senatum) procedendum esse, vt debet. Omitto interim plures quæstiones, breuitatis studio, quæ hic dici & examinari suis quibusq; locis cōmodè potuissent: nempe, Qualiter †appellatio fieri posset in criminali: & à
8 quo posset interponi: & an posset appellationi renūciari? Deinde an quilibet ex populo posset pro absente appellare? Iterū, an in crimine lęsæ Maiestatis posset appellari? Ad hęc, qualiter Iudex nō admittens appellationē, teneatur? Deīde, an valeat statutū, quod in criminali tollit appellationē? Præterea, Si sententia confirmetur per Iudicem appellationis, quis eam mandabit executioni? Item an Syndicus communis sit citandus, cum appellatur à sententia in criminali? Deinceps si appelletur in criminali, & appellatio non recipiatur, quid sit faciēdum? Insuper, qualiter puniatur Iudex, qui non recipit appellationem, quam recipere debebat, sed sentētiam exequitur? Rursum, an appellatione interposita ab vno, & illa pendēte, possit contra alios fieri executio? An denique reo moriente interposita appellatiōe extinguantur omnia? Postremò, an reo moriente intra decem dies datos ad appellandum, crimen extinguatur & etiam confiscatio bonorum? Quarum abundè meminit Angel. Areti. in suo tractatu maleficiorū sub gloss. Præsente Caio, quem data occasione videre poteritis.

CAPVT CL.

De confessione maleficorum.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 150

1 *Consultatio Magistratuum de capitali pœna malefici.* — *Pridie executionis, aut Eodem die executionis.*
2 *Sententia capitalis profertur*
3 *Capitaliter exequendo* — *Doctor aut Confessor* — *Ecclesiasticus est concedendus.*

4. Capi-

4 *Capitaliter exequendo non eſt neganda Euchariſtia.*
5 *Capitaliter exequendus, non eſt inebriandus.*
6 *Confeſſorum abuſus apud capitaliter plectendos.*
7 *An confeſſor reuelare debeat confeßionem malefici.*
8 *Quid faciendum confeſſori ſi cogatur ad reuelationem confeßionis.*
9 *Exemplum de Parocho qui ex confeßione futura exitia præmonuit.*
10 *Quomodo mala ex confeßione ſacramentali cognita arcenda erunt.*
11 *An ob accuſationem Confeſſoris maleficus capi poſſet.*



POſtquam maleficorum facta Magiſtratui aut per propriam confeſſionem, aut per certa & explorata indicia ſatis innotuerint & conſtiterint, tunc Prætor iuſtitiæ † miniſter, cum magiſtratu conſultat aut requirit iuxta admiſſa, confeſſa & perſpecta ſcelera (de capitalibus loquor) iuſtitiam fieri, & mala ſecundū leges patrias ex mādato Dei, & principis puniri, & de factore ordinatū ſuppliciū ſumi. Cuius requiſitione, & petitione audita, totus Magiſtratus legibus parere coactus, certa hora conuenit:

facta, personam, causſam, finem, occasionem, tempus, locum, qualitatem, ac omnem denique circunſtantiã expendit, in deliberationem ponit: & de malefici ſcelere puniendo, maturo, graui, luctuoſóque conſilio cõſultat, & pro commerito flagitio pœnã ſtatuit, & de ea poſt ſingulorum auditas opiniones ſententiã pronũciat. Quæ
2 quidem ſententia † in alijs locis pronunciatur pridie quam maleficus ſit puniendus, aut certè pridie inter Magiſtratus ipſos decernitur & confirmatur: atque poſtridie (quum plectendus capitaliter erit) ipſi malefico reo in cõſeſſum Magiſtratus, producto, aut publicè, aut priuatim eadem ſententia pronunciatur. In alijs locis tantum eodem die ſupplicij ſumendi ſententia profertur: atque in hoc nil certi, ſed ſpectandus eſt vſus regionis, &
3 loci. In hoc † autem penè omnes conueniunt, vt reum, quem ſua vita corporali priuabunt, eundem ad vitam ſpiritalem promoueant, & ad reſipiſcentiam & ad commiſſorum pœnitentiam & in ſpẽ veniæ erigant. Ideo pridie quam patietur, hanc habet laudabilem cõſuetudinem, vt ad ipſum mittãt parochum, aut alium bonum ſacrificum, aut monachum quẽpiam cui confiteri poſsit, & qui ipſius animum ad contritionem permoueat, ad miſericordiam diuinam accendat, & ad ſatisfactionem corporali pœna perſuadeat, qui deniq; Rei pectus ſacra admonitione, cõctione, & pijs verbis emolliat, ad dolorem compungat, & Chriſti facilitatem in remittendo perſuadeat, atque ita ad ſupplicij locum eundẽ piè perducat. Ad quem cum venerit totus in hoc ſit vt ipſius animum ad veram cõtritionem permoueat: deinde ad ſynceram, puram, minimèque fucatam ſuorũ ſcelerum exomologeſim & confeſsionẽ. Quod vt facilius fiat: ſcelerum quæ commiſit multitudinem & enormitatem ei proponat: & maximã ipſius in Deũ ingratitudinem qui tam potentiſsimum Deum tamq; pientiſsimum patrem de nobis omnibus optimè meritum auſus ſit offendere. Perſuadeatque illi opus eſſe ſummæ miſericordiæ diuinæ quod in manus & poteſtatem iuſtitiæ deuenerit: & non permiſerit Deus illum vel pugna vel alio quouis ſubitaneo perire periculo: hocque modo Deum habuiſſe rationem ſalutis ipſius vt hac ſcilicet temporali confuſione, triſtitia, & dolore, rediret ad cor, mentíſque oculos aperiret pœna quos prius culpa cluſerat vnde & illum moneat vt pro tanto beneficio Deo ex corde gratias agat. Deinde proponat illi Dei miſericordiam qui non vult æternam peccatoris mortem, ſed potius vt conuertatur & viuat in æternum Ezech. 18, qui nullum vere contritum ac reſipiſcentem vnquam deſpexit, ſed benigne recepit reuertentem ſemperque conſolatus eſt: paratus omnibus vere reſipiſcentibus remittere peccata, vt patet in Manaſſe Rege, in parabola filij prodigi, in Petro, Paulo, Magdalena, Samaritana, Latrone. Et quomodo Chriſtus orauerit pro ſuis crucifixoribus, quod fuit ſignũ nullos velle perdere ſi reuertantur ad cor, & in ipſo confidant. Teſtimonia quoque verbi Dei diligenter ei inculcet: vt illud Chriſti: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam Matheı. 9. Et venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos, Matheı. 11. Sic Deus dilexit mundũ vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ioannis 3. Et Paulus: Deus proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum

illum, quomodo nõ etiã cum illo omnia nobis donauit, Rom. 8. Et rursus, fidelis sermo & omni acceptiõe dignꝰ quoniã dominus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. Timoth. 1. Et Ioannes. Aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum Iustum qui est propitiatio pro peccatis nostris, & non tantũ pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Et quoniam satisfactio vna est ex partibus pœnitentiæ, persuadeat illi confessor vt patienti: lubentiq; animo propter Deum, & peccata, quæ admisit, temporalem hanc pœnam, mortémque sustineat: dicens ex corde illud Iob. 33. peccaui, & verè deliqui, & vt erã dignus non recepi: Et quod nihil interest apud Deũ, vbi aut quo genere mortis quis moriatur: Cum ipse Christus innocentissimus acerbissimo eodémque ignominiosissimo crucis patibulo, pro nobis fuerit interemptus, & latroni eodem supplicio crurifragióque sit adempta vita: qui tamẽ, quia in cruce pendens & morti proximus, scelera sua recognouit & confessus est fidens in Christũ: mellifluam illam vocem consolatione plenam audire meruit, hodie mecum eris in paradiso. Proinde fidei articulos illi reducat in memoriam: & præcipuè quatuor, videlicet de Ecclesia sancta Catholica, quæ est corpus Christi, cuius ipse est saluator & redemptor. In cuius fide qui moritur, piè moritur. 2. De remissione peccatorum: quam obtinent verè pœnitentes merito passionis Christi. 3. De resurrectione carnis, quod videlicet omnes in Christi fide morientes: siue flammis absumpti fuerint, siue aquis præfocati, siue in rota aut cruce, à volucribus comesti, glorioso tamen corpore resurgent, vt cum Christo regnent in perpetuum. 4. De vita æterna, quam promisit Christus in se verè credentibus, & à suis peccatis resipiscẽtibus. pœnitentiam (inquit) & credite Euangelio, Marc. 1. Et rursus pœnitẽtiam agite appropinquauit enim regnum cœlorum. Mathęi 10. Moneátque quoque illum ne mortem metuat quam Christus deuicit, nec posse quenquam mortalium ad vitã introire æternam, quin prius corpore moriatur, atque ita rei pectus sacra admonitione, concione, pijs verbis emolliat, & ad veram in Christo fiduciam inducat, & sic eum ad supplicij locum piè perducat: vbi cum venerit admoneat eum vt meliori qua possit voce roget Deo omnipotẽti veniam, illis quos læsit in re vel in corpore, siue præsentes sint, siue absentes, denique Iustitię ipsi, nec pudeat illum hoc facere, quia cædet ei in maximam satisfactionis partem. Deinde imploret preces & suffragia astantium: quo facto paret se ad mortem, recitando orationem Dominicam cũ salutatione Angelica, & fidei symbolo: & inuocata Diua virgine, Angelo custode & sanctis omnibus, commendet animam suã Deo dicens: In manus tuas Domine commẽdo spiritum meum. Vel Domine Iesu accipe spiritum meum. Quæ omnia vt faciat fœlicius ac facilius imaginem aut statuã paruam Christi crucifixi ipsius manibus inserunt, & ad eiusdem Christi acerbã, atque ignominiosam passionem assiduè erigũt, & ad fœlicem statum animam emigraturam præparare, & Christo lucri facere contendunt, adeò vt ipsum reum non deserant priùs, quàm mortis supplicium vita persoluerit. Hanc laudabilem & piam consuetudinem, summa cum diligentia ipse semper obseruari conspexi in nosta ciuitate Brugensi, cui multis annis à cõsilijs immeritus fui. Quæri autẽ

4 hoc loco ſolet, an miſero reo, † Euchariſtię ſacramẽtum aut ſacra Synaxis, ſi petierit, largienda ſit? Quæ quidem quæſtio Auguſtiſsimi Imperatoris Caroli Quinti de Capitalib. iudicijs, benigna & Chriſtiana conſtitutione, ſoluta eſt 79. articulo: vbi reo miſero & plectẽdo petenti & deſideranti Euchariſtia conceditur: quam etiam indulgent Canonica iura, c. Quæſitum, 13. q. 2. c. 2. & ibi Panor. & Scrib. ext. de furt. & in c. Si quis, de pœni. Diſtinct. 7. Quem morem laudabilem quidem & probandum ſequuntur hodie pleræque Romani Imperij ciuitates, alijque pij deuotíque Magiſtratus: Atq; has dictas conſuetudines probatiores puto, & Magiſtratibus Chriſtianis digniores, quã illas, quibus reus pluſquam militari ritu ad ſuppliciũ pro-
5 ducitur, & quibus maxime † mihi videtur improbanda illorum conſue-
7 tudo, qui reũ lõgo vini potu ad ebrietatem penè afficiunt, quò minùs ſentiret mortis imminentis pauorem & memoriam. Sed hunc abuſum ſuſtulit clementiſsimus Imp. noſter Caro. V. articulo 79. qui idem multa alia abſurda, mala cõſuetudine inuecta, ſua prudentia aut deleuit, aut reſtituit.

6 Qui etiam articulo † 103. taxat & abrogat quoſdam cõfeſſorum abuſus, qui improba quadam & ſuperſtitioſa pietate, ne dicam impietate, confeſſos reos ad negandum reuocandumque facinus patratum adducunt, quum interſit Reip. vt delicta non remaneant impunita. Fit enim eiuſmodi imſ pientium confeſſorũ importuna pietate, & indulgentia, cæteris ad liberius peccandum liberior occaſio. In leuioribus autem criminibus, hoc equidẽ diſsimulandum eſſet in quibus omnes proniores ad liberandum abſoluendumque eſſe debemus, quam ad condemnandum, l. Reſpiciendum, §. 1. & l. Hodie, ff. de pœ. In grauioribus verò & enormibus atrocioribuſ que, ſecùs, l. Si Præſes, ff. eo. Nam grauè dictum Stratoclis obſeruandum eſt: Ignoſcendo nocentibus, innocentium ſalutem cuſtodiri non poſſe. Et Lycurgus, Nocentium remiſsio (inquit) improborum ſtudia ad peccandũ excitat. Poſſet hoc loco itẽ moueri quæſtio. An ſacerdos (quiſquis ille fuerit) qui alicuius malefici confeſsionem audiuit, aut in carcere (vbi captus eſt) aut extra carcerem (antequam capitur) aut ſub patibulo aut alio loco ſuppliciy ex quo quidem confitente, percepit ipſum enorme aliquod facinus deſtinaſſe aut certe commiſiſſe. Nempe Principis intoxicationem. Patriæ aut Ciuitatis proditionem. Templorum aut Ciuitatum incendiũ, aut totius Magiſtratus inuaſionem aut
7 his ſimilia. An inquam † hic ſacerdos confeſſor teneatur, aut ſaltem poſsit huiuſmodi confeſsionem reuelare Iudici, ipſumque maleficum, aut ſuos complices prodere. Ad hanc quæſtionem omiſsis longioribus diſputationibus dico talem ſacerdotem nullo modo poſſe aut debere reuelare ea, quæ ipſi in ſecreta confeſsione commiſſa ſunt, nec ante mortem, nec poſt mortem malefici, nec vllos complices
8 prodere. † Et ſi fortaſsis per improbitatem Iudicis ad prodendam confeſsionem cogeretur, nullum non ſuppliciy genus potius ſubiret, quam ſecretum cõfeſsionis (quod eſt de ſubſtantia ſacramenti confeſsionis) vlli mortalium aut verbo, aut indicio proderet. Et ſi ad iuramentum veritatis adigatur, tutò iurare poterit ſe nihil eorum ſcire que Iudex interrogat, & de quibus fieri cupit certior. Atque ita iurando non peccat. Quod enim ſcit neſcit. Nã quod ſcit vt Dei Vicarius, neſcit vt homo. Atq; huiuſmodi leui

inficiatione prudens & minime ſanguinarius Iudex contentus eſſe debe ret. Et ſacerdos huiuſmodi confeſsio ne audita ante incarcerationem non deberet eſſe tã ſcrupuloſus, vt ſuum cõfitentem nomine aut indicio proderet aut maleficum accuſaret. Contigit itaque meo tẽpore Brugis huic quęſtioni non admodum diſsimile exemplum. Vbi † parochus quidam audiuerat confeſsionem cuiuſdam malefici, qui non ita pridem ob ſua ſcelera publicè in eadem ciuitate correptus fuerat, quique confeſſus fuit ob talem punitionem paſſam, ſe cum quinque aut ſex alijs nefarijs nebulonibus coniuratis propoſuiſſe certo die ſeptem aut octo totius ciuitatis ędes maximas incendere, & ſic totam ciuitatem flammis, & ignibus perdere. Parochus hac confeſsione percepta vnum Penſionariũ, hoc eſt, vnum ex conſiliarijs Magiſtratus adit, confeſſa ipſi (citra vllius nomẽclaturam) explicat, nempe ſe ſcire ægrotũ cuius confeſsionẽ audiſſet, qui prædictum facinus cum ſuis coniuratis certo die perpetrare deſtinaſſet. Idcirco † iubet vt Magiſtratum præmoneat, vt huic malo ne fiat repagulum obijciat: & remedia prouideat, Penſionarius his auditis Parochum obſeruat, quã domum frequenter, inueſtigat. Videt tandem ipſum frequẽter adire domũ cuiuſdam tonſoris chirurgi. Penſionarius capillorum pręcidendorum gratia eodem ſe recipit, quis ibi ægrotet à famulo tonſoris cognoſcit, qui nullius tuci ſuſpicioſus ait ibi eſſe quẽdam vulneratũ, quẽ paſtor ſubin de quoque viſitaret, & ſimul nomen ædidit. Penſionarius his perceptis & viro cognito de quo certa tunc erat ſuſpicio ipſum eſſe de quo parochus commemoraſſet, eundem ad Magiſtratum defert: confeſſa, comperta, ac ſuſpitioſum Reum exponit. Diſputatur † an ob huiuſmodi cõfeſsionem & ob ſecuta indicia is ægrotus comprehendi poſſet. Re multum diuque diſputata, etiã à Iuriſperitis doctiſsimis tandem in hanc ſententiam deſcenderunt, vt ob reuerentiam ſacramenti confeſsionis dictus Parochus non amplius rogaretur, & quod ob generalem ipſius accuſationem (quæ tantum erat de crimine concepto & non cõpleto) talis ægrotus capi non poſſet, nedum torqueri, aut exęcutioni mandari: Cum enim ſecretum ſit de ſubſtantia confeſsionis: talis Parochi imprudens & temeraria proditio & quæcunque inde conſecuta ſunt cenſenda ſunt eſſe nulla. Quum ſacerdos nihil reuelare debuiſſet, vt in c. Omnis in §. Caueat de pœni. & remiſ. & in c. Si ſacerdos, de offic. ordi. & in c. Sacerdos de pœnit. diſt. 6. Interim tamen Magiſtratus non fuit ocioſus, ſed ne quid tale periculum ſuæ ciuitati contingeret, diligenti hac cura & opera repreſsit vt per varia compita & vicos diſponerent qui peruigiles agerent circa illa tempora excubias, deinde qui dictum ægrotum diligenter obſeruarent, quid ageret, quid moliretur, quibus ſtudijs ſeſe à morbo leuatus addiceret, quibus ſocijs ſe adiungeret. Quæ omnia diligenter curata fuerant, ob quæ haud dubie nihil ab illis maleuolis tentatum aut certe perpetratum fuit mali. Porrò ſi quis plura de hac quęſtione cupiat, is legat D. Io. Lupi in ſuo tractatu De Matrimonio & legitimatione. Et M. Godſcalcum in ſuo confeſsionali. c. de Sigillo confeſsionis.

Caput

CAPVT CLI.

De executione criminalis ſententiæ.



Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 151

1 *In magno concilio committitur Procuratori generali vel ipſius vicario cum hoſtiarijs.*

2 *Executio criminalis,* *In concilio Flandriæ committitur Prætori Comitis, qui ſemper Prætor eſt antiqui Caſtri Gandenſis, vel aulæ Hyprenſis, vel Prætor alius proximus.*

3 *In alijs Senatibus committitur Prætori loci.*

Poſt

POst varia criminum genera, post ea omnia, quę criminū rationem, naturam, exceptionē, liberationem, vel aggrauationem cum circunſtantijs concernere videbātur, reſtat, vt nunc epilogum atque adeò extremum actum agamus, & nonnihil de criminum executione dicamus, iuxta varietatem locorū. In †magno enim cōcilio Procurator generalis (is enim Imperatoris vices ex ſuo officio ſolus ſuſtinet) aut ipſius vicarius aut ſubſtitutus procuratore generali abſente, partim ex officio, partim ex ſententia tenetur ad executionem criminalem peragendam, & eam curare ſolenniter (ſi ita refert ſententia) cū hoſtiarijs producere ad actum † in concilio verò Flandrię executio committitur, primo Prætori clementiſſimi Comitis, aut auguſtiſſimi inuictiſſimíque Imp. ad hoc requiſito. Iſq; Prętor ferè ſemper eſt Prætor antiqui Caſtri Gandenſis, Prætor aulæ Hyprenſis, aut alius quiſpiam Prætor, proximus eo loco vbi camera reſidentiam habet: cum aſsiſtentia Procuratoris generalis, & hoſtiariorum. In alijs autem †Senatibus particularibus, ſiue iam his duobus dictis inferioribus, ipſa criminalis executio cōmittenda eſt eiuſdem ſenatus prætori, vel ipſius vicario, qui in ſuo officio Principis vices referunt.

CAPVT CLII.

De Carnifice.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 152

1 *Carnifex executione ſua non peccat.*

2 *Carnificum executio ſit varie*
- *Igne.* — *Raptatu.*
- *Gladio.* — *Puncturis.*
- *Puteo.* — *Abſciſſonibus.*
- *Diſſectione.* — *Truncatione.*
- *Rota.* — *Perforatione.*
- *Furca.* — *Euulſione.*
- *Patibulo.* — *Flagellatione, &c.*
- *Tractu.*

3 *Carnifex non ſit occidendo homicidij reus.*
4 *Carnificem ab homicidij crimine tria ſunt quæ liberant.*
5 *Carnifex multis modis homicidij crimine aſtringitur.*
6 *Carnifex cur omnibus tam ſit execrabilis.*
7 *Carnifices quales ſint conſtituendi.*
8 *Carnifices nequam qui ſint.*
9 *Carnifices boni & vere Chriſtiani qui ſint.*
10 *Carnifex quibus officijs bonam inibit gratiam apud populum.*
11 *Carnificis boni præſentia nullum locum reddet execrabilem.*
12 *Carnifex in tutela & protectione eſt Principis.*

Exe-



EXecutor ſententiæ & iuſtitiæ inſtrumentalis miniſter, habetur ip ſe lictor, ſeu carnifex: qui tametſi odioſum apud omnes ſuſtineat nomen, quòd cruentum, tyrannicum, & quaſi parum humanũ videatur exercere officium, nihil tamen † in conſcientia peccat, nec coram mũdo, nec coram Deo, qui totius iuſtitiæ fons eſt, origo, & author. Ex iuſtitiæ enim mandato peragit, quicquid facit: & iuſtitiæ, imò Dei (iuxta D. Paulum) miniſter eſt, non ſuorum affectuum, c. Non fruſtra, c. In officia, & c. Non eſt, 23. q. 5. Atq; hic † obſeruãdum eſt per lictorẽ executiones variè fieri, iuxta ſententiarũ varietatẽ nẽpe, ad ignẽ, gladio puteo, diſſectiõe, rota, furca, patibulo, ſeu cruce, tractu, ſeu raptatu, pũctura ignitarũ forcipũ, abſciſsione ſeu truncatione, aut perforatione linguæ, abſciſsione digitorum, aut pollicis, abſciſsione auricularum, virgis & flagellis, cęſione, cũ alijs infinitis ſimilibus, iuxta morẽ ac ritũ vniuſcuiuſq; loci, quæ magiſtratus ad terrorẽ maleficorũ decernit, & ad malum puniendũ inſtituit. In quibus ſupplicioru generibus irrogandis carnifex (vt dictum eſt) minimè peccat. Neque

† in

3 † in capitali ſupplicio inferendo, ſanguinéque fundendo, homicidij reus tenetur, non magis quam Iudex ipſe morti adiudicans, aut aſſeſſor, aut teſtis, aut accuſator, dummodo (ſeruato ordinario rerum iudicio) reum ad mortem, quam meruit condemnatum quouis genere mortis ſibi præcepto ex zelo iuſtitiæ mortem infligat. Nam in ſuo officio non proprijs ſeruit affectibus, ſed iuſti Iudicis imperio paret. Ipſiq; Iuſtitiæ (quæ virtus eſt) ſuum miſterium ex legitimo mandato & ordinario modo præſtat. Quod idem ipſe Auguſtinus confirmat, dicens: Non ipſe occidit qui miniſterium debet iubenti, ſicut adminiculum gladius vtenti, quemadmodum nec ille miniſter peccauit, qui iubente Dauid interfecit illum, qui Saulem Regem fatebatur occidiſſe 2. Reg. 1. Nec illi iuuenes qui eodem iubente peremerunt Baanam & Rechab fratres, qui occiderãt Isboſeth, Saulis filium quãuis in gratiam Dauid id feciſſe iactarẽt, 2. Re. 4. Neque Banaias filius Ioiadæ qui iuſſu Salomonis Adoniam & Ioab regni inſidiatores interfecit, 3. Reg. 2. Et vt ſemel dicam ſicut miles authoritate Principis hoſtẽ interficiẽs non peccat, ſic nec miniſter iuſtitiæ iudicis authoritate ac iuſſu fretus latronem aut alios ſontes occidens, peccare cen
4 ſebitur. † Tria enim ſunt quæ Carnificẽ ab homicidij crimine, imò ab vllo peccato, in hoc officio purgant & liberant. Nempe, Cauſſa iuſta, ſcilicet ob quam occidat & mortem inferat. Culpa enim peccantis eam mortem meruit. Et ob eã Dominus, Exod. 22. præcepit. Maleficos non patieris viuere. Ordo iuris qui non ſuæ voluntati ſed Iudicis imperio paret, qui legitimæ poteſtatis authoritatem habet, & ad quem malefici damnandi ſunt Num. 35. & Deut. 21. Animus iuſtus, quo & Iudex, & Iudicis miniſter Tortor ſolam iuſtitiæ promotionem ſpectant, per quam malum puniendum eſt, vt Reſpublica quieta ſeruetur, & gloria Dei magis eluceſcat. Quocirca lictores in quibus iſta tria deſiderantur ab homicidij crimine, aut coram Deo, aut iuſtitia ſeculari non ſunt im
5 munes. Multis † enim modis in hanc peccandi labem incidunt, ſcilicet ſi iniuſſu iudicis id faciant. Si iuſſu poteſtaté non habentis, homicidij rei ſunt etiam coram tribunali ſeculari. Si amore pecuniæ id officij expetunt & peragant. Si odio aut liuore vindictæ. Si ex libidine aut delectatione. Si ob auram popularem, ac laudem ſuum munus exequantur, aut immitius ſontes plectunt, homicidij rei
6 ſunt coram Deo. Hinc fit † quoniam huiuſmodi vitia in Carnificibus plerúnque regnant, vt & ipſi paſsim locorum omnibus ſint exoſi, & execrabiles, odiumq; vulgi in ſe prouocent, nempe quod non zelo iuſtitię, neque cum tanta commiſeratione & humanitate ſuum officium exerceãt quæ ipſos deceret & amabiliores redderet, ſed omnibus ſceleribus inquinatiſsimi in ſibi commiſſos patientes reos deſæuiunt, ipſos tractant, raptant, perdunt, & mactant, non ſecus quàm ſi beluam conficerent, & in tam crudeli ac tyrannica executione gloriantur. Reis interim merita ſupplicia exprobrantes, & æquo ſæuius & citius ipſos abripientes, nõ ſecus quàm ſi propriæ bili potius inſeruirent & affectibus, quã rationi, Iuſtitiæ mandatrici. Atque ideo euenit, vt ipſi non tantum exoſi, ſed etiam crudeliſsimi tyranni habeãtur

adeò

adeò vt quoties virum crudelē iudicare cupimus, eum carnificem exclamemus. †Optarem igitur ego vt Officiarius quiuis ac Iudex (quātum in ipſis erit) cum iudicio ac diligēter deligant Carnifices, qui ab ijs vitijs ſint liberi, & inculpati, quibus plærunque tales ſunt obnoxij. Nempe qui nō ſint †aleatores aſsidui, publici ſcortatores, calumniatores improbi, blaſphematores impij, ſicarij, fures, homicidæ, latrones, aut qui ſimilibus vitijs nec ſunt, nec fuerūt obnoxij. Sed †eligant bonos, in officio ſuo gnaros, certos, & imperterritos, præterea probos, mites, humanos, cōmiſericordes affabiles, qui honeſtum opificiū exerceant, qui torquendos reos mitius alloquantur, clementer tractent, pie humanitérque conſolentur, ad Chriſtianam patientiam cohortentur, & ad certam in Deum fiduciam, cui & viuere, & mori lucrum erit. Neque hic mihi occinat quiſquā hoc ſolius confeſſoris eſſe officium, quum in extremæ vitæ periculo quiuis Chriſtianus alteri merito debeat eſſe loco confeſſoris, & in rebus afflictis ſolatij præſtare remedium. Quod nulli oportunius ac fœlicius, quàm excepto confeſſore) ipſi Carnifici præſtandum relinquitur, qui vitæ finē clauſurus eſt vltimum. Proinde quiſquis erit huiuſmodi delectus Carnifex, is ad talē executionem nunquam accedat, niſi prius memor ſui, ſecum expendat & cogitet quanta ſit humana fragilitas, atq; hinc de lapſu doleat, & de infligēda morte rei ex animo cōmiſereſcat. Deo interim proteſtans, & confitens ſe nulla ratione interfecturum illum niſi iuberet legitima authoritas, niſiq; ſciret eſſe præcepti diuini, vt crimi noſi tali vel tali afficerentur ſupplicio. Roget præterea, & obteſtetur Deum vt quod iuſtum eſt, iuſte exequi poſsit, ad commodum & ad vtilitatē totius Reipublicæ Chriſtianæ. Supplex quoque reum, qui plectēdus eſt, orabit vt ſibi mortem condonare dignetur, quam iubente Iudice Dei miniſtro illaturus eſt ipſi. Si oportunitatis ratio interim permittat ipſum Deo ſuis precibus commendet, & populum ad preces quoq; pro ipſo fundendas inuitet & ad ſacras eleemoſynas pro ipſo præſtandas imploret. Idémque etiam poſt peractum officium peragere curet. Neque ipſum huiuſmodi piarum actionū vnquam aut pudeat, aut pœniteat, qui talibus Chriſtianis officijs reum Chriſto lucrifecerit, ſibi quietam conſcientiam conciliauerit, † odium ſui diſpulerit, & bonam gratiā & laudē apud quoſuis ſibi pepererit. Poſtremò † vitatā ac veterem illam vulgi opinionē ſuis inculpatis moribus refellet, quæ putat eū locum funeſtum eſſe, & execrabilē, in quo ſit Carnifex. Neque funeſtabitur (contra ſententiā Ciceronis) ob præſentiā Carnificis vlla cōcio. Cicero enim nimis Ethnicè, deſpectéq; de Carnifice ſentit, nobis Chriſtianis lōge aliā mētem de hoc magiſtratus officio, atq; miniſterio eſſe conuenit, qui nō ignoramus iniuſtis hāc legē eſſe poſitā, atq; hāc politicā iuris partē ad gloriā Dei, & ad Reip. tranquillitatē directe ſpectare, & Carnificis (ſiue magis iuſtitiæ executoris) officiū prorſus eſſe neceſſarium. Quocirca † hic etiā ob officij ſui neceſsitatē, in tutela ac ſecuritate eſt Principis, vt nefas ſit illum ob officij (quā vocāt) vilitatem aut cædere, aut vim vllā inferre, adeo vt hunc auſum, taléque factum Princeps capitale crimen eſſe voluerit, vt habet Auguſtiſ. Imp. Carolus Quintus, de capitalium iudiciorum Conſtitutionibus, artic. 97.

7 8 9 10 11 12

CAPVT CLIII.

De Iuſtitia.



Mundanæ Iuſtitiæ Effigies.

SAP. 1.

Diligite Iuſtitiam, qui iudicatis terram.

Fauor. Cognatus.	Deſpectus. Miſeria.
Argentum.	Paupertas.
Cauſidicus. Aduocatus.	Innocentia. Veritas.
Tutor. Receptor.	Vidua. Pupillus.

Vnuſquiſque
Popellus, aut
Communitas.

Infernus.	Paradiſus.

Summæ rerum tractatarum in Commenta. CAP. 153

1 *Iuſtitiæ mundanæ explicatio.*
2 *Iuſtitiæ proprietates, & inſignia.*
3 *Iuſtitia mundana cur bifrons, & biformis.*
4 *Iuſtitia mundana à variis oppugnatur.*
5 *Fauor Iuſtitiam falſo corrumpere ſtudet.*
6 *Deſpectus, & Miſeria, Iuſtitiæ fauorem ambiunt.*
7 *Scripturæ vt Iudex miſerorum cauſas iuſtè iudicet.*
8 *Miſeri à mundana Iuſtitia reiecti.*
9 *Argentum, id eſt, opulenti Iuſtitiæ æquitatem oppugnant.*
10 *Paupertas Iuſtitiæ fauorem ambit.*
11 *Paupertas cum Iuſtitia mundana ſcripturis agit.*
12 *Mundana Iuſtitia Argento fauet.*
13 *Aduocati Iuſtitiæ falſa obtrudunt, falſaque defendunt.*
14 *Innocentia, & Veritas ſeſe apud Iuſtitiam purgant.*
15 *Scripturæ ſacræ pro Innocentibus.*
16 *Tutor & Receptor Iuſtitiam falſis labefactant.*
17 *Vidua cum pupillis, Iuſtitiæ patrocinium implorat.*
18 *Scripturæ ſacræ pro Viduis, & Pupillis.*
19 *Viduæ cum Pupillis à mundana Iuſtitia neglecti.*
20 *Vnuſquiſque calamitatem ſuam Iuſtitiæ commendat.*
21 *Commune pereunte populo, pereunt & potentes.*
22 *Scripturæ ſacræ pro iuuanda communi plebecula.*
23 *Plebs à mundana Iuſtitia deſpicitur.*
24 *Ex æquo iudicantem cœleſtia manent præmia.*
25 *Iudicem iniquum, hians abſorbet Infernus.*
26 *Admonitio pia ad omnem Iuſtitiæ adminiſtratorem.*

Explica-

EXplicatis hactenus singulorum criminum sęcularibus punitionibus, quas ob Reipub. tranquillitatem Iustitia meritò decernit, non absre hic me facturum existimo, si coronidis vice, hic ipsius Iustitiæ secularis vsum, rationem, commodum pariter & incommodum piorum lectorum oculis subiecero. Cómodum quidem si oculata Iustitiam administret. Incommodum verò, si cæca censuram ferre præsumat. Hæc vt plenius cognoscas, piè Lector, en ob oculos tuos graphicè ipsius Iustitiæ effigiem tibi proponimus, cum ijs personis, quæ ipsam Iustitiam vario modo sibi conciliatam cupiunt. Atque hoc alię quidem iustissimis ex causis, quibus Iustitia subinde cęca est, & surda. Aliæ iniquissimis rationibus, quibus fere Iustitia oculata est, attenta est, benigna est, & facilis. Sed væ illis qui huiusmodi Iustitiæ personam induunt, vti tum authoritatibus, tum exemplis tibi mox cum singularum personarum explicatiõe debita patefecerimus. Principio † igitur hic cernis Iustitiam bifrontem, altera nempe parte oculatam, altera verò fasciola obuinctam, & cæcam solio suo, tanquam pro tribunali insidentem: dextera districtum vibrantem gladium, sinistra autẽ expendentem bilancem. Porrò à dextra (vbi oculata depingitur) vides personas applausibiles, & gratas, nempe fauorem, amicos, cognatos, affines, beneficos, & opulentos, & id genus alios, qui omnes Iustitiæ faciem in suas partes inclinant, sibi conciliant, & in suam (quam volunt) sententiam protrahunt. A sinistra verò (qua cæca est, & obuincta fascia) aliæ sistuntur personæ à superioribus multum diuersæ, nempe, Odium, Paupertas, Egestas, Innocentia, Viduarum tenuitas, Pupillorum debilitas, & quicquid denique per se infirmum est, & miserum, nulloque patrocinio fultum, nisi sola spe iustitiæ, quæ tamen ipsis oculos clementiæ claudit. Potentioribus verò, diuitibus, & fautoribus quibusuis aperit. Sub Iustitiæ pedibus substratam vides, sub persona rustici, miseram, calamitosam & plebeculam, cui Vnusquisque nomẽ imponitur. Huic cum cæteris calamitosis hominibus appictus est cœlestis paradisus, cuius hi omnes post has erumnas, post multa iniusta durè quidem, sed patienti animo perpessa, cum fide bona, & spe æquioris Iustitiæ percipiendæ, in futura eáque vita vera, sese fore participes sperãt. Atque has omnes personas cum Iustitia colloquentes dabimus, ipsiusq; Iustitiæ clementiam, gratiam, & beneuolentiam imploran-
2 tes. Sed prius ipsius † Iustitię proprietates ostenderimus. Iustitia itaque in solio residẽs indicat omnem Iustitiæ administratorem debere sedere, argumento l. Quisquis in fine C. de postul. l. a. Procedente C. de dilat. & in Autentico. Vt ab illustrib. §. Sancimus colla. 5. Hoc est, debere esse in ferenda censura animo quieto, libero, & ab humanis affectibus defœcato. Quod etiam confirmant sacræ Scripturæ multis in locis, præcipuè Exodi 18. vbi legimus: Moysen à mane vsque ad vesperam sedentem, vt iudicaret populum. Et Ioan. 19. Pilatus legitur sedisse pro tribunali, vt sententiam (quamuis iniustam) aduersus Iesum pronunciaret. Et rectè sedendo, debet Iudex sententiam pronunciare. In quiescendo enim & sedendo anima fit sciens & prudens, Aristotele teste 7. Physicorum lib. Bifrons, signat Iustitiæ gubernatores non solum vni partium debere præbere aspectum amicum,

aut intentos oculos, ſed vtríque partium ex æquo debere intendere, vtriuſque partium cauſſas æque benigne cognoſcere, & citra vllius perſonæ delectum, quod res eſt, fideliter & incorruptè iudicare, vt Deus monet, Leuit. 19. Non conſideres perſonam pauperis, neque honores vultum potentis, ſed iuſtè iudica proximo tuo. Et rurſum: Deuteronom. 1. Nulla erit diſtantia perſonarum. Ita paruum audietis, vt magnum. Nec excipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei Iudicium eſt.

3 † Quod autẽ hic Iuſtitiam bifrõtem exhibemus altera parte oculatam, altera cæcam. Iuſtitiæ mundanæ effigiem damus, corruptæ quidem, & parum æquæ, idque ad ſummam infamiam, & probrum eorum Iudicum, qui talem bifrontem Iuſtitiam iniquam, & Deo (cuius perſonam in Iudicijs ſuſtinent) execrabilem, aſſumere non verentur. Non autem hic bifrontem damus, vtpote ab vtraque parte æque blandam, æque oculatam, æque attentam & æque percupidam. Nam hæc Iuſtitia ſolius Dei eſt, & eorum qui Dei Iuſtitiam hic æmulantur, quod ab omnibus quidem fieri conuenit. Sed Iuſtitiam mundanam exhibemus, quæ affectibus eſt obnoxia, & vt nunc ſunt mores hominum, ſubinde aut eſt corrupta, aut non perinde æqua. Sunt nihilominus qui Iuſtitiam vna tantum facie pictam oſtentant, verum eandem plane cæcam, & vtroſq; oculos faſcia obuinctos exhibent, vtpote quod Iuſtitiæ ſit, ad vtramque partẽ cæcutire, neutríq; fauoris, aut odij aſpectum præbere. Porrò bilanx (quam in Iuſtitię ſiniſtra conſpicis) Iudicis accuratã cauſarum, & partium indagationem, obſeruationem, cum plena earũdem cognitione ſignificat, ſic vt de cauſarum differentia & veritate prius cognoſcat, quàm ad iudicandum ſeſe accingat. Vides prę-terea Iuſtitiam dextra diſtrictum tenentem gladium, quo nobis ſignificatur æquum Iudicem poſt cauſſas plenè cognitas debere aſſumere gladium, quo cauſſam iniquam ab ęqua diſſecet, quo innocentem defenſum, tutum, & tranquillum reddat. Nocentem verò abſque diſsimulatione iuſtè puniat. Quemadmodum Paulus affirmat, ad Roman. 13. cap. de Iudice loquens. Dei (inquit) miniſter tibi in bonum. Si autem malum feceris time, non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter eſt vindex, in iram ei, qui malum agit. Et Beatus Petrus ait miſſos Iudices ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, 1. Petr. 2. Cæterum huiuſmodi æquis veríſque Iudicibus beatiſsima quęque à Domino pollicentur, veluti Pſalmo 105. Beati qui faciunt Iudicium & Iuſtitiam in omni tempore. Et Pſalmo 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. In die enim mala liberabit eum Dominus. Contra verò mala quæque & infauſta minatur iniquis Iudicibus, veluti Deuteronom. 27. Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ &c. † Verum quoniam à varijs rectitudo Iuſtitiæ oppugnatur, qui omnes Iuſtitiæ integritatem corrũpere ſtudent, vt ſunt fautores, amici, cõſanguinei, familiares, diuites, &c. quibus ipſa iuſtitia cedit, oculatũ blandũq; vultũ exhibet. Ab alijs verò fruſtra ſollicitatur, inuocatur, ſiue potius imploratur, vt ſunt deſpectus, odium, innocentia, paupertas, &cę. quibus ſe obdurat,

4

quibus

quibus faciem nubiloſam, inuitam, procacem & aduerſantem exhibet. Id circo has perſonas omnes (vt & ante diximus) cum ipſa Iuſtitia colloquentes introduximus. Ac primo ſeſe Iuſtitiæ ſiſtit fauor.

Cognatus. Fauor.

5 † Cognata Iuſtitia, eademque amica dulciſſima, lis nobis eſt corã tuo tribunali, cũ deſpectu, & miſeria, hoſtibus noſtris pertinaciſſimis, qui neſcio quibus logis iuris æquitatem nobis præripere tentant. Rogamus igitur, vt me mor veteris ac ſtabilis amicitiæ noſtræ, adhæc cognationis noſtræ firmiſſimæ, nobis (quantum amicitiæ iura permittunt) Iuſtitiæ fauorem concedas & ab his pannoſis hoſtibus noſtris nos defendas, & amicè liberes.

Deſpectus. Miſeria.

6 † Iuſtitia rerum Domina æquiſſima, ne vilem quæſumus habitũ noſtrum, neque perſonas noſtras diſpicabiles intuearis, ſed æqua lance quod res eſt perpendito. Verum Iudica, noſque miſellos ab omnibus deſpectos, reiectos, & odio grauiſsimo præſſos, recipe, defende, & patrociniũ præbe, potiſsimum contra fautores, cognatos, & affines tuos, qui hoc tuo fauore freti nos erumnoſos faſtidioſè deprimunt & quicquid æquum eſt nobis, nobis indigniſsimè eripere ſtudent. Neque in noſtram perſonam, ſed ad Dei voluntatem oculos rogamus cõverte, qui intentiſsime ad te apud Eccleſiaſticum 11. clamat, cum (inquit) †
7 Non laudes hominem in vita ſua, neque ſpernas hominẽ in viſu ſuo, vbi Deus non vult æquum iudicem animum conuertere ad ea quæ ſenſibus externis, & affectibus adblandiuntur. neque ea contemnere quæ ſpecie tenus miſeranda videntur. Quin potius vult his omnem commiſerationem impendi, præ cæteris omnibus, adeò, vt per D. Iacobum, 2. tam immites Iudices his verbis terreat. Iudicium ſine miſericordia fiet ei qui miſero miſericordiam non fecerit, Idem 4. Qui amicitiam huius mundi diligit, is inimicitiam apud Deum comperit. Et Chriſtus Apoſtolos ſuos eatenus amicos ſuos agnoſcit, quatenus quæ præcepit diligenter exequantur. Ioan. 15. Neque vllam cognationem agnoſcit quam eorum qui faciũt patris ſui cœleſtis voluntatem. Mathę. 12. Voluntas autem cœleſtis patris eſt, vt Iudex abſque vllo reſpectu perſonarum ſecundum æquitatem iudicet omnes. Noli igitur mi Iudex eſſe perſonarum acceptor, Iac. 2. Neque Iudicare ſecundum faciem, Ioan. 7. & Prouerb. 24. Sed ſi amicis temet accommodare libet, id fiat vſque ad aras, vt ait Pericles Atheniẽſis. MISERIA. Quid fruſtra mi frater ſurdo authoritates occinis? quid cæcæ Iuſtitiæ veritatem aperis? tèque clamando, flectendo, lachrimãdòque coram ſupercilioſa Iuſtitia defatigare pergis? Caſſa ſunt quæ clamitas, inuitumque irritas potius quam in tuas partes flectis. Vide vt oculos à nobis auerſos ad ſuos amicos, & cognatos aduerterit. Quocirca hinc ſeceſſum damus, & cauſam noſtram Deo miſerorum omnium patrono blandiſsimo commẽdemus. DESPECTVS. Placet conſilium, ſed prius Iuſtitiæ verba

patienter audiamus. Nam ſuis locutura cõuertitur IVSTITIA. Vos cognati fautoreſque candidiſsimi, ſcitote nihil eſſe quod in gratiã veſtram ſim recuſaturus. Quocirca craſtino die hic preſentes eſtote, non iniquã veſtris optatis à nobis feretis ſententiam. MI 8 SERIA † Dixim nos eſſe reijciendos? Ad Deum igitur aſylum noſtrum tutiſsimum confugiamus. Sed eccum. Quodnam monſtrum huc ad Iuſtitiæ ædes anhelum ſudabundumque prorui? Vah † Argentum eſt, monſtrum auaritia tumidum, pecunia differtum, & Iuſtitiæ reginæ commendatiſsimũ. DESPECTVS. hem, Video quoque eodem properantem Paupertatem † Eſt fortaſsis ſua vtrique coram eadem Iudice explicanda cauſſa, nos igitur deſpecti recedamus, ipſiſque perorandi locum permittamus.

Argentum.

Quantis laboribus, quantiſque ſudoribus ad tuum tribunal Iuſtitia regina clementiſsima prorepſerim, ex hac mea deformitate conſpicere licet, Ideoque te æquiorem meæ cauſſæ futuram ſpero quæ hic apud tuum tribunal verſatur & diſcutitur contra aridam hanc (quam conſpicis) Paupertatem, quæ contra bonum & æquũ mihi tantum faceſsit negotium. A qua ſi me defenſum curaueris, cauſſæq; meę faueris tuæ benignitati me nunquam experieris ingratum. Habeo hos locu los, qui tuo fauori ſeſe largiter effuderint. Equos pręterea duos & duo Cretici vini dolia in gratitudinis ſymbolum tibi promittimus. Tantũ noſtræ cauſſæ faueas oro.

Paupertas.

Tenuis fortunæ paupercŭlus inopia & rerum omnium egeſtate grauis, humanaque ope prorſus deſtitutus ad tuam clementiam confugio, o Iuſtitia benigniſsima, tuam humanitatẽ obteſtans quam poſſum amanter, ne vel tua irrefragabilis ęquitas me deſerat, cauſamque meam negligat, vultumque à me pannoſo retrahat, ſed eum potius amicum benignum, & gratum præbeat. Quod mea paupertas non compenſauerit, id diuina miſericordia abundè ditauerit. Res eſt mihi cũ nummoſo, infartoque diuite qui opibus ſuis confiſus cauſſam meam labefactare ſtudet, idque haud dubie faciet, niſi Iuſtitię tuę æquitas me fulferit, & Deum potius quam humanas illecebras curauerit, qui Iudices optat, in quibus ſit veritas, & 11 qui oderũt auaritiã, Exodi. 18. † Quiq; officium tuũ his verbis admonet. Ita paruũ audietis vt magnũ, nec accipietis cuiuſquã pſonã qa Dei Iudiciũ eſt Deu, 1. c. Nouit extra de Iudi. & c. Vlti. 3. q. 9. Rurſum Iuſto iudicio iudica populũ nec in alterã partẽ declines, Deu. 16. Item qui Iudicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. Proue. 29. Item non accipies perſonã nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientũ, & mutãt verba iuſtorũ, Exo. 23. Iterũ. Væ, qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiã iuſti aufertis ab eo, Iſa. 5. Iudicate ęgeno & pupillo, humilẽ & pauperẽ iuſtificate. Eripite pauperẽ, & ęgenũde manu peccatoris liberate, pſal. 81. Poſtremò ait Xenia & dona excæcare oculos Iudicũ Eccle. 20. Noli igitur quęſo Iuſti-

Iuſtitia æquiſsima imitari filios Samuelis, qui peruerterũt Iudicia, ſequẽtes auaritiam, & accipientes munera, 1. Regum 8. *Non enim proderunt tibi theſauri impietatis, ſed iuſtitia liberabit te a morte.* Prouerb. 10. Neque ſectéris iniuſtũ Achab, qui ob auaritiã occidi iuſsit innocentem Naboth, 3. Reg. 21. Sed ah me miſerũ! faciẽ tuã auertis à me miſello paupere? Ah nõ pluris facis tot authoritates Dei grauiſsimas? cuius vices in Iudicãdo nũc ſuſtines? Cur quæſo argento vultum tã amicũ exhibes, quod te intra pauculos annos (niſi reſipiſcas) in profunda demerget tartara? c. pauper. xj. q. iij. Abs te itaq; ſpretus & auerſatus ad Deũ ipſum certiſsimũ cauſſę meæ patronũ & Iudicẽ meũ profugio, apud quẽ cauſſæ meę veritatẽ depoſiturus auxiliũ petam, téq; cũ exitiali tuo argento *nunc relinquo.* IVSTITIA.

12 † Mihi multo gratiſsimũ Argentum, cauſſam tuã multũ diu q; diſcuſſam, tandem expendi ſerio, eámq; cõperio talẽ, cui neutiquã refragari poſſum. Promiſsis igitur, fac reſpondeas, téq; cras meo tribunali cura præſentẽ ſiſtas, ſententiã auditurus es, tuis votis minimè ingratã. Sed quos huc aduentãtes cõſpicio? hem Cauſidicus meus eſt, & malarũ cauſarũ Patronus, quos ſequitur (neſcio) quæ turba ſimplex. Rurſum in ſolium meum reſideo, & quid hi dicturi ſint cognouero.

Cauſidicus. Aduocatus.

13 † AEquiſsima Iuſtitia in cauſarũ cognitionibus noſtrã fidẽ iamdudũ abunde tibi perſpectã arbitramur. Sumus nunc à cõſilijs & à cauſsis nobili & opulẽto viro Domino Socrati Phylargyro, qui conqueritur ſe grauiter offenſum, & læſum. Interim & ſibi plurimum negotij fieri ab ea quã cominus aduentantem ſpectas turba, ſpecie quidem ſimplici, & innoxia, re tamẽ (nobis fide) nocentiſsima, vt quæ nulli nõ quoduis maleficij genus infert, quos & nos ex certo multorum relatu didicimus. Et quod cõmunis fama fert, id veriſsimũ eſſe conuenit. Cicero Rhetoric. nouorũ lib. 2. & lib. Topic. Necnõ Ariſtoteles lib. 7. Ethic. Nos igitur (quorum probitatem & fidem certo certius noſti) tuã æquitatem rogamus, vt nos audias, nobis credas, nobilem Dominum defendas & tranquillum reddas, atque hanc turbam ſtupidam & inſolẽtem à maleficijs prudenter coërceas.

Innocentia. Veritas.

14 † AEquiſsima Iuſtitia nos nullo alio patrocinio, quàm (quod dicimur) ſimplici Innocentia, & nuda veritate fulti ad tuum tribunal confugimus. Nullum vnquam læſimus, nulli maleficium intulimus, nihil corrupimus, ſed quantum in nobis eſt, de omnibus belle mereri ſategimus. Interim tamen D. Socrates Phylargyrus nobilitatis titulo frętus, ſuorũq; Cauſidicorum protectionibus fiſus nos opprimit, nobis paſsim incõmodat, in rebus & nominis integritate nuſquã non læ dit, famã noſtram proſcidit, de quouis maleficij genere nos traducit, & prorſus perdere ſtudet, nec veretur interim nos iniquè apud tuũ tribunal quaſi maleficos nocentiſsimos accerſere, multiſq; criminibus alligatos deprimere. Externa ſpecie rumore falſo, & traductione iniqua videbimur fortaſsis nocentes, ſi nos tamen propius agnoſcere non pigeat, cõperies certo noſtrã innocentiã, &

veritatem ſimplicem, quas rogo contra oppreſſores noſtros defendere velis, recepturus à Deo Iuſtitiæ tuæ adminiſtrationis mercedem digniſsimam. Caue igitur ne Herodis Innocentes puerulos Matth. 2. impie trucidantis truculentiam imiteris, ne ipſum quidem Dauid, qui innocentem Vriam occidi iuſsit, 2. Regum 11.

15 Quin † potius (ſi nos exaudiri parum digni videbimur) ipſum Deum (cuius hic vicarium agis) libenter audi, & ſane monenti libentius obtempera. Iudicium (inquit) & Iuſtitiam facite, & liberate vi oppreſſos de manu calumniatoris. Hiere. 22. Rurſum, Mendacium fugies, innocẽtem & iuſtum non occides. Exod 23. Et à tribunali tuo procul faceſſat ea truculenta immititas, quam Deus inſectatur apud Eccleſiaſt. 4. Vidi (inquit) calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lachrymas innocentum, & neminem conſolatorem, & auxilio deſtitutos eorum violentiæ non poſſe reſiſtere. Hos tam immites Iudices Deus maledictos pronunciat, quiq; munera accipiunt, vt percutiant animam ſanguinis innocentis. Deut. 27. Sed proh dolor, me miſerum innocentem! Cur quæſo Iudex, Dei in Iudicãdo vicarie nos verè innocentes tam indigne auerſaris? noſtris clamoribus obſurdeſcis? cauſſamq; veritatis tam impudenter negligis? Quæ quidem Innocentia, & veritas licet in mundo ſæpe præmamur, nunquam tamen nos opprimi ſinet Deus, vt cui noſtrum patrocinium perpetuo fuerit curæ, dicente Propheta: Iuſtus Dominus, Iuſtitias diligit, æquitatem videt vultus eius. Pſalm. 10. Ideóque à tuo tribunali appellantes ad ipſum defendendaq; confugimus,

Tutor. Receptor.

16 † AEquiſsimè Iudex, ad tuam Iuſtitiam ego tutor fidelis, & Receptor propero. Res iſtarum viduarum, & pupillorum multos annos fideliter rexi, curaui, & ipſorum vſibus, quum res poſcebat vtiliter expendi, (teſte conſcientia propria) & rationem ipſorum fideliter ſubductam, fidelius reddidi. Interim tamen non deſinunt iſtorum patroni me falſis traductionibus proſcindere, ac infidelitatis apud quoſuis malitioſi deferre. Quũ tamen tua æquitas me noſcat talem, vt cuius conſcientia mentiri timeat, aut vlli hominum vel minimam iniuriolã inferre formidet. Quare tuam Iuſtitiam pro veteri neceſsitudine rogo, vt ab ipſorum latratibus meam integritatem defendat, ipſorumq; petulantes linguas æquitatis tuæ virga coërceat. Rem mihi amico tuo candidiſsimo multo gratiſsimam præſteteris, & pro beneficio tuo ampliſsima præmia reportaueris.

Vidua. Pupillus.

17 † Patronus Viduarum, & Pupillorũ nomine loquitur. Iudex æquiſsimè in nos quæſumus tuæ clementiæ oculos conuerte, noſtras lachrymas noſtróſque ſingultus clementer aſpice. Viduæ iſtæ ſunt, ſuis orbatæ maritis qui ipſarũ cauſſas, qui neceſsitatem, qui inopiam earum, dum vixerant, ex amore coniugali tutari non deſtiterant, nunc ipſarum maritali patrocinio

nio viduatæ omnique humano deſtitutæ præſidio, nihil ipſis factum eſt reliquum præter hos, quos manibus cõplectuntur miſellos pupillulos quos vna cum ſuis matribus in tuæ luſtitię clementia cõmendamus plurimũ, vt ipſorum miſertus cauſſæ eorum patrocinium libẽter aſſumas, defenſionẽ preſtes, verique tutoris vices ſubeas potiſsimum contra hos ſubdolos atque imaginarios potius tutores ſuos, cõtra receptores ſuos iniquos, contra denię creditores earũ quoſlibet, q eas miſerè cõſtriſtãt, mũdana aſtutia circũueniũt; nihil nõ fallatię ſtruũt, ac planè opprimere ſtudent: Gratitudinẽ tuis beneficijs rependere curabunt, ſicubi fortuna aliquando reſponderit. Interim quod ipſarum tenuitas exoluere nequiuerit, id poſt hanc vitam abundé penſauerit Deus, qui nullum opus bonum irremuneratum ſinet, & certè apud quem tua virtus Iuſtitiæ tuæ merces erit maxima. Quod ſi tu nos deſpicis, ſi oppreſſoribus noſtris fauens nos auerſeris, ad tutiſsimum Patronum noſtrum confugi-
18 mus Deum † qui pupillo, & viduæ iudicium faciet, Deut. 10. Cui & prophe ta dicit pſal. 9. Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor. Tuque interim maledictus eris q aduenæ, pupilli, & viduæ iudiciũ peruertis Deut. 27. Quam maledictionem, vt certo effugias, te varijs in locis commonefacit, quidq nobis abs te fieri velit, aperte clamitat mẽtemq; ſuam his ver 19 bis aperit. Aduenam, pupillum & viduam nolite contriſtare, neque oppri matis inique. Hiere 22. & Exod. 22. Opprimit autem, quiſquis oppreſſoris iniuriam, quũ poteſt, ac debet non propulſat. Rurſus. In iudicando eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tunc velut filius altiſsimi obediens, & miſerebitur tui magis, quam mater, Eccle. 4. Iterum viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum; & indignabitur furor meus, percutãq uos gladio, & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli: Exod. 22. Quorum lachrymoſi clamores quã ſint Deo odibiles quamque ſeuere eorum neglectores puniat, clare commõſtrat, cum ait. Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendũt, & exclamatio eius ſuper deducentem eas. A maxilla enim aſcendunt in cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in eis, Eccleſ. 35. Rurſum per Iſa. increpat Dominus opprimentes pupillos & viduas dicens: Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicãt, & cauſſa viduæ non ingreditur ad illos, Iſa. 1. Propter oppreſsionem præterea pupillorum & viduarum in exilium & captiuitatem miſsi ſunt filij Iſrael, Ezech. 22. Cauſſam viduæ, non iudicarunt, cauſſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt, nunquid ſuper his non viſitabo. Dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi nõ vlciſcetur anima mea? Hiere. 5. Authoritates tot tantæque Iudex æquiſsime te rogo moueant vt noſtri miſertus, quod bonum eſt, & ęquũ iudices. † Verũ ah & nos quoq; miſellos qui cum noſtri ſimilibus ſurdo videmur occinere, & cæco claram ipſique odioſam lucem obtrudere. Proinde hinc recedẽtes ad Deũ Patrẽ miſericordiarum, & Deum totius conſolationis cũ certa fiducia accedimus.

Vnuſquiſque. Popellus. Communitas.

20 † Quiſque ſuos patimur manes. Quiſque à potentioribus infirmamur, &

concidimus, o Iuſtitia mundi regina fortiſsima. Cauſſam noſtram tuæ Iuſtitiæ committimus. Vniuſcuiuſque neceſsitatem, inopiam, debilitatem, ac noſtram miſerandam Vniuſcuiuſque calamitatem (in qua tam miſere computreſcimus) coram te expandimus, tuæque clementiæ ſuppliciter commendamus, vt tantæ noſtræ neceſsitatis miſerta, nos Vnumquemq; erigas, iuues, confirmes, laboribus ſtabilias, decoribus neceſſarijs ornes & munias. Ita fiet, vt & † ipſi potentes, (qui ſine Vniuſcuiuſque opera ſimul exiſtere nequeunt, ſed cum ipſo concidente ſimul & ipſi concidant oportet) potentiores euadant, mutuis operis firmentur, viribus coaleſcant, opibus, lætaque pace, & tranquillitate floreant, ſplendidiſque virtutibus perpetuò triumphent. Porrò ſi nos Vnumquemque, humilemque POPELLVM deſpicis, noſtramque cauſſam indefenſam negligas, noſque erumnoſos miſerè contabeſcere ſinas, futurum eſt, vt Reſpub. tua nobiſcũ ſimul cõtabeſcat, & quæ p tua in nos auxilia floruerat, noſtro neglectu ſqualleat ac tandem pereat. Agri debita cultura fraudati obſylueſcent, nulla officia conſtabunt, ſed ad miſerandam rerum faciem cuncta labaſcent, florentiſsima quæquæ marceſcent, & Potentiores ipſi tandem Vniuſcuiuſque vices & ſeruilia officia apprehendere cogentur, ſi ſeſe in viuis conſeruatos velint: Proinde Iuſtitia mundi rectrix fortiſsima, hæc iterum atque iterum æquitatis tuæ bilance trutina, diligenter conſidera, & Vniuſcuiuſque cauſſam, & inopiam tũtandam libenter amplectere, ne tanta rerum incommoda in tuam Remp. latenter ſubrepta, randem cum dolore percipias. Quod ſi ne hæc quidem Reipub. mala te ſatis permoueãt, ſaltem te propriæ ſalutis ratio expergefaciat, aut exitij futuri cauſſa ſolicitet. Terreat te præterea diuina Iuſtitia, téque ab ipſa doceri permitte, quid abs te Vnicuique fieri poſtulet, qualemque te miſello Popello præbere conueniat. Audite (inquit) illos, † quod iuſtum eſt Iudicate, ſiue ciuis ſit ille, ſiue peregrinus, nulla erit diſtãtia perſonarum Deu. 1. Atque iterũ: Non conſyderes perſonam pauperis, nec honores vultum potentis, ſed iuſtè iudica proximo tuo. Non ſtabis cõtra ſanguinẽ proximi. Leuit. 19. Non facies violentiã pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſſam eius & configet eos qui confixerunt animam eius. Prouerb. 22. Et recte iudicate filij hominum. Pſal. 57. Vſquequo iudicatis iniquitatem & facies peccatorum ſumitis? Pſal. 81. Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo. Iſa. 5. Qui iuſtificat impium & iuſtum condemnat, vterque abominabilis eſt apud Deum. Prouerb. 17. Sed, vt video, Vnuſquiſque pereat oportet † Nam, ſurdo diuina verba perſonat, & cæco lumen veritatis oſtendit, qui nec rationibus flectitur, nec minis terretur diuinis. Ad Deum igitur properamus iniuriarum noſtrarum vindicem acerrimum, & opitulatorẽ egeſtatis noſtræ clementiſsimum.

21 22 23

Infernus. Paradiſus.

Superiori hac imagine conſpecta Iudex æquiſsime, imo hiſce veris, atque diuinis edoctus authoritatibus, Iuſtitiæ tuæ adminiſtratæ præmia certò cog-

24 cognoſce.† Si rectã æquitatis virgam ſeruaueris,ſi citra vllius perſonæ exceptionem,quod verum, quodque iuſtum fuerit iudicaueris, en regni cœleſtis amœna optatáque fœlicitas te
25 exceptura proponitur. † Sin iniquè à rectitudinis tramite deuiaueris, ſi perſonas conſyderes, ſi affectibus in iudicãdo obſequi libeat magis quàm veritati,en manet te hians Infernus, cum vniuerſis ſuis ſupplicijs, & tor-
26 mentis. † Proinde te rogo Iudex,quiſquis es,vt Officij tui, imò diuinæ voluntatis(cuius vices in iudicando ſuſtines)memor, Iuſtitiæ integritatem perpetuò inuiolabilem ſerues,æquitatis virgam nuſquam non rectam geſtes,humanos affectus omnes prorſus exuas, partium cauſſas penitus, veréque cognoſcas, tardè iudices, atque in iudicando veritatem ipſam quodque bonum erit & æquum,tanquam ex iuſti Iudicis Dei ore iudica, & veluti non tuam, ſed Dei ſententiam pronuncia. Quod vt ſyncerius efficias in cauſis rei veritatem nõ odiũ ſpectes,aut gratiam:quæ duo Iuſtitiæ corrũpendæ conſultores ſunt peſsimi,c.Ipſe,c.Iudicare,c. Qui recte &c. Quatuor,cũ multis alijs, huic materiæ congruentibus 11. q. 3. c. Omnis 45.diſt. Debet enim Iudex cõſiderare omni in negotio,quid liceat ſecundũ æquitatẽ,quid deceat ſecundũ honeſtatẽ,& quid ſecundũ vtilitatem expediat,vt(inquit)tex.in c.Magnæ deuotionis,extra,de voto. Poſtremò,omnibus iſtis conſideratis, debet Iudex moderatè,aut abſoluere, aut condemnare,nullo modo in reos excandeſcere,furiosè clamare, aut imprudenter obiurgare,ſed potius in animo condẽnans plorare, vultuq; verũ animi mœrorem oſtendere. Vnde text. in l. Obſeruandum ff.de offi.præſid.congruit propoſito noſtro ibi. Sed & in cognoſcendo neque excandeſcere aduerſus eos quos malos putat:neque precibus calamitoſorum illachrymari oporter, id enim nõ eſt conſtantis & recti Iudicis,cuius animi motũ vultus detegit. Et vt ſummatim dicam, ita ius reddi conuenit, vt authoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. Alibi text.in c.Eſt iniuſta, 24. q. 4. Ait Iudicẽ non debere mouere filiorum ſuorum preces, nec lachrymæ coniugis delinquentis. Vnde fons illæ Romanæ eloquentiæ Cicero, Iuſtitiam humanæ ſocietatis, vitæque communis conſeruatricem meritò prædicauit, ſi ita moderatè ex bono & æquo citra humanos affectus cuncta iudicentur. Et hæc omnia noſtri temporis Iudicibus perpetuò ſunt obſeruanda. Qui quam ſint aliquando corrupti, lippis & tonſoribus eſt notiſsimum, qui quod Pilatus fecit ſemel,id ipſi quotidie (metuo) faciũt: qui peruerſa voluntate, aut odio, aut amicitiæ gratia, aut conſanguinitatis, vel affinitatis, affectione,aut (vt deteriora taceam) pecuniarum cupiditate corrupti, iuſtitiam (vt ita dixerim) ita contaminatam reddunt & pronunciant, quam rectæ rationis libramine perpenſam, æquiſsimam pronunciare deberent. Vnde text. in c. 1. de re iudic. libro 6. grauiter dixerit. Caueant igitur Iudices, (vt iterum ipſos admoneam) & prudenter attendant: vt in cauſſarum proceſsibus nullum graſſetur odium: fauor nullus vſurpetur: timor præterea omnis exulet: præmium aut expectatio præmij iuſtitiam non auertat: ſed bilancem geſtent ſemper in manibus, ſtateram æquo perpendant libramine: vt in omnibus quæ in cauſsis agenda fuerint: præſertim in concipiendis ſententijs & ferendis, præ oculis habeant ſolum Deum.

Ne

Ne Pylatum imitentur, qui in cauſſa Chriſti iniquiſsimi Iudicis ſpecimen exhibuit, non ſolum in Deum peccans, ſed etiam contra leges humanas, ideóque & grauiſsimo ſupplicio, vel per Cæſarias leges meritò puniri debuiſſet. De hoc vide D. Lud. montaltum Syracuſium, ſuper reprobatione ſententiæ Pylati. Poteram interim (fateor) multo plura per varia capita inſpergere, quæ ipſe longa experientia comperi, quæque ad purgationem maleficiorum è Repub. conducere videbantur, eáque multo latius multóque teſtatius, & firmius, ſi hunc librum ad Officiariorum manus tantum peruenturum exiſtimaſſem. Verùm metuens ne (quod fortaſſis fieri ſolet) ad alios quoque hic libellus peruenerit, quibus huiuſmodi comprobationes & expoſitiones documento potius eſſent, & offendiculo, idcirco ſatius eſſe duxi ab ampliorib⁹ demonſtrationibus prudenter ſuperſedere, quàm imprudenter indigna quæque leui commonſtratione ſimplices quoſque docere. Non enim tutum eſt hoc corruptiſsimo ſęculo, præter Iudicium omnia charitis illinire. Quiſquis hodie in Iure quippiam meditatur, is inter ſacrum (vt aiunt) & ſaxum ſeſe conſtituit &c.

Quid ſunt ſine Iuſtitia Regna,
Niſi Latrocina magna.

Praxis Rerum Criminalium clariſs. ac doctiſs. Viri Iodoci Damhouderij Brugen. Iuriſconſulti, de Iure haud male meriti.

FINIS.

STatuerat Autor hoc ſequẽs caput collocare ante caput de executione criminalis ſententiæ, tum ob materiarũ connexionem, tum quod materia ergaſtularia totius negotij criminalis quaſi Colophon eſſe videatur: Verum ob iuſtiſſimas Autoris occupationes Typographiq; rationes, nõ fuit integrũ id perficere, hoc itaq; lector opt. æqui boniq; cõſules, vt cum eius lectione fruêris, loco ſuo, ſi placet, repones. Vale.

Appendix ad praxim Criminalem de Relegatione ad ergaſtula, ſeu vincula nautica.

1 *Errabundi damnandi ſunt ad ergaſtula nautica.*
2 *Triremium variæ nomenclaturæ.*
3 *Nauigandi, remigandique primi inſtitutores ſeu inuentores.*
4 *Nonnunquam pœnæ corporales commutantur in relegationem in ergaſtula nautica.*
5 *Relegatio in ergaſtula nautica Duplex.* { *Perpetua* & *Temporalis.*
6 *Temporalis non minor ſexennio.*
7 *Exemplum malæ damnationis ad triremes.*
8 *Non eſt iudicum commutare pœnas in ergaſtula nautica, niſi de expreſſa licentia Principis.*
9 *Cauſæ cur & quando mittantur ad ergaſtula nautica.*
10.11.13 *Qui ad triremes damnandi ſunt.*
12 *Commutantur ſolum pœnæ criminales in ergaſtula nautica.*
14 *Aliquando Principes concedunt aliis us ergaſtulorum nauticorum.*
15 *Ad ergaſtula nautica condemnati, quomodo tractandi, & cuius expenſis.*
16 *Iudicum officium in tranſmiſſione condemnatorum ad ergaſtula nautica.*
17 *Exemplum damnatorum ad ergaſtula, & eorundem ereptorum.*
18.19 *Pœna eorum, qui damnatos eripunt.*
20.21 *Cur, & quando agri paſſim opplentur vagabundis nebulonibus.*
22 *Condemnatio ad ergaſt. nautica, duobus maxime temporibus contingit.*
23 *Bella omnium malorum cauſæ.*
24 *Præcipua cauſa emiſſionis edicti de ergaſt. nauticis.*
25 *Reipub. intereſt prouincias à malis hominibus purgari.*
26 *Quæ debeant præcedere ante condemnationem ad ergaſt. nautica.*
27.28.29.30.31. *Diuerſa malefactorum genera, qui ad ergaſtula nautica condẽnãdi ſunt.*
32 *Qualificata crimina exemplari punitione plectenda.*
33 *Publicæ punitiones, quantum remedij præſtent.*
34 *Filiorum relegatio in ergaſt. nautica per parentes facta.*
35 *Miſerrima ergaſtulorum, & vagabundorum vita.*
36 *Exemplum cuiuſdam validi mendicantis.*
37 *Multi relegationem nauticam magis timent, quàm mortis ſupplicium.*
38 *Malefici ſeſe mutuo in ſyluis exercent perferendis tormentis.*

39 Iudices noſtri temporis neminem corporali pœna afficiunt, niſi confeſſum. &c.
40 In confeſſum non ſunt aliæ partes iudicis, quam in condemnando.
41 Multi malefici, torturas pro ludis habent.
42 Supplicij genus apud Germanos non infrequens dictum Gabiaecken.
43 Exemplum cuiuſdam oßifragati.
44 Exemplum aliud.
45 Condemnatio ad ergaſt. nautica morte naturali eſt terribilior.
46 Quidam ad nautica ergaſtula damnati illinc liberari recuſant.
47 Quidam ad perpetuos carceres damnati, illinc liberari recuſant.
48.53 An Iudicis authoritas per noua edicta Principum tolli poßit.
49 50 Quædam edicta Caroli Imp. 5. in vagabundos.
51 Puntio eorum Iudicum qui Principum edicta negligenter adminiſtrant.
52 Edictum Imperatoris de validis mendicantibus in violentos extortores, non in mendicantes ex neceſsitate promulgatum eſt.
54 Vbi eſt certa pœna à lege aut conſuetudine ſtatuta, non poteſt eam iudex augere aut minuere.
55 Facti queſtio in arbitrio eſt Iudicis, pœnæ perſecutio legis autoritati reſeruatur.
56 Duplici ratione impeditur Iudex, vt reum à pœna in iure ſtatuta liberet.
57 Iudex rei pœnam aut minuens, aut remittens reddit ſe ſuſpectum & conſcium eiuſdem criminis.
58 Edicta Regia ſtrictè obſeruanda.
59 Edictorum Regiorum vim in dubium vocantes inobedientiæ notam incurrunt.
60 Conſilium autoris de edicto promulgando in opifices vagabundos.
61 Opificij prætextus mala multa tegit.
62 Conſilium autoris ad impediendā mala & delicta noſtri ſeculi.
63 Edictū Regn Philippi de cōmutanda pœna corporali in relegationē ad triremes.
64 Idem edictum R. P. extenſum ad hæreticos.
65 Ab edicto excipiuntur, qui atrocia delicta patrarunt.
66 Qui ſint condemnandi ad ergaſt nautica ad tempus.
67 Interpretatio ad eam ſuperioris edicti partem, quæ de hæreticis adiecta eſt.
68 Hæretici pertinaces rei ſunt criminis læſæ maieſtatis.
69 Amictus ſeu veſtiendi ratio, qua vtuntur condemnati ad ergaſtula nautica.
70 Modus catenandi.
71 Victus ſeu alimenta nautica.
72 Dormiendi ſeu quietis ratio.
73 Quare remiges forſaires vocentur Italis.
74 Exercitia remigum cùm à remigando ſunt immunes.
75 Quælibet triremis peculiarem habet popinam.
76 Pecuium nauticum.
77 Delicta, quæ in triremibus committuntur.
78 Crimen traditionis.
79 Pœnæ ſeu ſupplicia in triremibus vſitata.
80 Inſtrumenta quibus coërcentur remiges.
81 Extraordinaria ſupplicia.
82 Aegrorum curatio in triremibus.
83 Mortuorum ſepulturæ.

Libertas

84 *Libertas seu emissio, ad tempus condemnatorum.*
85 *Precium pro emissione.*
86 *Trierarchus emittere recusans, quibus modis cogatur.*
87 *Qui raro difficillimeq; emittantur.*
88 *Eadem omnium condemnatorum conditio.*
89 *Trierarchi indulgentia, qua in nobiles diuitesque pro arbitrio vtitur.*



POstquam doctorum quorundã virorum mihi amicissimorũ atque perfamiliarium quotidianis interpellationibus sollicitarer ad nouam rursus huius libri editionem, tũ ob plurium exemplarium defectum, tũ ob sui desyderiũ quo à multis denuo desyderari videbatur: Nolui amicorum precibus tam honestis, nec studiosorum æquissimis votis, non morem gerere. Verum priusquã ad hanc editionem me accingerem: eundem librum noua lectione recognoscere statui. Quod cũ subciuis horis, per tẽporis, ociiq; inopiam vtcunque me perfeciſſe, existimassem ac plæriſque in locis, tum quę superflua videbantur, aut non satis arridebant resecando: tum quæ primis illis editionibus, non inuti ia, sed tamen festina,

ſtina,et præcipiti acceleratione omiſſa videbantur, addendo, lambendo, limandoq; recognouiſſem. Venit mihi(neſcio quomodo caſu) in mentem nouæ cuiuſdam punitionis criminalis alia præterea quędam ſpecies,à nobis in hoc opere prætermiſſa, interim tamen ad praxim hanc noſtram criminalem apprimè accõmoda & ſub-
1 ſeruiens.Ea † autem punitionis ſpecies eſt per quam homines nihili, erratici ſiue errones, ſine lare & ſine fide viuentes, incertisq; ſedibus oberrantes, aut alioqui perditi, noxij ac deplorati & nefarij nebulones et reipublicæ peſtes condemnantur ad ergaſtula,ſeu vincula(vt vocant)nautica,aut ad triremes.Sed priuſquã hanc materiam ingrediamur,operæpretiũ fore duximus, prius pro clariori iſtius intellectu diſcutere,ac aperire ipſum vocabulũ, qui vocẽtur & quales ſint eæ naues (vulgo Galeren) ad quas nebulones paſsim condemnari
2 conſpicimus. Eas autem † naues reperio vocari Latinè à quibuſdam actuarias naues, vt quæ non ſolum velis,ſed & remis facillimè huc atque illuc flecterentur,& agerentur. Marcellus L.2.ff.de Capt. Alij eaſdem vocãt naues longas. Galli verò ex ſuo idiomate *Gallees* ſeu *Galleres* vocant, fortaſsis à lingua Hebraica, quia galal (vti Hebræi mihi narrarunt) tantum valet quantum inuoluere. Inde gal cuius plurale eſt gallim,id eſt,aceruus fons,fluctus,vndarum inuolutio,inundatio.Galleres igitur dici videntur quod ab inundationibus ſeruent.Ab hac materia noſtra non alienum fore arbitror,ſi prius aperuero, vnde nauigandi,remigandiq; ars,& principiũ nobis defluxerunt, quibúſve nominibus tum naues illas appellauerint.
3 † Nauium itaque primum vſum alij Danao tribuunt, qui primus ex Aegypto in Græciam traiecit. Alij Iaſoni tribuunt, qui primus in Aegypto longas naues ædificauerit,quibus poſtea vſi ſunt, cũ prius fuiſſent vſi papyraceis,ac ſcirpeis,ſicut in Danubio lyntribus. tantum. Ego verò Nauiũ vſum primum referendum puto ad Noam,qui ob futurum diluuium iuſſus fuerat fabricare Arcam, quæ nauis quandam formam præſetulit. Quam quidem formam, quodq; inuentum alij poſtea imitati ſunt, ac varias ſibi conſtruxerunt nauium formas,iuxta varietatem quarũq; mariũ aut fluminum adiacentium,ęſtus,turbationes,aut ſedationes, deinde pro materiarum parabilitate. Vnde factũ videmus,vt alia regio alias naues habeat pro vario vſu, & etiam varias nomenclaturas, vt Cyrenenſes primo lembum, Phœnices cymbã,Rhodij celocem, Cyprij circerum, Illyrij ſcaphas. &c. Succeſſu vero temporũ hic nauium vſus multum auctus eſt, & commodiores paulatim confabricatæ naues,quibus Dędalus malos,& Icarus vela attribuerũt. Copas vero remos adiecit. A quorum remorum diſtinctis ordinibus, diſtincta ſunt & Nauium nomina. Dicuntur enim Biremes,triremes,quadriremes,et quinqueremes. Ab ingenti autem onere ferendo,aliæ dictę ſunt naues onerariæ.De his vide Plinium lib.7.cap.56. & Polydorũ Verg. lib.3 cap.15. Porrò aut triremes,aut quadriremes plęrunque ſunt ad quas damnari ſolent validi, inertesq; mendicantes, errones,& vagabundi, & quicunque alij nefarij malefici, de quorum punitione hic potiſsimũ agere decreuimus. Vt autem reuertamur vnde digreſsi ſumus, & nucleum rei aperiamus: Sciendum eſt igitur quotieſcunque aliquis pro ſuo delicto merebatur capitaliter & corporaliter, ita vt mors

ſequi

sequi debebat corrigi & puniri, licere iudicibus eundem maleficum vita na
4 turali donare, & † commutare pœnam corporalem mortis, seu vltimi
5 supplicij, in † perpetuam, aut temporalem relegationem in ergastula nautica, idque secundum exigentiam delicti aut secundum merita causſæ. Tẽ
6 poralem † quidem, sed non minorem quam ad sexennium. Ne scilicet acci-
7 dat talis aut similis difficultas † qualis non ita pridem contigit in hisce nostris regionibus de quibusdam ad ergastula nautica damnatis, qui quoniam non satis commeruerant, imo qui non tam enormia perpetrauerãt vt ad vincula nautica perpetuò condẽnandi forẽt, ad ergastula nihilominus naualia condemnati fuerant ad tempus duorum, trium, aut quatuor annorum, & ad triremes vincti mittebantur. Verùm postquam eò, perueneratt Monarcha, siue patronus nauium cognoscens sententiam duorũ, ac trium annorum tantum datam, eosdem condemnatos recusabat atq; ad ipsorũ Iudices remisit. Quod pro mancipatione tam paucorum annorum non poterat satis resarcire dam num, & sumptus, quos ferre debebat pro aduehendis, & auehendis ijsdem damnatis. Quocirca ne quando tam perditi sumptus orirentur, aut ne huiusmodi sententiæ redderentur illusoriæ, statutum fuit edictis Caroli quinti Imperatoris, & Regis Philippi eiulgatis annis 1554. 1556. & 1561. ne vlli amplius condẽnarentur ad vincula nautica minori tempore, quam sex annorum. Et vbi delicti enormitas non esset tanta vt relegationẽ sex annorum non posceret, voluerunt eosdem potius tunc puniri alia corporali seu exemplari punitione, quã per prædictam coërcitionem ad vin-
8 cula aut ergastula nautica. † Sed interim sciendum est Iudices non solere huiusmodi ferre sententias, aut vti tali pœnarum cõmutatione, nisi expresso edicto, aut diplomate Imperatorum, Regum, Principum & similiũ, ipsis mandatum fuerit, vt pœnas capitales seu vltimi supplicij in dictas pœnas nauticas conuerterent. Idq;
9 † fere accidere solet, quoties Principibus visum est cõparare & instruere certum aliquem numerum triremum ad expeditionem bellicam. Ad quas triremes instruẽdas, & agendas opus est validis atque robustis remigibus, quales in illis locis maritimis non tam facile comparantur, vt saltem in ijs locis nõ suppetit tanta mãcipiorum copia, aut multitudo, quanta replendę classi sufficiat. Diplomata igitur tunc emittunt, quibus ad omnes passim Iudices, & officiarios superiores, ac principaliores literas dimitti edicunt (qui postea scribant ad omnes alios iudices & Officiarios subalternos, siue illorum iurisdictioni subiectos) eisdémque Iudicibus, autoritate sua interposita, atque licentia iniungunt, vt statim & sine mora cum summa diligentia curent corpo
10 raliter apprehendi realiterq; † citari omnes et quoscunq; vagabundos, vagos errones, & sine certis sedibus passim vagantes, nec non ganeones, nebulones, mendicósque validos, sine pudore vicatim mẽdicantes, & similes reipub. fæces inutiliáque pondera terræ. Itémque † milites exauthoratos, & post missionem diu per
11 agros, & rusticos grassantes. Hos inquam omnes ocius comprehẽdi tutóque carceri committi iubent, & vt actionem coram Iudicibus cõpetentibus, & contra illos secundum Cæsareæ, Regiæq; Maiestatum & edicta & diplomata procedant. Idque summariè, & sine strepitu iudicij, id est,

12 ſine formali iudicio. Et vt † pœnas vltimi ſupplicij commutent in prædictam relegationis pœnã: (niſi delicti aut criminis enormitas deſideraret exemplarẽ coërcitionem, legalẽ, ordinariam, extraordinariam, aut ſtatutariam pœnam) Verum hic opus eſt prudentia, ne Iudex ſecundum tale diploma Principis quoſuis præter delictum ad talem relegationem
13 condemnet, ſed † tantum robuſtos ac fortiſsimos quoſque et triremium laboribus aptos, & idoneos. Nullo modo autem infirmos, debiles, mutilos, mãcos, decrepitos, inſanos, phreneticos, aut ſimiles, quique ob ætatem, aut corporis infirmitatem, atq; vitium aliquod nauticis laboribus vſui eſſe ac ſufficere nõ poſsint, quẽadmodum enim non omne lignum ad ædificandum, aut ad ædificationẽ eſt aptum: ita non omne genus hominum deploratorum, ſiue maleficorũ aptum aut idoneum eſt ad condemnandũ ad ergaſtula aut vincula nautica. Quocirca tales inutiles condemnandi ſunt non ad relegationem nauticam, ſed alia pœna, ſecundum delictorum rationẽ, & ſecundũ id quod ius poſtulat & requirit, & iuxta leges ſcriptas, aut iuxta locorum conſuetudines, aut Principum edicta, ſiue capitaliter, vt mors ſequatur, ſiue citra mortem. Contingit tamen aliquando, quod Principes huiuſmodi biremibus, aut triremibus nõ indigeãt ad
14 inſtructionem claſsis: † ex alia tamẽ cauſa, aut ex gratia ſpeciali beneficiarijs aut ſuis, aut exteris, aut etiã mercatoribus, tã exteris quàm ſuis permittant certum mancipiorum numerum conquirere, quæ ipſis in vinculis & laboribus nauticis, aut ad certos annos, aut ad mortem vſque ſeruiant, ſine vlla liberationis, aut reditus in patriã ſpe. De his quoque idẽ faciẽdum eſt, quod de ſuperioribus. Nempe vt qui ad tempus ibidem cõdemnantur, ad ſexennium duntaxat
15 condemnentur, & condemnati † ſtatim ſunt tradendi arcẽ cuſtodiæ, vbi ſecundum Iudicum & Officiariorũ diſcretionem frugaliter erunt alendi. Poſtea ſtatuetur certus dies, quo tranſmittendi erunt viriliter veſtiti ad certum aliquem portum, in vincula nautica cum formula condemnationis authentica. Sed in hac tranſmiſsione requiritur, ſumma Iudicũ diligentia, vt tuto ad eum deſtinatũ portum perducantur. Quo poſtquã peruenerint excipiẽdi ſunt ab ijs quibus eius rei commiſſum eſt negotiũ, nempe à claſsis præfecto, ſiue patrono, & mox ducentur ad naues, vt inde vehantur ad deſtinatas biremes, triremes, aut quadriremes. Atque tũ ijdem iſti commiſſarij iudicibus noſtris, aut ipſorum commiſſarijs tunc præſentibus exoluent omnes veſtimentorum & ferramentorum ſumptus. Item expenſas pro deductione à loco carceris vſque ad locum deſtinatum, portum, ſeu nauem exoluent, nempe ſingulis diebus vnicuique ſatellitum quinque ſtuferos. Et pro vnoquoque captiuorum ſingulis diebus duos ſtuferos. Reliquos vero ſumptus, quos Iudices pro ijſdem vagabundis prius expenderunt, eos recuperabunt ſuper executionibus ſententiarum officij, & in computum rationalem referent. His omnibus
16 peractis † debẽt officiarij ſtatim Principi ſiue Curiæ ſignificare totum rei geſtæ ordinem, atque diligentiam, in eo negotio adhibitam, ſimulq; præſcribere numerum cõdemnatorum cum ipſorum nominibus & cognominibus. Dixi autem paulo ante huiuſmodi condemnatos cum ſumma diligentia, ac tuto ad deſtinatum portum

tum esse perducẽdos, ob exemplum, quod nostra memoria contigit, scili-
17 cet. † Nonnulli vagabũdi ad vincula nautica condẽnati, producebantur à satellitibus ad portum destinatum, illinc viterius mittendi in ergastula præparata, in Ciuitate autem quadã, per quam forte illis iter erat, per maleuolos quosdã vi, atque armata manu fuerunt intercepti, è satellitũ manibus extracti, atque in libertatem, seu fugam potius emissi. Vnde factũ est, vt sententiæ in dictos ergastularios latæ executio fuerit impedita, ipsaq; condemnatio reddita illusoria, summacũ magistratus, iuris, iustitiæq;
18 contemptu. De † hoc facto autẽ quæri posset, qua pœna, quóve supplicio huiusmodi violenti extractores sint afficiendi? Omissis itaque tam delictorum, quam pœnarum exaggerationibus, ego eosdẽ extractores existimo capitaliter esse puniendos, argu. L. 1. ff. de effractorib. & expilat. & L. Ad commentariensem. C. de custo. reor, atque glossa singulari ibidẽ,
19 in verbo, qui fugerit. † Aut certè si quis eos mitius punire velit, ego eos puniendos esse puto ijsdem pœnis & supplicijs, quibus ijdem fugitiui fuissent affecti, si ipsos non eripuissent nempe eadem ipsorum relegatione in eadem ergastula seu vincula nautica. D. L. Ad commentariensem cum
20 d. gloss. in verbo qui fugerit. Sicut puniendi sunt Commẽtarienses aut Carcerarij, qui captiuum crimine notatum, sua, vel suorum incuria, negligẽtia aut ebrietate carceribus effractis sinunt effugere, obnoxij enim fiunt tales carcerarij ijsdem pœnis, mulctis, & supplicijs, quibus ipse fugitiuus, siue capitalibus, siue ciuilibus, idque ad arbitrium Iudicis, sicuti & supra meminimus cap. 17. Titu. de Carcerarijs. † Cæterũ hic libet ex-

plicare tempora, causas, ob quas huiusmodi vagabundis agri passim op
pleantur quos ad triremes relegari
21 conspicimus. Tanta † igitur vagabũ dorum, erronum, perditorumq; hominum colluuies primo abũdare cõspicitur temporibus fœlicissimis, post longam & tranquillam pacem, & rerum omnium vbertatem, annonæ fertilitatem. Tunc enim populus licentiore vita, delitijs ac omni voluptatum genere eneruatus ac pene dissolutus, ad ocia, & ad inertem vitã conuertitur, labores aspernatur, & honesta quæque exercitia (quibus vita humana firmatur, & vegetior redditur) fugit, & exosa habet, sese delitijs, compotationibus, poculis, choreis, reliquisque voluptatibus totos tradunt. Abliguritis vero pecunijs, ad furta, rapinas, & ad latrocinia se cõuertunt qui se honestis studiis dare nõ possunt. Iuxta illud Ouidij. Luxuriant homines rebus plærunque secundis, Nec facile est æqua commoda mente pati. Hinc fit vt multi huiusmodi licẽtia, atque rerum omniũ, voluptatumq; varietate soluti, & à laboribus auocati discurrant, & vagentur regionatim, oppidatim, atque ostiatim emendicent, rapinis, latrociniisq; sese exercent, non secus, quam si Principũ edicta & Iura passim tor
22 pescerent. † Secundo vero tantã vagabundorum ac erronum colluuiem per agros passim grassari cõspicimus post bellorum confectionem post pactas inducias, aut post proclamatam pacem. Soluta enim militia, non pauci milites à stipendijs militaribus plærunque prærer spem exauthorati, cũ se domum ad labores opificium suũ exercituri referre deberent, quo coniugibus, liberis, familiæ, & amicis victum pararent, passim errabũdi oberrant, miseros rusticos grauant, & oppri-

opprimunt quotidianis furtis, cædibus, latrociniis, adulteriis, lenociniis, stupris, rapinis, incendiis, sacrilegiis, aleis, similibusq; nefariis ausis sese cõ
23 taminant ac potius perdunt, ita † vt non putem vllum scelus excogitari posse quod bella nostra tam execrandа non pariant. Hæc dum mecũ penticulatius mente pertracto, mirari satis non possum, quid mentis habeant nonnulli Principes nostri Christiani, qui interdum ob res tam leues, & tolerabiles, tam dira atque furiosa in fratrem Christianum non verentur suscipere bella, vnde tantorum malorum oceanus in fœlicissima regna plærunque exundatione perrumpit.
26 Profectò de huiusmodi Principibus (penè perniciebus dixeram) nil aliud diuinare possum, quam eos esse aut stolidos, aut insensatos, aut atheos (licet titulo, verboq; tenus Christianissimi iustissimiq; haberi velint) qui suis moribus testentur, se non credere Deum nusquam non præsentem esse suarum actionum inspectorem. Aut certè crediderim Deum eos tradidisse in reprobum sensum, vt tam obstinatè contra fraternam Christianamq; concordiã militare & infesta signa ferre non reuereantur, seseq; obcæcatis animis præbere flagella, quibus Deus ad suorum probationem, aut correptionem prorsus abuti videtur. Quam execranda autẽ sint huiusmodi Christianorũ bella, quãq; fœda, quamque indigna Christianis Principibus, & scandalosa illis, qui à nostra religione, ac fide sunt alieniſsimi, luculentissimè nobis declamauit ter maximus ille noster Erasmus Roterda. in libello suo de Querela pacis. Sed & nos quoque nonnulla mala, quæ ex bellis oriuntur, supra capite 82. De bello meminimus, & singulorum maleficiorum punitiones sparsim expressimus. Sed ad intermissa redeo. † Quod Principes interdũ
24 edicta euulgant, quibus vagabundos, & maleficos ad ergastula nautica condemnari volunt, præcipua cau
25 sa hinc oritur, quod † reipublicæ interfit regiones seu prouincias passim purgari maleficis, nempe vt boni ciues, & agricolæ quietam, & securam vitam vbique tutò peragant. Insigni. L. Cõgruit. ff. de offic. præsid. L 2. C. quando licet vni sine Iud. se vindi. vti meminimus supra in nostro procemio. Vt autem Iudicibus atque Officiariis omnibus ad hanc condemnationem nauticam certa prius præparetur via: † Sciant ijdem Officiarij
26 sibi opus esse certis inquisitionibus, & obseruationibus potius quibus vtantur ad hanc nauticam missionẽ. Primo ipsis obseruandum est, quales oporteat esse, quos cõprehẽdi, quosque ad triremes mitti dignos existiment. Hi autem sunt varij. Principio
27 † comprehendi, ac ad nautica vincula mitti possunt omnes vagabundi, errones, & quibus nulla certa habitationis sedes est, quiq; validi sunt mendicantes, fortes, robusti, & ad victum & amictũ interim parandũ habiles et
28 idonei. Sũt † his et alii aliquãto peiores. Nempe, quos vulgo vocamus **Verloren Cremers / verloẽ Schoenlappers ende Ketelaers.** Qui sub prętextu opificii sui & ex consuetudine intrant in villas & ædes, quærẽtes ibi quod agant seu operentur. Cumque nihil operis ipsis traditur, mensæ nihilominus non secus quàm familiares ac domestici accumbunt, nolentes illinc abscedere, neque ædibus egredi, nisi egregie pasti, & probe poti, habentes non raro sibi adiunctã meretricem aliquam, aut concubinam vnam aut alteram. Atque his non cõtenti oblata occasione in absentia patris fami-

tris familiâs, aut matris familiâs, famularum oppugnant pudicitiam & quę possunt clam surripiunt, aut per sua scorta auferri satagunt, ita vt illinc nemine aut obseruante, aut non obsistente sæpe exeant alienis bonis onustiores, quàm intrauerant. Sunt
29 † præterea & alij superioribus non parum nocentiores, ac deteriores, nempe exauthorati milites, qui armati vicatim, & ostiatim mendicantes oberrant, seseq; pro militibus gerunt, eoq; prætextu sese in quorumlibet ædes ingerunt, cibum sibi potumq; apponi postulant. Posteáque probe refecti exigũt præterea in viaticum nummum, quo inde vlterius scilicet progrediãtur, agricolis & monasterijs infestissimi, qui quidẽ ad vnum omnes, apti sunt & digni, qui ad ergastula seu vincula nautica, con
30 demnentur. Sunt † item & alij, quos non inepte Mercuriales fures appellaueris, qui cum noctu, tum interdiu frumentum, triticum, hordeum, auenam, linum, idq; genus alias fruges ac segetes in agris hortisq; dextero
31 Mercurio deprædantur. Sunt † alij, qui in nemoribus, atque etiam pascuis, ac saltibus nouellas & adhuc crescentes plantulas, viminá, aut vetulas, atque virgulta, & arbores succidunt. Hi omnes, hisq; persimiles, qui veluti inutilia reipub. membra passim comprehendi, & ad ergastula nautica damnari, & exterminari pos-
32 sunt. Cæterũ † sceleratissimos quosque fures, latrones, raptores, homicidas, incendiarios, parricidas, patriæ proditores, falsos monetarios hisq; similes, ego ergastulis nauticis indignos censuerim, sed eosdem potius in exemplum aliorum (quod de maleficis sumere pœnas, maximi mali sit euitatio, teste Platone, de repub.) plectendos esse secundum leges, secundum iura scripta, iuxta edicta Principum, aut secundum consuetudines locorum in quibus capti sunt, aut captiui detinentur, de quibus punitionibus capitulatim supra aperte meminimus. Publicæ † enim huiusmodi punitiones nocentiores interdum resipiscere cogunt, à maleficijs cohibent, & sceleribus alioqui committẽdis præsentaneum antidotum præbent. Neminem enim mortalium (sanæ mentis) vnquam fuisse puto, qui asseruerit maleficia non esse plectenda, neque à noxijs vnquam sumenda supplicia. Castigare enim noxam oportet non ob præteritum delictum, cum id corrigi nequeat, sed ne iterũ licentius peccet, tum ne ipsius exemplo cæteri quoque peccent liberius. Punienda ergo sunt maleficia, vt vnius pœna metus possit esse multorũ, memoratu digna. L. 1. C. ad l. Iul. repet. & notab. L. Capitalium. §. Famosos. ff. de pœnis. Sunt † præterea &
34 alij Triremibus digni. Nempe quorundam proborum parentum perditi filii parum morigeri, rerum suarũ prosuliissimi, aleatores, scortatores, temerariiq; pugnatores, qui & parentes, & seipsos tot tantisq; implicant & impediunt curis & miseriis, vt suis peruersis moribus prematuram non raro parentibus mortem accelerent, aut certe si mortis occasionem non præbeant, saltem post omnes paternas correctiones, admonitiones, atq; castigationes salutares frustra susceptas, tandem ad hoc seuerius & extremum correctionis & animaduersionis genus inuiti cogantur descendere: suorumq; liberorum salutem, quasi fortunæ arbitrio committere, nempe, vt cum Trierarcho certo pacto conueniant de mittendis suis filiis in vincula nautica ad biennium, triennium, aut quadriennium, cer-

tumq; pro ipſorum expenſis perſoluant pretium, vt vel hoc correptionis remedio corrigantur, & reſipiſcere diſcant, ad ſaniorem mentē, & ad mores meliores redeāt, qui ſeſe prius incorrigibiles præbuerant. Atque hoc remedium tam ſeuerum à mititate tamen paterna profectum aliquando tam præſentaneum, & ſalutare fuiſſe certa experientia didicimus, vt quidā qui ad annos aliquot huiuſmodi pœnę genere fuerint coërciti, tandem facti ſunt non modo meliores, verum etiam ad maximas atque præcipuas dignitates euaſerint. Quod profectò diuinæ prouidentiæ Chriſtique clementiæ ferendum eſt acceptum, quū plærique alii in nauticis ergaſtulis nō ſolum non ſint redditi meliores, vt etiam effecti ſint decuplò nequiores. Quod nulli mirum videri debet, qui in tam prauorū contubernio tot annos conuerſati fuerint. Veriſimum enim eſt illud Dauidis Pſal. 17. Cum ſancto ſanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris. Et corrumpunt bonos mo-
35 res, conuerſationes prauæ. † Miſerrima igitur & omnium deploratiſsima eſt iſthæc ergaſtularia vita, vbi tam ægrè emendantur nebulones nefarii: Neq; minus, miſera vagabundorum, & validorum medicantium vita, ex qua ad ergaſtulariam vitam merito eripiuntur, tametſi ipſis vagabundis longe ſecus videatur, vt ſuam vitam regalem, ac ſardanapalicā potius exiſtiment. † Referam hac de cauſa exem-
36 plum memorabile: Iuuenis quidā magnam florentis ſuæ ætatis partem in miſera atque calamitoſa mendicitate conſumpſit, qui cum pauper & inops per omnes terrarum angulos peruagatus diu oberraſſet, tandem in relicta patria opimā ſatis hæreditatē adeptus fuit, ſcilicet hæreditatem bis mille aureorum, quæ ad ipſum pro parte ſua, lege atq; ſucceſſionis iure redibat: Accitus itaq; ex Italia vbi tū temporis turpem, miſeram, atq; inopem vitam traduxerat, ab iis, quibus à defuncto, teſtamenti, voluntatiſque ſuæ cura, atq; executio erat commiſſa, atque in patriam reuerſus, honeſtis continuo (pro mutatæ fortunæ facultatibus) veſtibus induitur, ad proborum virorum conſortia perducitur, inque tanto fortunæ ſplendore triumphat, & paſsim dominum agit locupletiſsimum, cōuiuia inſtruit, ludit aleam, potitat ſtrenuè, ſcortatur, & vere Acolaſtum agit, omniq; voluptatum genere ſeſe contaminans, nō deſtitit prius quàm omne patrimonium abliguriēdo abſumpſerat: Rebus itaq; ſuis omnibus ad hunc modum turpiter intra annum profuſis, ad pannoſas ſuas veſtes priores, & ad intermiſſam ſuam mendicitatem redit, lætus cantillabat, nullāq; non hilaritatis ſigna exhibebat: quod ſibi tanta libertas atq; copia eſſet data, redeūdi ad priſtinas ſolitę ſuę vitę ſordes et miſerias, à quibus, diuitiarum pōdere grauatus, pri⁹ fuerat abduct⁹ & præpeditus. Poſtquā aūt hoc ipſius ſtolidū factū multi probi atq; honeſti viri grauiter culparēt & reprehēderēt, eiusq; prodigā & deploratā vitā prudēter taxarēt, præſertim illi, q; eū ex Italia euocarant, hilari admodum facie incunctanter reſpondit: Fœlicio rem potius atq; beatiorem tūc ſe eſſe exiſtimandum, qui vitæ genus tunc longe ſecurius atque cōmodius (nempe curis ærumniſque huius vitæ maximè vacuum) elegiſſet, cū quo non ſit aliud vllum viuendi inſtitutū vlla ex parte conferendum. In quo (inquit) mendicitatis ſectatores totum terrarum orbem lęti, ſecuri atq; nullo ſuo

lo ſuo ſumptu aut incommodo perluſtrant, quique contenti modo in hoc, modo in illud ſeſe hoſpitale conijciunt, vbi gratis delicatè nutriũtur, vbi etiam ad omnem explendam libidinem omnis generis ſcorta reperiunt. adeo vt nihil eis deſit, quod ad voluptatem (in qua ſummum huius vitæ bonum conſtituunt) pertinere videretur. Qui poſtquam tali encomio, vitæ ſuæ genus, eiúſque ſectatores extuliſſet atque beaſſet: ad eandẽ mendicitatẽ rediit, non ſecus, quã canis ad vomitum, aut ſus ad cœni volutabrum. Qui ſi hodie in ea ætate, & robore corporis, quo tum temporis erat, adhuc ſupereſſet, is non vnis ergaſtulis dignus eſſet. Quæ ipſi tales mendici non ſecus quàm mortẽ habent exoſa, † adeo vt plærunque de-
37 collationem ergaſtulis nauticis præferant. Ratio, & cauſa hæc aſsignari poteſt, quod multis leuior videatur, (ob moriendi neceſsitatẽ) mors quę-
38 uis ſubita quàm illa nautica tã diuturna, tótque ſupplicijs aſsiduis excarnificata. Et ſi diuerſum ſentiãt qui non ita diu vagabundorum conſortia frequentarunt, quíque in ipſo impuræ huius vitæ limine in Iudicis manus poteſtatémque, gladio, furca, igni, aut alio huiuſmodi ſupplicio plectendi, deuenerunt. Iſtis enim cor nondum eſt obfirmatum, neque induratus animus ad extrema vitæ ſupplicia ſine metu & timore perferẽda. Sunt tamen alij innumeri, qui diutino huius generis errorum ſeu nequam & flagitioſorum hominũ cõgreſſu, vſu, & familiaritate quandam ſibi malefaciẽdi aſſuefactionẽ atque habitum compararunt. Qui quoties ipſis eſt aliquid temporis vacui, à depræ dationibus, atque à latrociniis, (ne nihil agant, néve à ſceleribus vacent aut ferientur) non abſtinent. Et interim cũ conſortibus ſuis ſiue nequitiæ ſociis, aut potius magiſtris & præfectis, † in ſyluis, locíſque ab hominum frequentia ſecretis ſeſe mutuo exercent virgis, cordellis, aqua, idque genus aliis tormẽtorum modis, vt comprehenſi aduerſus torquẽ di quæque genera ſint confirmatiores, ac obſtinatiores. Hinc ſæpe ſit, vt dum torquentur, taciti, & immoti, non ſecus quã Marpeſia cautes, tortu ras omnes, quæſtionéſque ſufferant, éque iudicum manibus ſontes ſæpe ita torti elabantur, ferè enim pro more habent huius noſtri tẽporis in-
39 feriori Germania, tribunalia, † vt neminem afficiant corporali pœna, niſi prius aut vltro ante torméta, aut inter quæſtiones delictum confiteatur, & in eadem cõfeſsione à quæſtionibus liberè remotus permaneat. Qua quidem iterata confeſsione peracta nulla amplius cadit appellatio. In cõ-
40 feſſum † enim (quòd in iure pro maxima obſeruatur) non ſunt aliæ partes iudicis, quam in condẽnando. L. Proinde. ff. ad L. Aquil. L. finali. 1. reſponſo. ff. de cuſtod. reo. & L. Cum reis. C. de pœnis. de quo ſupra latius memini. cap. 34. Titu. de reſpondẽdo pede ligato, numero 5. Huiuſmodi autem deploratorũ hominum Principes, ſiue potius archidiaſcali efficiuntur illi, qui ſæpius comprehenſi atque poſt varia torturarum genera fortiter & conſtanter tolerata, tandẽ tamen ob præfractum, obſtinatúm-
41 que ſilentium euaſerunt. † Nam huiuſmodi torturas pro ludis, & iocis tandem habentes, iterum ſe peſsimo vitæ generi dedunt. Hi itaque fidentes animis, atque in vtrunque parati, Seu verſare dolos, ſeu certè occumbere morti, vt ait Poëta. Hi inquã vbi ſunt comprehenſi mortem pro nihilo ducũt. Si enim gladiis colla prę-

benda ſunt, alacres ad mortem tam momentaneam accedunt, atque ventum chalybeum ioco appellitant. Si verò ſuſpendio vita terminãda fuerit, iugulum ſacculi inſtar conſtringi ridendo dicunt, atque momento vitam extingui. Si verò igni puniendi ſint, aut prius ſtrangulantur, quam flamma immittatur (quòd ſuſpendio vix eſt grauius,) aut viui exuruntur. (quod maximè formidandũ eſſe videtur.) Parum tamen hoc ſupplicio terrentur, quod ipſorum memoria fumo, flammáque ſuperueniente ſtatim deficiat, ſpiritus{que} ſuffocetur. Eáque de cauſſa mali totius ſenſum breui temporis ſpacio, vna cum vita amittũt. Porro ſi qui propter delictorum atrocitatem ferrea catena ad palum religentur, paruo lentóque igne circum extructo, aut ferreæ caueæ, ſubiectis flammis, includantur, vt pœnæ magnitudo metum mortis & ipſis, & aliis adaugeat, ne iſthæc quidẽ ſupplicij ſeueritas ipſis tam eſt formidabilis, quam eſt ergaſtulorum nauticorum durabilis & perpetua calamitas. Suppliciorum enim grauitas temporis breuitate ſtatim finitur, ergaſtulorum pl⁹ æquo eſt diuturnior.

42 Quod ſi meruerint illud horrendum & fere † inhumanũ ſupplicij genus, dictũ Germanicè **Radbraeckẽ**, Latinè oſſifragiũ, vel rotifragiũ, vt ipſorũ oſſa mẽbratim (quod fit in brachijs, ſcapulis, pectore, dorſo, collo, fœmore, ac tibijs luxatis) & confringantur, rotæq{que} impoſiti in altũ ſufferãtur, vt ibi vino & pane appoſito (quibus tamen vti non poſſunt) intollerabiliori pœna, ſiti videlicet & inedia tandem intereant, & conficiantur, ne hoc quidẽ ſuppliciorum genere perterrentur: quum per ea ſuis miſeriis cito finem impoſitum iri credant, quod tamen ſupplicij genus ob pœnæ enormitatẽ atque inhumanitatem ſupra modũ humano ingenio terribile videtur atque extimeſcendum, ſuperuiuunt enim nonnunquã. 5. 10. 15. 20. imo interdum. 24. horis, vt nonnulli latrunculatores multiſcij & experti nobis

43 aliquando narrarunt. Et ſimile † exemplũ recitare ſolebat Comes Naſſonius Henricus Caroli V. Impe. Archicubicularius de Iudæo quodam Auguſtæ hoc ſupplicij modo ob grauiſſima delicta, affecto: Cui cum non poterat perſuaderi, vt præuia peccatorum confeſsione ſe morti iamiam imminenti præpararet, rotæ fuit impoſitus. Poſtquam autem aliquot horas ibi moriens conſediſſet, conſpiciens forte mercatores aliquot ad vrbem properantes continua pluuia & imbri madefactos & eoſdem ad ſeſe conuocans, orabat vrbis Antiſtiti vt nunciarent paratum ſe eſſe peccata (vti hominem decebat Chriſtianũ) confiteri. Cumque ad locum Antiſtes reuertiſſet cum magna populi caterua ad rei tum nouitatem tum ſpectaculum excitata deridere aduenientes multo maxime cœpit, & ludificari, ínque propoſito pertinacius permanſit. Rogatus verò, cur tandem illuc eos euocaſſet: Nimis, inquit, commodè agebatis veſtris in ædibus, ego verò in maximis ſum miſeriis & ſupplicijs. An ne decebat pœnæ huius meæ aliqua ſaltẽ ex parte vos quoque fieri participes? Aliud quoque exemplũ referre ſolebat

44 idẽ de alio † quodam, qui vbi cũ fractis, atque diruptis oſſibus rotæ aliquamdiu inſediſſet, fortéque equitẽ quendã prætereuntẽ cõſpexiſſet eundémque miſera & plorabunda voce ad ſeſe cõuocaſſet, rogabat vt ipſi poculũ cereuiſię porrigeret. Cumque eques id nõ facile poſſet, neque ob rotæ altitudinẽ ex equo eo pertingere:

consuluit maleficus vt eques in pedes se in equi sellam erigeret. Quod vbi eques precibus & cõmiseratione supplicis permotus, feciſſet, maleficus nolarũ ſtrepitu (quæ fere ex more hoc ſupplicij genere affectis adiunguntur) hominem & equũ adeo terruit, vt de ſella equi in terram lapſus decideret, & eo caſu ſuam tibiam frã geret. Sceleſtus verò inter medios cruciatus, & iamiam morte ingruente, tantũ facinus perpetrare adeo nõ metuit, vt benefactoris infortunium etiam rideret, & læſo cachinnis inſultaret. Ex quibus exẽplis manifeſtum euadit, quã parui faciant multi grauiſſima quæq; mortis ſubitanea ſupplicia, quæ à Iuſtitia inferuntur. Qui verò ad nautica vincula aut perpetuo, aut ad longius aliquod tempus damnãtur: ij ad vitæ vſq; terminum, in grauiſsimis miſeriis & ęrũnis nulli nõ ſeruitutis generi mancipantur.

45 Adeo vt hæc † mors ciuilis nulla nõ morte naturali ſit terribilior. Cũ enim indies mori videãtur, nunquam tamen ſæpe ſperata atque implorata morte frui cõtingit. Vniuſque mortis loco millies moriũtur. Quod quidẽ mortis genus tã ſępe repetitę, propter pœnarũ aſſiduitatem improbos quoſque & facinoroſos homines maximo, atq; extremo metu territat, & exanimat: maximas aũt infinitas, atq; adeo intollerabiles eſſe triremiũ miſerias, et calamitates ſatis ſupérq; indicat vetus hoc prouerbiũ, Qui vitę triremicæ deſiderio tenetur, eius voto Deus aſpiret. Quo vti conſueuerunt, qui ex vinculis ſeu ergaſtulis nauticis

46 euaſerũt Scimus † nihilominus inuẽtos fuiſſe nõnullos ad perpetua nautica vincula dãnatos, qui cũ annos aliquot in illis miſeriis operã ſuã atque ſeruitiũ pręſtitiſſent, vt ob diutinã operam fideliter impẽſam libertate & miſsione digni viderẽtur, eã tamen libertatẽ ſeriò recuſabant, et in ergaſtulis ſuis ſeruire, quam liberi eſſe malebant: tũ quod laborũ & miſeriarum vſu & aſſuetudine eſſent indurati, adeo vt iã eis leuia eſſent reddita atque dulcia, quę aliis grauia atque intolerabilia videãtur. Tũ quod neſcirẽt, cui ſe vitæ generi dederẽt, ſi in libertatẽ euaſiſſent. Atque vt maximè alicuius eſſent artificij periti, quo ſibi victũ parare cõmodè poſsint, nõ dignarẽtur tamẽ illud ob laboris tędiũ quo maximè capiũtur, exercere. Aut forte metuebãt, ne poſtea rurſum ad eadẽ, aut grauiora crimina relaberentur, vti ſæpe experientia didicimus.

47 † Quod etiã memini ab ijs factũ, qui ad perpetuos aut ad diuturnos carceres fuerũt dãnati qui poſtq; magnatũ precibus gratiã obtinere potuiſſent, eadẽ tamẽ gratia frui nolebãt, q; non ſcirẽt q; vitæ inſtitutũ, è carcere liberati, arriperẽt, quin potius metuebãt ne ad eundẽ denuo impingerent lapi dẽ. Easq; ob cauſſas prętulerũt libertati ſtrictos & ſordidos carceres. Sed exiſtimo talium pauciſsimũ eſſe numerũ. Poſtquã aũt ſumus hic in materia edictorũ ſiue diplomatum ab Imperatore, Rege, Principe & ſimilibus emiſſorũ ad oẽs et quoſcunq; primarios Iudices & magiſtratus officiarioſq; ordinarios (quorũ munus eſt, poſtea idẽ trãſcribere et ſignificare omnibus alijs ſubalternis ſeu ſecundarijs Iudicibus,) quibus edictis tenentur & obligantur, morẽ gerere ſeſeq; ad eadẽ cõponere, et accõmodare, nõ præter rẽ me facturũ arbitror ſi hoc loco præcipuas aliquot clauſulas in huiuſmodi edictis adhiberi ſolitas recenſuero, vt ex ijs inſpectis, certius &

48 facilius poſtea cognoſcãt, † an per talia edicta, eorũq; formulã & iuſsiões officiũ Iudicis ſublatũ eſſe ſubuerſum-

ſumq; videatur, an nō? Exēpli igitur
49 gratia, ponemus † diploma Imperatoris Caroli Quinti pię memorię datum Namurci. 18. Septēbris an. 1542. Quo vagabundis & malefactoribus tum erat cōſtituta pœna furcę, aut patibuli per Iudices imponenda, ipſisq; paſsim obſiſtendum eſſe, etiā ſonitu cāpanæ (ſi res poſtulet) aut alio quouis modo cōtra eos procedendū eſſe. Iubētq; vt illud edictum ſtrictè cōſeruetur, adeo vt eius trāſgreſſores ſine gratia, ſimulatione, aut fauore, grauiſsimis pœnis dānandos ſtatuat. Eſt &
50 † aliud eiuſdē Imperatoris Bruxellæ datum 3. Februarij eodē anno. 42. ſuperiori nō diſsimile. Quo iniūgit, omnib⁹ in vniuerſum iudicibus, decurionib⁹, vulgo ſcabinis et ſimilib⁹, tā ſuę, quā beneficiariorū ſuorū iuriſdictioni ſubiectos, vt ſummo ſtudio, opera, & diligētia incūbant apprehēdendis, capiēdisq; facinoroſis & nequā hominibus, in quos edictū cōſtitutum eſt. mulctāque indicit Iudicibus grauiſsimā, qui quod ſui in hoc muneris eſt, negligenter reperiātur adminiſtraſſe.
51 † Eos enim abrogat magiſtratibus et officiis, et in poſterum à munerum et honorum functionibus arcer, & veluti indignos ꝓnunciat: pœnā inſup irrogat arbitrariā, & condēnat ad dānorum æſtimationē reſtituendam & perſoluendā, quæ accidere poſſent, è fuga, aut euaſione eorundē facinoroſorum. Poſtea edicit & præſcribit omnibus Iudicibus, decurionibus, & magiſtratibus, (corā quibus adminiſtri aut procuratores Imperij, aut eius beneficiariorum deferent, accuſabūt, & iudicio ſiſtent eoſdē vagabundos, & facinoroſos, ſub edicto hoc cōprehēſos) vt ꝓcedāt ad condēnationem capitalē & crīminalē eorundē trāſgreſſorum ſiue malefactorū ſimulátque ipſis liquido cōſtiterit illos huiuſmodi perpetraſſe facinora, nēpe † ſi cibū, aut pecuniā à villicis (nō dico gratioſe mendicaſſent) ſed vi & minis extorſiſſent, nō perſoluto precio. In illos enim hoc edictum potiſsimum & nominatim eſt promulgatū, etiā ſi illi lę ſi, aut iniuria affecti nō cōquerantur, neque actionē eis intentent. Tandem hoc edictū eo euadit, vt nolit Iudicibus licere aut vllo modo poſtponere, differre, aut commutare, ſiue moderari condemnationē, & pœnas in hoc edicto cōprehenſas, ſub pœnis et mulctis ſuperius recitatis. Atque hiſce diplomatis mādato & iuſsione Imperatoria, & ſolenni totius cōcilij deliberatione, Iudicibus datur plena poteſtas, auctoritas & mādatum ſpeciale. Verum enimuero per talia noua edicta Imperatoria interdum cōtrauenitur ſcriptis legib⁹. Et ideo hic quo-
53 que diſcutiendum erit † an per ea ædicta tollatur, aut imminuatur Iudicis officium, & ea permiſſa ſemper authoritas, quę cōſiſtit in pœnis legum, cōſuetudinum, aut ſtatutorum tēperandis, remittendis, aut pro ſuo arbitratu, iuxta cauſarum notitiā mitigādis. Nā per ſuperiora & ſimilia edicta iudex prohibetur vagabundos et malefactores minori aut alia pœna afficere, quā ea quæ in edictis cōtinetur. Tā hæc, quam aliæ ab ea dependētes quæſtiones multoties nobis fuerunt obuię, atq; in medium à quibuſdā allatæ, cū inclitę ciuitati Brugēſi eſſem⁹ à cōſilijs, cumq; vagabundorū ſeu erronū cauſę agitarētur, & varijs vltro citroq; opinionib⁹ diſcuterētur. Quidā enim imperitiores & ignari perperā iudicabant, prædictā Iudicis authoritatē p noua edicta Imperatoria nequaquā eſſe ſublatā, atque ita pœnas etiā cōtra edicta certis ex rationibus ſeſe aut augere aut minuere poſſe cēſebant. Alij verò melius ſentire videbantur,

bantur, qui existimant prædictã Iudicis authoritatẽ per noua Imperatorum, aut Principum edicta esse restrictam, & sublatam. Sicut enim nõ statim atque Iudex quispiã habet ius vitæ necisque, liberũ ei est passim quos voluerit morti adiudicare, sed eos tãtum quos lex, aut cõsuetudo primũ cõdẽnauerit: Sic neque est in eius arbitrio eos redimere, vel etiam mitius punire, qui ex legis, siue cõsuetudinis præscripto fuerint, aut vltimo addicti supplicio, aut certè alicui pœnæ
54 deuoti. Nã † vbi est certa pœna à lege aut cõsuetudine statuta, nõ eã potest Iudex remittere aut minuere, siue augere, aut aliter mutare & arbitrari, vt est text. in L. 1. §. 1. in fine ff. ad S. C. Turpil. c. de causis, & ibi Doct. de offic. deleg. c. licet, & ibi glos. in verbo
55 pœnã pecuniariã, de pœnis. † Facti enim quæstio in arbitrio est Iudicãtis: pœnæ verò persecutio, nõ eius voluntati mandatur, sed legis autoritati reseruatur. d. l. 1. §. Vltimo, ad S. C. Turpil. L. Ordine. ff. Ad municip. & L. Si operum. C. de pœnis. Quæ enim pœna à iure est statuta, retractari nõ potest. L. Si qua pœna, quę est antepenulti. ff. de verbo. significa. Absurdum enim esset, vt inferior tolleret, aut immutaret legẽ superioris, tot vigilijs et laboribus conditã L. Si quãdo. C. de inoffic. testa. c. inferior. 21. distinct. & c. Ecclesia vestra de elect. Quin et ipsa lex superioris, etiã si nõ habeat rationẽ, nõ potest tamen infringi per inferiorẽ, vt dicit Bald. in L. Nõ oĩm, post principiũ. ff. de legib. p text. in L. Prospexit. ff. Qui & à quibus. Nã sufficit (vt subdit) sic fuisse statutum. Secun-
56 dum † quã sententiã Princeps Theologorum (quos speculatiuos vocant) Thomas secunda secundæ. q. 67. arti. 4. scribit inter alia, Iudicẽ impediri ne reum à pœna à iure statuta liberet duplici ratione, primo ex parte accusatoris cuius plærunq; interest vt reus puniatur. Secundo ex parte reipub. cuius etiã interest (vt antea quoque diximus) puniri maleficia & ideo (inquit) in his quæ sunt determinata secundum legẽ diuinã, vel humanã nõ est Iudicis misericordiã facere: Iudex enim inferior nõ habet potestatẽ absoluendi reum à pœna, cõtra leges à superiori sibi impositas. Vnde Diuus Augustinus, sup illud Ioãnis 19. nõ haberes aduersum me potestatẽ vllam, nisi tibi datum esset desuper, talẽ (inquit) Deꝰ dederat Pilato potestatẽ, vt esset sub Cęsaris potestate, ne ei omnino liberum esset accusatum absoluere. Quod aũt de lege iã diximus, idẽ de cõsuetudine quoque dicẽdum est, & de edictis Principũ. Illud enim indubitatum est, quod si est certa pœna à cõsuetudine introducta, nõ licet ab ea recedere neque est ibi locus arbitrio Iudicis, vt est text. expressus in L. Si quis reum. ff. de custod. reor. per quẽ ita voluerunt oẽs fere doct. in d. c. de causis, de offic. delega. Non potest ergo Iudex, aut alius à Principe, recedere à pœna legis, aut cõsuetudinis. Quin † si eã minuerit, aut omnino remiserit, (sunt enim illa paria, vt
57 probat text. in L. Seruos, in fine. C. de vi pub.) sese ostendit conscium ipsius criminis. Text. est diligẽter notãdus, in L. 2. in fine. C. de cõmer. & merci. cum dicitur. Et si Iudex repertum nõ vindicat, tegere, vt conscius crimino sa festinat. Et ibi notabiliter Bald. & facit text. in c. Sicut inquit ante finẽ, ibi. Nã si quis in hoc piger, aut negligẽs. &c. & rursum in c. negligere, ibi. Nec caret scrupulo societatis occultę. &c. 2. q. 7. Sed quamuis hæc sane sint intelligenda, vt videlicet nõ possit Iudex temere, & sine causa minuere aut augere pœnas à iure statutas. Ob

cau-

cauſam verò vtrunque impunè face
re,imo etiam remittere poſsit,hoc ta
men effugium ad prædicta edicta nõ
58 eſt referendum. † Illa enim quia ſub
certis iuſsionum & ſanctionum for
mulis ſunt cõcepta,ſtrictiſsimè,præci
ſè, & ſub ipſis nudis terminis obſer
uãda ſunt. Fruſtraq; diſputatur à Iu
dicibus ordinarijs aut ſubalternis de
eo quod ex Regio ſiue ex principali
mandato, & in cõcilio ſummo certis
& indubitatis ſentẽtijs diſcuſſum at
que concluſum, pro edicto perpetuo
ſiue inuiolabili lege præcipitur obſer
59 uandũ. Quamobrẽ † qui nimium cu
rioſè de edictorũ principaliũ vi, pote
ſtate,& obſeruãtia diſputãt, eámque
in dubiũ vocant, videntur hi inobe
dientiæ notã ſubire, atque in ſuſpi
tionẽ male affectæ cõſcientiæ deue
nire. Quoniã aũt ſupra meminimus
vagabundorũ ſeu erronũ quos Gal
licè, *Beliſtre comme mercenters*, teuto
nicè, **Verloren Cremers/verloren Le
telaers/Schoenlappers/Schotelbin
ders/Cuppers**/ &c. qui ſub prætextu
ſui opificij & vicatim, & oſtiatim diu
agãtur. Nõ videtur alienũ hic quæ
60 rere:an †vtile in q rẽ eſſet reipub.hu
iuſmodi vagabundos opifices edicto
coërcere, atq; in vniuerſum illud ho
minũ genus(qui nihil aliud ſunt quã
(*vt ſupra dixi*) telluris *inutile põdus*)
prorſus tollere,ſub certis pœnis in ſi
miles vagabũdos cõſtitutis? Scio ean
dẽ hanc quæſtionẽ in Flandria olim
me præſente propoſitam, ſeu agi
tatã. Quibuſdã ſuſtinentibus nequa
quã vtilẽ eſſe reipub.prædictã prohi
bitionẽ,& maximè ruſticis ruri degẽ
tibus, quibus illi vagabũdi tabernа
rij,& opifices magno ſunt vſui ſeu cõ
moditati. Alij, qui melioris erant ſen
tentiæ,cõtendebant neceſſarium eſſe
61 vt ſtrictè prohiberentur. † Sub præ
textu enim opificij ſui multa mala tã
mediatè quã immediatè ab illis per
petrari cõſpicimus, quod eſt funda
mentum neceſſariæ prohibitionis.
Quod aũt ij,qui cõtrarię ſunt opinio
nis,adferunt de ruſticorũ cõmodita
tibus,quod vnũ eſt, præcipuũq; eorũ
fundamentum,facile quidẽ id poteſt
diſſolui. Cũ enim ruſtici ad urbem cõ
meant(vt fere ſingulis ſeptimanis ſe
mel biſve ad nundinas curru,equóve
fruges aut lacticinia cõportãt aut cõ
uehũt ad ciuitatẽ)facile, tũ ſi quibus
opus habeant coemere,aut ſi quę re
ficienda reſarciendáve ſint ad ciuita
tem ſecum apportare & adferre po
terunt. Vnde non magna eis ob taliũ
defectum eſſe poteſt incõmoditas, &
vt maximè ſit incõmodum tales va
gantes artifices è villis & pagis abi
gere, non eſt tñ paucorũ cõmoditas,
publicæ oĩm vtilitati præferẽda. Hãc
quæſtionem libuit impræſentiarum
latius demõſtrare, verũ ob temporis
anguſtiã,qua hæc ſcribẽs, præmebar,
prolixius eã pertractare nõ licuit. Nõ
dubitem tñ doctis omnibus,aque bo
nis viris probatũ cõſultũq; viſum iri,
(ſaluo ſemper meliori iudicio,) ſi tale
aliquod edictum à Rege noſtro ali
quãdo impetretur promulgãdũ: hac
maximè tẽpeſtate qua cernimus *tot*,
tãq; execranda mala paſsim cõmitti
62 atque perpetrari. Quib⁹ † malis ob
uiandis exiſtimo,nõ aliud remedium
eſſe præſentius,quã ſi Rex quotannis
bis aut ſemel ad minus,aliquot trire
mes,ſaltem vnã, duas, pluréſve, pro
copia & multitudine vagabundorũ
inſtrueret, aut per alium inſtrui fine
ret & permitteret. Id enim vagabun
dis(vt ante diximus)maiori eſſet ter
rori, quã grauiſsimorũ quorũq; ſup
pliciorum terriculamenta, & exẽpla.
Eoq; metu & terrore ſæpe peſsimum
vitæ genus, in meliorẽ frugem cõuer
terent, atque alicui artificio ſeu opi
ficio

ficio animum adiungerẽt. Cum hoc cap. de ergaſtulis nauticis præ manibus haberem⁹, exijt mandato Regio edictũ propoſitæ noſtræ materiæ cõſentaneũ & cõueniens. Quod nõ modo non alienũ, verũ vtile, atque adeo neceſſariũ videtur huc tranſcribere. Eſt enim plenius, pluráque cõprehendit, quã ſimile eadẽ de re edictũ Bruxellæ. 4. Decẽbris. an. 1554. Quo nihil erat conſtitutũ de hæreticis, ſectarijs, & errorũ defenſoribus. Illius aũt verba ſunt quæ ſequuntur. † Quoniã ad notitiã noſtram peruenit, innumerabiles paſsim vagari homines maleficos, mendicos, vagos, ſine lare familiari, aut certo domicilio viuentes, & in agris graſſari, qui hoc vnũ moliũtur, vt in proborum hominũ & locupletum circumuentionẽ, oppreſsionẽ, & pernitiẽ cõſpirent: vicatim pérque villas ruri oberrantes, atque ſtipem oſtiatim emendicãtes, vel vt plurimum cõminationibus improbè & violenter extorquẽtes, qui ſub veſperam aut noctem in cauponas popinásque ſeſe proripiũt, aut in horrea, locáque ad hominũ frequentia ſemota, occultè cõcedunt. Quod vitæ genus ingrediuntur, nullo quodam infortunio ad egeſtatem redacti, nullãve alia honeſta aut graui iuſtáque cauſſa, & neceſsitate ad mendicitatẽ cõpulſi: verum tũ ſola animi abiectione & innata nequitia, tum denique ignauia & laboris faciendi, aut artificij exercendi tædio, quo ſibi victũ, reliquáque quę ad vitã ſint neceſſariã cõparare poſsint. Eáque de cauſſa ſe cõferunt, deportántq; modo in hanc, modo in illã regionẽ, nullúmque nõ mouent lapidem, omnémque occaſionẽ venantur, vt cũ in locis ſunt peregrinis aduenæ & incogniti, paſsim deprędentur, rapiãt, graſſentur, cúmque miſeris ruſticis de vita eorũ, fortuníſque tranſigant & cõponant. Vtque ſemel omnia dicã, modos oẽs & machinationes excogitãt, quibus minitando, idque genus alijs fraudulentis & violẽtis artibus alicundè ab inuitis extorqueant, quo vitam diſſolutam & ignauam nequiter et luxurioſè tranſigant. Maximo cum priuatorum, totiúſque reipub. incõmodo, & 64 ſubuerſione. Quúmque † præterea certo cõperimus nõ paucos eſſe inter illos, qui ſub prætextu & vmbra religionis, peſsimis infecti ſectis, huiꝰ ſæculi & erroribꝰ, cõcionẽtur ſiue Euangeliſtas agant, Pſalmóſque ſuo quodãmodo trãſlatos, eiuſdémque farinæ cantiones decantent, quibus populum ad turbas & ſeditiones cõmoueant & exuſcitent. Quod multis ſæpe diplomatis prohibitum eſt, atque vt res eſt plena periculi & diſcriminis, ita neutiquã tolerãda. Hoc verò ipſo tempore peropportune à Regia noſtra Maieſtate literas acceperimus, quibus certũ triremium numerum inſtruere ſibi in animo eſſe ſcribit, neque facile tam breui ſpatio alijs è regnis & regionibus ſuis recuperare poſsit iuſtam remigum ſeu manci piorum multitudinẽ: vtque eam ob cauſſam diſquiri mandaremus, an ne certa maleficorum copia in his inferioris Germaniæ regionibus colligi poſsit qui labori nautico idonei ſint, atque ergaſtulorum nauticorum relegationi meritò addici poſſe videantur. Nobis viſum fuit eoſdem vagabundos, & id genus alios maleficos ſupra nominatos huic negotio triremiũ valde eſſe opportunos. Sic enim inferioris huiꝰ Germanię prouincię inutilibꝰ, et pernitioſis reipub. hominibus repurgabũtur. In locum aũt pœnarum capitalium per diplomata indictarum, cedet cõdemnatio ſiu relegatio in ergaſtula nautica.

63 ba

Ideóque inſtanter à te poſtulamus atque flagitamus, tibíque adeo. R. Maieſtatis nomine expreſsim & definitè iniungimus, vt cõfeſtim, & ſine vlteriori mora, aut procraſtinatione capi & manus iniectione apprehendi iubeas oẽs mendicos, graſſatores, & erones ſuperius dictos, qui reperientur in iuriſdictionis tuæ limitibus & diſtrictu, eóſque mandari cures ſtrictæ, tutęque cuſtodię. Deinde tui erit muneris, actionem mox in eos inſtituere, litémque proſequi & lege agere, ſecũdúmque edicta hac de re edita. Efficiéſque vt lis in eos conteſtata ſummatim, & diſceptatione cõpendiaria definiatur. Quocirca autoritate noſtra interpoſita conceſsimus, & adhuc cõcedimus hoc edicto, (vſque ad reuocationem) vt Iudices & Magiſtratus pœnas capitales, ſeu vltimi ſupplicij per Principum conſtitutiones indictas, conuertant et cõmutent in relegationem ad vincula nautica, tam aduerſus vagabundos, quam id genus quoſcunque maleficos, modo ſani ſint, validi & robuſti, idoneíque ad triremiũ labores ſufferendos implendóſque, vtque eos adiudicent & cõdemnent ad perpetua vincula, nulla ſpe reliqua, has in regiones vllo
65 vnquam tempore reuertendi. † Exceptis tamen ijs, qui grauibus & enormibus delictis obnoxij erunt, & culpabiles, aut hæreſiarchæ ſint, & ſciſmata, perniciosáque dogmata diſſeminaſſe in populũ, reſque in repub. nouas periculoſas et offenſionibus plenas moliti fuiſſe cõuincentur. Qui omnes, propter exemplum, puniendi ſunt pœnis, quæ in diplomatis indictæ ſunt, neque hac noſtra cõ
66 ſtitutione cõprehenduntur. † Emergentibus verò hinc inde difficultatibus, quarum ex circunſtantijs appareat quoſdam ex dictis mendicis & facinoroſis non eſſe morti adiudicandos, imo ne ad perpetua nautica vincula condẽnandos: permiſſum erit iudicibus, magiſtratibus q; ἐπιεικεία, & moderatione vti, vt eos ſcilicet condemnent ad certum, atq; determinatum aliquod tempus: ita tamen vt nõ ad minus, breuius q; quam ſex annorum ſpatium. Quo tẽporis curriculo exulum proſcriptorúmq; loco his in prouincijs habebuntur, neque poterunt intra idẽ tẽpus in has regiones tutò redire, etiamſi effractione aut fuga ex ergaſtulis euaſerint. Quos inſuper condemnatos curabis ſtrictè, tutóque in loco cuſtodiri, & aſſeruari, donec de loco edoctus fueris, quẽ ad locum deduci debeãt, vt poſtmodum tradantur, dedantúrque in poteſtatẽ eorum, quibus à Regia Maieſtate eos excipiendi cura cõmiſſa erit atq; negotium. Et vt perſoluantur ſumptus tam in victum, quam in aduectionem impenſi, reliquæque expenſæ in eoſdẽ captiuos effuſæ, intelligimus vt illa omnia recuperentur, refundãtúrque ex ijs quæ ab officij tui adminiſtratione prouenient, tibíque accepta ferentur, vt par erit, in computu tuo & rationibus. Quod ſi verò officij tui functiones tantis ſumptibus non reſpondeant: dabitur opera vt à Curia tibi, quod vltra impenſæ factum erit præſtetur, refundaturq; cum rationum tuarum editionem iuſta aſſertione confirmatam tranſmiſeris: Vt autem diligentiam, quã hoc in negotio præſtiteris certo cognoſcam', recte & conſulto, próque officio facies, ſi nos certiores feceris, quo in numero ſint ijdẽ rei ſeu captiui. Quo poſtmodum determinemus atque cõſultemus de tempore & loco. De tempore quidẽ, vt ad cõſtitutum tempus parati ſint futuræ tranſuectioni. De loco verò, vt is certus conſtituatur, ad quem

quem deuchãtur, hac itaque in re omnibus modis vide & cura, vt ne defuisse officio tuo videaris. Actũ Bru-
67 xellæ 27. Ianuarij 1561. † Postea ad dubitationẽ quorundã addita fuit superiori edicto, ea in parte, quę de hęreticis loquitur, talis interpretatio. Nunquã eius fuimus propositi, neque adhuc sum⁹, vt hæretici pertinaces, obfirmati, & præfracti, inque erroribus ad extremum vsq; cõstanter permanentes, siue Anabaptistæ sint, siue al-
70 terius sectæ seu hæresis, cõprehendantur sub cõstitutione, in eos, qui ad triremes, seu ergastula nautica condemnandi sunt & mittendi, edita & promulgata. Verum in eos exẽpla edentur, prout crimen eorum, hæresisque qualitas & circunstantiæ desiderare
68 videbuntur. Quæ † quidem cõstans atq; pertinax hæresis æquiparatur cri-
71 mini læsæ Maiestatis: & iure, legéque habetur & numeratur inter atrocia & enormia delicta, quæ nominatim excipiuntur à præfata constitutione. Actum Bruxellæ. 13. Februarij. 1561. Pro huius autem nostri capitis coronide, seu Colophone libet quædã sigillatim adijcere, quæ ad præsentem triremium materiã imprimis facere cõduceréque videbuntur. Primo ita-
69 que discutiendum † quo amictu prędicti remiges seu mãcipia nautica vestiãtur, & quis eis vict⁹ diurnus subministretur, tum quibus horis, quo loco, & quomodo tecti siue instrati dormiant, quibus deniq; modis sese exerceant, cum à remigando vacationẽ habent. Itaq; cum ad triremes condẽnati deducuntur vestimenta eis omnia detrahuntur, & crines pilíq; à uertice vsq; ad calcẽ nouacula abraduntur, vt mundiores sint, atq; tutiores à pediculis, pulicibus, cimicibus, & id genus alijs vermiculis humano generi infestis, et fere ex sudore generatis. Deinde induuntur subligaculo nautico & subucula ex vili rudíque panno cõfecta, ad genua vsque propẽsa, quæ est eius coloris quem Trierarchus pro nota gestat siue discrimine nauali, tum autẽ Gausapina eis inijcitur seu tunica talaris ex panno villoso cum cucullione à tergo ad instar mantelli Irlandici dependente, capiti verò imponitur pileolus, è panno altior & eleuatus, eiusdem cuius subula coloris. † Móxque catenæ eis inijciuntur trium paulo plus minus vlnarum alteri pedi alligatæ, eorũ quidem qui à puppi proram versus dextrum tenent latus, sinistro: qui verò læuum dextro, que vtrinque cõmutatio seu diuersitas accidit, vt facilius et cõmodius tã hi: quam illi remigent, Grauitas enim catenæ tendit ad medium triremis. Quo † ad victum autem eorum quotidianum, cõmuniter eos accepimus vesci pane cibario seu biscocto, qui panis nauticus inde est appellatus, & vt plurimum est vetus, mucidus, sordidus, durus, vermibusque repletus: vt autẽ mollescat & gratiorem cõtrahat saporem aquæ fere eum intingunt in modum offæ. Pro potu seu ad sitim restinguẽdam aqua dulcis eis præbetur, idque eis bis in die datur portionatim, & certo demenso seu mensura, quum videlicet in mari sunt aut in locis hostilibus ad conflictum seu naumachiam parati expeditíque, nisi fortassis difficiles extra ordinem labores capere & exãtlare cogantur. tum enim ter aut quater cibus eis potusq; administratur. Cum vero sunt in portu aliquo aut in amicorum sociorumq; prouincijs resident, tum tãtum eis panis nautici & aquæ cõceditur, quantum sat est, quantumq; desiderant. Quin etiam interdum lautius multo tractãtur, datur enim illis iusculi sorbitio in

scutellis ligneis, è fabis aut pisis cum allio, cæpis & sale cõditis aut ex oriza, fasceolis, cicere, & id genus aliis leguminibus. Nonnunquã etiã cum in portu & stationibus feriantur distribuitur eis panis recens, è fabis, aliisq; leguminibus coctus, admixto paululum frumenti, vtque melius corpora eorum reficiantur, hilariusq; victitẽt, indulgetur eis aliquãdo iusculum ex oriza in iure carnium decocta, aut cũ lardo, ex aqua cocto, aut cũ carne salsa bubula. Cũ autem excursiones faciunt & in loca hostilia prædatum emittuntur, distribuũtur eis edulia ex prædis quas reportarunt, & pro potu aqua datur aceto mixta aut vino
72 permista & incocta. † Dormiendi seu quietis nullam certã horã, nullũ determinatum tempus habent, verum vigilare eos oportet, & in quamlibet horã aut potius momentum, quo appellantur, expergisci. Adeo vt eodẽ in loco sint apud Trierarchum remiges, quo sunt apud locatores equi meritorij. Cũ autẽ quiescũt in tunicis suis talaribus catenati per sedilia recumbũt, raróq; & non nisi Trierarchi indulgentia sanis, validisq; matta cõceditur, pro sedilis longitudine & latitudine. Cũ à remis vacationẽ habẽt (quod fere cõtingit quum vento secundo, propitio, & in puppim delato
73 aguntur,) remigibus († quos Itali forsaires vocant, quia inuiti & nolentes vi in triremibus siue ergastulis detinentur) cõceditur † vt se quisque tũ
74 exerceat tali opificio, cuius est peritꝰ, & artifex, & ex eo quicquid tandem poterit lucretur, lucríque plenum habeat ius & arbitrium. Poteruntq; sibi eo ex lucro edulia potúmq; cõparare. † Est enim in vnaquaque triremi
75 popina in qua oĩs generis cõmeatus vitæ nauticæ accõmodus venum exponitur, vinum nempe, panis, caseus, nuces, cæpe, allium, salsamenta, & id genus penus nauticus. Qui verò non sunt tã industrij, vt alicui se artificio dedant, impune ludunt aleã, chartarum, aut id genus alios ludos, vel etiã otium sectantur & quieti se somnoq; dedunt. Prædicta autẽ lucra nemo eis iure tollere & auferre potest, quemadmodũ neque tolli potest pecunia, quam interdum à notis cognatisque gratuito aut precario recipiũt. † Hoc
76 enim illorum est peculiũ nauticum. Nõ tamẽ semp eis conceditur ociari aut sibi viuere, cum à remigando vacant. Verum vbi aqua dulcis eis defecit, aut ligna desunt, aliáque id genus ad triremes necessaria, catenis soluti in ijstus inermes exponũtur, armatis custodibus, vt à fuga eos prohibeãt, comitãtibus, ijsque rebus necessariis cõparatis & in nauim cõportatis in pristina ergastula reducuntur. Nonnunquã in terrã expositi à custodib⁹ in proxima emporia deducuntur, vt merces, si quas habeant vænales, facilius diuendãt, ipsique alias coëmant, omnísque generis instrumenta ad opificium quisque suum exercendum apta & accõmoda, cõparent, præter ea tamẽ quibus compedes catenásve præcidere & amputare possint, vt sunt ferræ, limæ, secures, mallei, scalptra, dolabræ, & id genus similia. † Iã
77 descendamus ad delicta, quæ cõmuniter in triremibus, inter prædictos remiges committuntur, pœnásque ijs & supplicia ordine subnectamus, primo itaque delinquunt, quum remigare recusant, aut in remigando discordant, cumque ad triremis munia implenda seu obeunda nõ sunt parati, vt cum triremis obuertẽda est, aut detorquenda, cum vela facienda, aut cõtrahẽda, cum figendæ sunt aut tollendæ anchorę, cum erigendus aut dimittendus malus, vel scapha in mare

eijcien-

